Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Daniel Habichhorst

Illustriorum Isaiae Locorum Pars Prima, exhibens Viginti Tres Dissertationes Exegeticas Ad Priorum XII. Capitum Loca, Publicitus inter alias, quinquennii spatio, In Illustri Universitate Rostochiensi, Pro exercenda Iuventute Studiosa, ventilatas ...

Rostochii: Wepplingius, 1692

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0001
DFG

ad Hyp.
E bibl. ducal.
4 G. 17. 4

23. Dissertt. in Isaiam

121

Fc — 1589.

Fc

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn747248095/phys_0002
DFG

ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM PARS PRIMA,

EXHIBENS

VIGINTI TRES

DISSERTATIONES EXEGETICAS

AD

PRIORUM XII. CAPITUM LOCA,

Publicitus inter alias, qvinqvennii ſpatio,

IN ILLUSTRI UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI,

Pro exercenda Juventute Studioſa, ventilatas,

In qvibus usqve qvaqve

SENSUS locorũ genuinus ex conſilio fontis Ebræi indagatur,

USUSQVE illorum in Theologia controverſa indicatur, ſimulqve

ABUSUS & corruptelæ, veritati ſenſus obſtrepentes, refelluntur,

AUCTORE

ANDR. DANIELE HABICHHORSTIO,

DOCTORE & PROFESS. THEOL. ibid. ORDINARIO

Conſiſtoriiq; Ducalis Mekelb. Aſſeſſore & Collegii Profeſſorum

Duc. Seniore, nec non FCtis ſuæ h. t. Decano.

Roſtochii Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

A. C. M. DC. XCII.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0005

DFG

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DNO, DOMINO
FRIDERICO
WILHELMO,
DUCI MEKELBURGICO
REGENTI, PRINCIPI VETUSTÆ GENTIS HENETÆ, SVERINI & RACEBURGI, COMITI ITEM SVERINENSI, TERRARUMQVE ROSTOCHII & STARGARDIÆ DYNASTÆ, UT ET UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS CANCELLARIO AC PATRONO MAGNIFICENTISSIMO,
PRINCIPI, DOMINO AC NUTRITORI MEO CLEMENTISSIMO,
Gratiam DEI Æternam
&
Incrementum auguſtæ felicitatis perpetuum!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0006
DFG

SERENISSIME DUX,
PRINCEPS ac DOMINE CLEMENTISSIME.



Vanta sit JSAIÆ divini Vatis excellentia, qvanta ejusdem in Ecclesia usqve æstimatio, vel inde inter alia obscurum esse neqvit, qvod *Ambrosius*, olim Mediolanensium Episcopus, *Augustino* ex Manichæis tunc facto Confessori Catholico, per literas interroganti, *quid potissimùm de divinis sibi libris legendum foret?* breve hoc responsum dederit: LEGE JSAIAM! vid. *August. l. 9. Confess. c. 5.* Illud verò & mihi dictum putabam, cum ante sexennium post labores Philologico-Theologicos privatos, & Philosophico-Oratorios qvindecennales publicos, post variasqve tandem persecutiones (qvæ binas jam ad cathedram Theologicam vocationes de Ao. 1663 & 75. interceperant) tertiùm Deo providente & Sereniſſimo Principe ac Domino, DN. CHRISTIANO LUDOVICO, Duce Mekelburgico tunc Regente, nuper heu! defuncto, Sereniſſimæ Celsitudinis Tuæ Patruo & Antecessore glorioſæ recordationes clementer annuente vocarer, jamjamq; mihi secundum Facultatis Theol. Statuta liber qvidam Biblicus publicis lectionibus esset dilucidandus. Scilicet JSAIAM præcipuè mihi legendum & Juventuti Studioſæ proponendum judicabam, qvem & dicta jam statuta inter alios V. T. libros disertè commendant. Etsi vero Codex Jsaianus difficilior sanè explicatu est, cum totus certè mysteriis usq; qvaqve abundet, & laudatus jam *Augustinus* ab ejusdem lectione in principio conversionis suæ se deterritum esse l. c. fatetur; non tamen propterea deterreri memet ab interpretatione ejus patiebar, qvi prævio Cœli auxilio tum publici muneris ratione excitabar, tum mediis qvibusdam, qvæ ad indagandos Scripturarum V. T. sensus opportuna sunt, nonnihil instructus mihi (qvod citra jactantiam dico) videbar. Interim tamen qvum *Hieronymi* judicio (qvod in dedicatione Commentariorum ejus in JSAIAM legitur) *magni sit laboris opus omnem Jsaiæ librum velle simul edisserere*, illud mihi & Studioſæ juventuti sufficere censebam, si *controversa plurimùm & selectiora* Prophetæ *loca*, præprimis v. *Evangelicos*, qvi in Codice ejus velut gemmæ inter aurum coruscant, *aureolos* publicis lectionibus explanarem & explanata simul, pro exercenda magis Juventute Academica, sub incudem Disputationum publicarum

revocarem; qvanqvam deinceps consilium nonnihil mutare placebat, eò qvod proficuum magis judicarem, si disputationes qvidem publicæ in Jsaiam continuarentur, prælectiones v. in eundem cessarent, horumqve in locum aliæ succederent, ne scilicet idem bis ego ad nauseam proponere, semel qvidem dictando, iterum verò typis excudendo, viderer. Harum vero Dissertationum *prima pars*, spatio qvinqvennii & qvod excurrit inter alias absoluta (cum citiùs illam per Respondentium qvandoq; infreqventiam, ceu indiculus illorum infrà docebit, haut licuerit, qvi ceteroqvi comparatè loqvendo freqventem mihi disputaturo hactenus operam dederunt) in lucem jam vel ad exteros potiùs prodit. Ut verò Tuo sub patrocinio, *Serenissime* DUX, prodiret Celsissimoq; Nomini Tuo inscriberetur, variæ profectò causæ me induxerunt, qvas tamen omnes hîc allegare nihil attinebit. Cum enim Serenissima Celsitudo Tua elapso nuper & eopse qvidem Junio Mense, qvo primæ huic parti colophonem Dei gratiâ imponebam, regimen aviti Ducatus susciperet, Serenissimoqve Dn. Patruo suo CHRISTIANO LUDOVICO, Duci Mekelburgico jam laudato, Hagæq; Comitum d. XI. Junii defuncto, Principi & Domino qvondam meo longè clementissimo, tanqvam legitimus hæres succederet, qvis non æqvum censeret, ut Ego in Universitate Tua, *Clementissime Princeps*, Tuæq; collationis Theologus, eandem primam Dissertationum partem Celsissimo Nomini Tuæ consecrarem ejusqve oblatione cùm devotionem meam longè decentissimam, tum qvoq; humilimum Serenissimæ Celsitudini Tuæ affectum obseqviumq; contestarer, simulq; aliorum jam passim Celsitudini Tuæ, sub auspicio reginiminis, gratulantium votis meos qvoqve plausus, gratulationes, vota precesq; pro felicitate Regiminis Tui, Deo providente & consiliis omnino suis prudenter assistentibus Serenissimi Dn. Antecessoris Patrui CONSILIARIIS longè gravissimis meritissimisqve, qvi & Tuorum nunc Consiliariorum nomine fulgent, nuper susceptis, sincero planè ac devoto pectore sociarem? Suscipe ergo, *Princeps benignissime*, sinceræ hoc devotionis pignus debitæqve gratulationis documentum sic satis luculentum, illoq; clementissimis oculorum Tuorum radiis illustrato, me simul auctorem ejus amplissimis gratiæ Tuæ alis dignare, secutus omnino vestigia tum Serenissimi Antecessoris Patrui DN. CHRISTIANI LUDOVICI, tum ejusdem Parentis illustrissimi DN. ADOLPHI FRIDERICI, Avi Tui glorioſæ recordationis, qvippe qvi primò qvidem beatum Parentem meum non vulgari fuerunt gratiâ complexi: siqvidem is sub regimine Serenissimi DN. Avi ADOLPHI FRIDERICI, & initiò quidē eopse prorsus tempore, qvo WALDSTEINIUS

STEINIUS ille Dux Friedlandiæ has occuparat oras, tempore heu! calamitosissimo, præfecturâ trium simul arcium Ducalium, *Pölensis* nempe & *Redentinensis* ac *Bucovienſis* gaudebat; dehinc verò Ducatu hoc Principibus suis restituto *Bucovienſis* tantùm, porro etiam *Büzovienſis* (quo tempore & ego *Büzovii*, ubi Sverinensium quondam Episcoporum sedes, inter mortales esse cœpi) inde *Rhenensis* (ubi tunc illustrissimæ Principis ANNÆ SOPHIÆ, Sororis DN. ADOLPHI FRIDERICI jam laudati sedes) ulteriùs *Grabovienſis* per octennium (ceu vestigia arcis illius Præfecto Parente meo tunc temporis reparatæ non obscura loqvuntur, in qua mihi tunc adolescenti non sine jucunditate, quam etiamnum memorare liceat, prælaudato Celsitudinis Tuæ Avo familiæqve ejus illustrissimæ, CAROLO, JOHANNI GEORGIO & RUDOLPHO, Principibus meis qvondam gratiosissimis, Patruis Tuæ Celsitudinis perquam celebratis, semel iterumq; quotannis arcem illam Grabovienſem, tanquam Aviæ Tuæ posthac Viduæ destinatam sedem, invisentibus humiliter inservire licebat: quæ ipsa & nuper Serenissimi Parentis Tui DN. FRIDERICI gloriosæ recordationis fuit & hodienũ MATRIS illustrissimæ sedes est Ducalis) deinceps *Kribizenſis*, rursus *Grabovienſis* præfectus Ducalis salutabatur, nunquam infidelitatis redargutus. Unde & post Celsissimi illius Parentis sui sæpius memorati DN. ADOLPHI FRIDERICI, obitum (qvem Ao. 1657. deflevimus) Serenissimus Dux CHRISTIANUS LUDOVICUS, rerum jam potitus, eundem Parentem meum, singulari Præfecturarum redituumq; Ducalium notitiâ peritissimum, A. 1662. gratiosissimè promovit, commissâ ipsi præfecturarum universi Ducatus & Principatuum annexorum inspectione ac visitatione. Cumq; is illo in officio sic satis molesto ita se gereret, ut inde reditus Serenissimi plurimùm augmenti perciperent, statim eodem Anno 1662. Serenissimus DN. CHRISTIANUS LUDOVICUS, eundẽ Parentem meum gratiosissimis remunerari promissis sua sponte dignatus est, qvibus & rescriptum annumero de me filio tunc Phil Magistro, præ ceteris ex singulari gratia promovendo. Cujus rescripti promissiqve Ducalis clementissimi multos quidem effectus laudare possum: siquidem hos inter nominare nunc liceat designationem mei ad Professionem Theolog. secundam, sequenti statim Anno 1663. m. Febr. Büzovii factam, ut & vocationem ad professionem Theol. primam An. 1675. m. Febr. impertitam & seq. menſe Martio hîc receptione mei approbatam, cui& promissiones de aliis muneribus dictæ professioni annexis jungebantur; non tamen illi Ducalis rescripti effectus, tam efficaces fuerunt, ut hostium invidorumq; partim vocationes impedientium, partim

mihi

mihi præripientium insultus superaverint; qvanqvam dehinc impedire non potuerunt, qvo minus vigore Ducalium decretorum, post aliorum messes, spicilegium mihi pateret, h. e. præreptâ vocatione ad professionem Theol. secundam, munus mihi Professoris Oratoriæ conferretur (qvod per XV. ferè annos, qvanqvam inter maximas persecutionum procellas sustinui) & præreptâ dein vocatione ad profess. Theol. primam, secunda mihi Theologica, jam inde ab A. 1663. ceu relatum, à Serenissimo mihi destinata, & A. 1675. (cum ad primam Theol. professionem vocarer) in eventum ad protocollum, ceu vocant, reservata, concederetur. Cumq; hodienum illâ Professoris Theologi spartâ sub gratiosissimo regimine Tuo, Serenissime PRINCEPS, fungar, humillimè post Deum clementiæ & Celsitudini Tuæ confido, fore ut per laudata jam glorioſissimorum horummet Antecessorum vestigia ductus, me qvoq;, non extraneum sed Civem, & qvidem ministri Ducalis fidelissimi meritissimiq; filium, ad preces & obsequia promtissimum, jamq; ultra XX. annos Professorem indefessum & ante XXX. ferè designatum, Collegiiq; Professorum Ducalium verè Seniorem, gratiæ Tuæ alis ita sis complexurus, ut Te Nutritore munificentissimo lætus officio defungi qveam mihiqve major inde ansa detur apud supremum Numen Principumq; Principem, qvi Te Principem Juventutis in sublime Avorum Patruiq; solium evexit & virtutibus Principē magnum decentibus locupletissimè ornavit) suppliciter pro Tua incolumitate intercedendi, qvem & nunc supplex veneror, ut beatum Tibi Salomonicæ tranqvillatis regimen, fata undiqvaq; prospera, conjugium perqvam optatum, vitam planè jucundam, subditos omnino fideles, terras summè fertiles & qvæcunq; præterea magni PRINCIPIS vota sunt, præcipuèq; pectus Deum super omnia timens, Religionis orthodoxæ singulariter amans & Academiæ (qvæ Provinciæ totius gemma, studiorum mater, gloriæq; DEi & Principum suorum laudis studiosa est) enixè favens, largiri posterosq; tandem concedere dignetur, qui nomen & gloriam perantiqui & augustissimi stemmatis referant atq; in natos natorum propagent. Fiat, ô DEUS, fiat! Scrib. Rostochi. d. 19. Oct. A. C. 1692.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

devotissimus, ad preces & obsequia
indefessus
A. D. HABICHHORST, D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0010
DFG

NOMINA RESPONDENTIUM, Qvi Jn hac parte I. ingenium induſtriamq; egregiè ſuam probarunt, & eo qvo reſponderunt ordine ſunt locati.

DISP. I. habuit JOH. Wendeker / Roſtochienſis, nunc ad Templum primarium ap. Wiſmar. Diaconus, d. 27. Nov. 1686.

Eandem I. JOH. MEHNERUS, Granſöâ March. ob exemplarium paucitatem recuſam ſimulq; reviſam & duobus qvaternionibus auctam denuo, abſolutis omnino reliquis XXIII. Diſpp. propoſuit d. 25. Jun. 1692

II. MATTHÆUS Müller / Dartiſc. jam. Phil Mag. d. 31. Dec. 1686.

III. JOH. PISTORIUS, Friedlandiâ Mekl. nunc in Patria Eccleſiaſtes, d. 5. Febr. 687.

IV. CAROLUS CZERLINSKI, Dantiſc. nunc Ph. Mag. d. 12. Mart. eodem 1687.

V. JOACH. Utecht / Sedin. Pom. d. 9. Jul. eodem 1687.

VI. ERICUS HORNINGIUS, Teuto Tyrov. Pruſſus, d. 6. Aug. eod.

VII. idem HORNINGIUS, Phil. Cand. nunc Mag. d. 31. Aug. eod.

VIII. DAVID WEZELIUS, Stolpâ Pom, jam beatus d. 7. Sept. eod.

IX. LUCAS BESELINUS, Phil. Cand. nunc Mag. d. 24. Sept. eod.

X. DAN. MERIANUS, Wittſtoch. March. paulò poſt in Patria prope Wittſtochium Paſtor, d. 10. Dec. eod. 1687.

XI. JOACH. DAVID MüLLER, Perleberg. March. nunc Phil. Mag. & Scholæ Patr. Rector, d. 7. Jan. 1688.

XII. CHRISTIANUS BESENIUS, Kiriz. March. dehinc. Scholæ Grabov. Mekelb. Rector, nunc in Marchia Paſtor. d. 25. Febr. eod.

XIII. JOHAN. ERNESTUS CHRYSANDER, Herzbergâ Saxo d. 1. Sept. eod. 1688.

XIV. Idem. d. 22. Sept. eod.

XV. Idem d. 1. Dec. eod. 88. in natali 65. Sereniſſ. DN. CHRISTIANI LUDOVICI, Duc. Mekelb.

XVI

XVI. JOH. GOTHOFR. FINKIUS, Obersdorf. Thur. d. 15. Jun. 1689.
XVII. TIMOTH. Lütkeman/ Malchin. Mekelb. d. 31. Maij, 1690.
XVIII. BRODERUS Enewald/ Tund. Holst. d. 20. Sept. eod.
XIX. denuo TIM. Lütkeman/ Malch. d. 10. Octobr. 1691.
XX. ULRICUS Darjes/ Rostoch. d. 16. Januar. 1692.
XXI. JUL. FRID. Hartmañ/ Erwalâ Curlandus, d. 5 Mart. eod.
XXII. DANIEL CHRISTIANUS Stavenhagen/ Büzov. Mekelb. d. 19. Mart. eod.
XXIII. JOH. VORASTUS, Malchin. Mekelb. d. 4. Maj. eod.

ERRATA TYPOGRAPHICA POTIORA.

IN Disp. I. loco 3. §. 4. lin. 2. legatur ἀἰσιολογικὴ & l. 9. ἀἰσιλογία. Disp. II. §. 5. lin. 7. à fin. leg. qvæ montes *prædatorii* vocantur. §. 7. lin. 12. à fin. leg. המורה §. 8. lin. pen. ante vocem *conf.* addatur *Resp. ad. 4. ex. §. 7. n. 2.*
Disp. IV. loco 1. §. 3. lin. 10. 11. *omnino sed parum videns.*
Disp. XI. loco ult. §. 2. lin. pen. leg. *accentuationis ratio.*
Disp. XIII §. 4. lin. 7. leg. *Vetteri.* §. 5. pag. versâ lin. 9. & 14. pro *Jerem.* leg. Jsai.
Disp. XIV. §. 3. lin. pen. legatur *Jerem.* 42.
Disp. XVI. §. 8. lin. 16. à fin. leg. *ad quæstionem* 2. & 3. §. 10. lin. 4. leg. *consumtionis*: ibid. lin. pen. leg. *legentium*: ead. lin. leg. *nec nobis.*
Disp. XVII. §. 2. pag. versâ l. ult. leg. *compellans.* §. 7 lin. 7. pro v. s. leg. §. 5.
Disp. XVIII loco 8. §. 1. l. 6. leg. *efflorescens*, loc. 9. §. 1. l. 11. à fin. leg. *hypothesi* §. 6. l. 17. à fin. leg. *R. Salomo*: §. 7. l. 15. leg. נור §. 11. l. 4. à fin. leg. *ponsi.*
Disp. XIX. §. 4. l. 17. à fin. leg. *non creatis.*
Disp. XX. §. 2. p. 3. circa med. leg. *Lev. 26. 32.* seq. lin. 9. lege יוכיח §. 3. l. pen. leg. *Jsai. 9. 6.* §. 8 l. 6. leg. *Job.* 39. 28. §. 9. lin. 9. leg. *seclusa.*
Disp. XXII. §. 3. l. 16. post parenthesin addatur: *est accusativi nota.* §. 7. l. 6. pro *regimine* lege *gladio.*
Disp. XXIII. §. 4. l. 10. à fin. leg. *in manu* §. 7. l. 28. leg. *accurrent*, seq. lin. 49 leg. יקחת §. 8. l. 9. à fin. leg. *residentia.*

PARTIS PRIMÆ
ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO EXEGETICA PRIMA
(ob exemplarium ejus paucitatem recusa simulqve revisa & aucta)
De
GENERALI

INSCRIPTIONE PROPHETIÆ ISAIANÆ,

&

TOTO CORPORE REGNI JHUDÆ PERCUSSO & ÆGRO,

nec non

SACRIFICIIS ALIISQVE CULTIBUS, DEO SINE POENITENTIA ABOMINABILIBUS,

ut &

VERO EMENDATIONIS MEDIO, POENITENTIA,

Ex ISAI. I. v. 1. & v. 5. ad 6. item v. 10. ad 15. ut & v. 16. ad 18.

Quam

Auspice DEO-Homine, & Ven. FCte THEOL. consentiente
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S. Th. D. ejusdemqve P. P. & Consistorii Duc. Mekelb. Assessore
Collegiiqve Professorum Duc. Seniore,

ad d. 25. Junii, 1692. in Aud. Maj. inclutæ Univers. Rostochiensis
publicæ collationi Academiæ sistit

JOHANNES MEHNERUS, Gransöâ March.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Amplis. Senat. Typogr.

Dupl.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0013
DFG

בש״א אב״יר

SEdet animo *controversa & illustriora Prophetarum Principis ISAIÆ loca* ex ipso fonte interpretari, & qvidem singulis omnino mensibus (si DEUS voluerit & ardor Juventutis Academicæ Respondendo non remiserit) unam super illa Dissertationem publicè ventilandam exhibere. Qvamvis enim tempore scriptionis princeps vel primus non fuerit Ischaiah (nam eodem etiam tempore scripserunt *Hoseas, Amos, Jonas,* conf. Isa. 1. 1. Hos. 1. 1. Amos 1. 1. Jon. 1. 1.) dignitate tamen & excellentiâ vaticiniorum, propter qvam principe inter Prophetas sede, suffragante Antiqvitatis autoritate, locatus est (qvicqvid nonnulli ex Græcorum observantia & loco qvodam Talmudico in Bava batra, qvo Jeremiæ & Ezechieli postponitur Isaias, ogganiant) *Principis Prophetarum* honorem facilè meretur. Unde & *magnus* non tantùm Syracidi dudum audit. c. 48. 25. sed & verè talis est, sive materiam Prophetiæ rerumve, qvas vaticinatur, multitudinem & majestatem, s. mysteria fidei qvæ profert; profert autem longè plurima, profert qvæ alii tacent; s. genus orationis spectes. Spiritus ejus planè igneus, stylus est eloqventissimus, rerumq; naturæ, qvod Scriptorem præprimis commendat, convenientissimus, ut vel omnibus Historicis, Oratoribus & Poëtis longè ornatior incedat. Unde & *Sanctius* de ipso: *sic*, inqvit, *assurgit interdum sublimis, sic nonnunqvam supplex se demittit, sic stylum hilarat effusè, sic acuit incitatè, sic blandè solatur, sic renitentem vehementer sternit, ut vel hinc divino afflatus instinctu facilè dignoscatur.* De cetero cum laus Prophetarum in *scrutinio temporum*, qvibus *passiones Christi & gloriæ subseqventes erant futuræ*, juxta 1. Pet. 1. 2. vel maximè ponatur, certè in illo qvoqve scrutinio tam excellit Jschajah, Messiæ præco sub V. T. incomparabilis, ut res à Christo gestas ejusqve passiones & glorias non tam prævidisse futuras, qvàm scripsisse reipsa impletas videri qveat. Unde & dudum is *Hieronymo* aliisqve Apostolus & Evangelista V. T. audit, sæpiusqve in N. T. qvam reliqvi Prophetæ & qvidem *sexaginta* in locis (ceu *Musculus* in præfat. Comment. in Isa. p. 4. refert) auditur. Apostolus certè & Evangelistæ illum sic in deliciis habuerunt, ut nil ferè sine Jschajah dixerint omnesqve illum pro se allegarint. Primam enim Proto-Baptistæ buccinam Evangelicam, qvi *vox clamantis: in deserto parandam esse DO-*

MINO viam Matt. 3. 2. 3. imò & primam ipsius CHRISTI, *Luminis illius magni, Cathedram Doctoralem, in terra Zbulon & Naphthalim* futuram Matth. 4. 13. 14. aliaqve regni cælorum mysteria, præprimis ex Jschajah probarunt, vid. Isai. 9. 1. 2. c. 40. 3. Ejusdem consangvinei Prophetæ publicus in Synagoga Nazarena Professor ipse JESUS NAZARENUS Servator noster, locum planè illustrem capitis 61. *Spiritus DOMINI super me* &c. assurgendo reverenter legit & lectâ demum pericope considens, in conspectu Synagogæ Prophetam exposuit, Luc. 4. 16. seqq. Interpres qvoqve ejus *Philippus* erat, ex Collegio septemvirali Diaconus, *Salvator Dynastæ Candacis Æthiopis*, Prophetam hunc legentis, sed non intelligentis Act. 8. 31. Ipsum deniqve *nomen* Prophetæ ישעיהו, qvod *salutem DOMINI* notat, adeoqve dulcissimum JESU Salvatoris nomen insinuat, (cujus is præco testisqve præ ceteris omnibus adeò fuit illustris, freqvens & copiosus, ut principalissimum Prophetiæ ejus argumentum ex nomine possit dicit dici ישע יה i. e. *Salus Domini* s. JESUS (qvod vel ex seqv. Prophetiæ ejus divisione colligere est) sic satis illum commendat, ut alias nunc commendationis rationes accongerere supersedeamus, qvibus ceteroqvi accendere magis magisqve amorem scrutandi monumenta ejus, in qvibus maximi latent thesauri, possemus. Qvamvis autem tum illa Prophetæ excellentia & Codicis ejus amplitudo, tum provincia interpretandi Prophetas harumqve principem, qvæ non vulgaris est intelligentiæ, deterrere nos ab executione consilii qveant; cum tamen non temerè sed ex officio, interpretationem locorum ejus illustriorum aggrediamur, certè precibus præviis summo confidimus Numini, per Prophetas locuto, non defuturam nobis Spiritus S. gratiam, in sui ipsius gloriam, & eorum præprimis, si non aliorum, informationem, qvorum studiis ut commodemus, officii Professorio-Exegetici ratio poscit. Videtur verò non contemnendæ futurum operæ pretium, si pro majori luce *partitionem* Codicis Isaiani nostræqve commentationis præmittamus. Non tamen hîc Jhudæorum *divisionem* seqvemur, juxta Prophetias speciales vel Pharaschas magnas institutam, qvarum hîc numerare triginta sex solent; sed potius Christianorum vestigia legemus. Juxta *B.* verò *Lutherum* in præfatione German. Codici Isaiano in German. Bibliis præmissa, dictus Codex, sexaginta sex capitibus constans, in *tres* magnas dividitur *partes*. *Musculus* qvoqve in præfat. Commentarii in Isai. p. 5. *tres* qvidem partes constituit, sed paulò aliter ac Lutherus aliisqve limitibus definit. Nec *B. Varenius* in prodromo Comment. Isaiani p. 16. plures qvàm tres fecit, sed rursus aliter eas ac Lutherus & Musculus ordinavit. Qvoad *primam* qvidem omnes concordant, ita ut prioribus XII. capitibus illam absolvi dicant; *Secunda* verò juxta *Musculum* incipit à cap. 13. & desinit cap. 48. inclusivè; sed juxta *Varenium* illa pars secunda

desinit

definit cap. 39. in historia Chiskiana. *Tertia* deniqve juxta *Musculum* incipit c. 49. sed juxta *Varenium* c. 40. Nobis verò partitiones illæ per omnia non arridebant. Siqvidem in *Musculana* pars secunda à c. 13. usqve ad 48. per 36. capita, & in *Vareniana*, pars tertia à c. 40. ad finem per capita 26. continuata, nimis longæ nobis, & qvod præcipuum, materiis planè disparatis constare, adeoqve definitioni suæ non satis convenire videntur. Igitur materias nos disparatas magis respicientes (qvæ ex partitione nostra patescent) tædiumqve simul ac fatigationem, qvæ ceteroqvi ex prolixitate partium tractandarum oriri posset, evitantes, *qvatuor* omnino *partes* Codicis Isaiani nostræqve Commentationis seqventi ordine constituimus. Qvoad *primam* qvidem Isaiæ partem prælaudatis Autoribus assentimur, qvæ cap. XII. in Evangelico definit jubilo, mixtimqve *legales* easqve vehementissimas *conciones* in Jhudæos, ob fidei vitæqve impuritatem, & *Evangelicas* de Christo proponit; *principalissimè tamen Messiæ incarnationem & nativitatem ex Virgine*, item naturas & personam prædicit, sed de regno ejus non nisi generatim agit. In *Secunda* verò qvæ cap. XIII. incipit & nostrâ ex sententiâ cap. XXVIII. inclus. finem sortitur, adeoqve XVI. saltem capitibus constat, *exteris præcipuè regnis terrisqve terræ Jhudæorum finitimis* (à qvibus vel regnum Jhudæ afflictum & confusum est, vel qvibus Jhudæi nimiùm fuerunt confisi) *exscisio vel devastatio* sub titulo משא *annunciatur*, ut ita ad solum Christi regnum, qvod perpetuum est, & de qvo simul vaticinia passim hac in parte inseruntur, desideria mortalium ferantur. In *tertia* parte, qvæ nobis cap. XXIX. incipit & c. XLVIII. inclus. definit, adeoqve capitibus XX. constat, prædicuntur non tantum *Arielis s. urbis Hierosolymitanæ obsidiones*, tum per Babylonios, tum per Sencharibum tempore *Chiskiæ* (cujus simul laudabile regimen c. 32. prædicitur & historia vitæ ac mortis c. 36. 37. 38. 39. interseritur) sed & *liberatio* tum à Sencharibi insolentia per Angelum, tum à captivitate Babylonica per *Cyrum* c. 45. & 48. immixtis *concionibus* tum *Evangelicis* de Christi officio & Ecclesia N.T. tum *legalibus*, contra idololatriam & alia Jhudæorum peccata. Tandem in *qvarta* parte, qvæ cap. XLIX. incipit, adeoqve capitibus XVIII. constat, *luculentissimis planè vaticiniis de persona, officio & regno Messiæ, de statu* item *gemino* ejus, ut & de *Ecclesiæ N.T. felicitate & amplitudine*, per gentium vocationem futura, immixtis denuo *concionibus elenchticis* & *qverelis* super Jhudæorum idololatria & hypocrisi, ex professo tractatur. Auspicamur à I. parte, qvæ primis duodecim capitibus absolvitur, & qvidem ab *inscriptione*, unde & ipse Codex Isaianus sumit initium. Esto igitur, Auspice DEO-Homine, qvi ישע יהשׁ, qvi ישועתנו

LOCUS I. JSAI. I. 1.

De

Generali inscriptione Prophetiæ Isaianæ.

CUm generalis hæc inscriptio argumentum qvidem totius sit libri, lectorem instruens, qvid in hoc volumine sit lecturus; sed tamen controversiis non omnino nullis involvatur, paulò diligentiùs illam ante omnia, ipsius Lutheri consilio (qvod in Bibliis Germanicis præfatione ad Isaiam statim ab initio legatur) evolvere oportebit, qvæ in fonte sic habet: חזון ישעיהו בן־אמוץ אשר חזה על יהודה וירושלם בימי עזיהו יותם אחז יחזקיהו מלכי יהודה h. e. *Visio Jschajah filii Amoz, qvam vidit super Jhudah & Jruschalem, in diebus Usiæ, Jothami, Achasi, Jchiskiæ, Regum Jhudæ.* Qvinqve verò potissimum capita vel qvæstiones circa illam expendendæ erunt: 1. An *inscriptio*, versu primo posita, sit *generalis* totius Prophetiæ? 2. *qvis?* vel *autor* scripti. 3. *qvid?* vel *genus* scripti. 4. *ubi?* vel *auditorium* Prophetæ. 5. *qvando* & *qvamdiu* vaticinatus is fuerit? s. *ætas* ejus *Prophetica.*

§. 2. Ad I. qvæstionem, de *Inscriptionis generalitate*, Rabbini qvidem respondent negando, cum statuant, illam esse particularem & primi tantum capitis inscriptionem, qvalis illa cap. 2. v. 1. vel qvalis qvædam ex titulis משא c. 13. & seqq. Nos verò contrà affirmamus, his inter alias rationibus moti, qvod (1.) ampliſſima hæc inscriptio, qva Isaias visionem hanc tempore 4. Regum Jhudæ perhibetur vidisse, ad solum caput primum sit inapplicabilis, & (2.) periodus Prophetica non solum respectu Prophetæ, sed & ipsius Prophetiæ sub 4. illis Regibus definiatur. Rabbinis verò excipientibus 1. sic fore tautologiam in titulo particulari seqv. c. 2. ubi repetuntur voces: *super Jhudah & Jruschalem:* 2. pronomen relativum אשר s. voces אשר חזה non referendas esse ad remotius nomen appellativum

lativum חזון i. e. *visionem*, sed ad nomen proprium s. ad voces immediatè præcedentes, ישעיהו בן־אמוץ s. ad ipsum *Isaiam filium Amozi*, adeoqve reddendas esse has voces, non: *qvam* (sc. visionem) *vidit*, ceu Lutherus rectè reddidit: welches (Gesicht) er sahe; sed: *qvi vidit*, h. s. welcher geweissaget über Jhuda und Jerusalem/ Respondemus & qvidem ad (1.) Negando consequentiam: qvid enim obstat, qvò minùs *particula* tituli generalis, nempe *super Jhuda & Jruschalem*, fieri qvoqve pars tituli particularis possit? Ad (2.) resp. 1. obstare accentuationem: si enim pronomen אשר ad voces immediatè præcedentes s. ad ipsum *Isaiam*, *filium Amozi*, referendum esset, tunc in immediatè præced. voce בן־אמוץ h. e. *filii Amoz*, non major accentus, qvàm in seq. voce חזה *vidit*, reperiretur. *Dices:* utrobiqve tam in præced. אמוץ qvàm seqvente חזה eundem esse accentum Regem *Sakephkatonum*. Sed Resp. eundem qvidem, sed utrobiqve non unius ejusdemqve esse potestatis: nam repetitio ejusdem accentus distinctivi si obtingat, semper remotior à Domino suo, h. l. Imperatore *Atnacho*, majoris habetur valoris, propior minoris: adeoqve per Sakephkatonum (qvi in בן־אמוץ plus distingvit qvàm in חזה) pronomen qvæstionis אשר distingvi à proxima voce בן־אמוץ & ad remotiorem חזון referri. Conf. *Wasmut. Instit. Accent.* Reg. 4. m. 3. n. 3. (3.) Ponamus verò אשר rò referri ad propius sc. ad Prophetam ipsum, qvid tum? nihilominus inscriptionis generalitas salva esset. Qværimus enim, qvid Propheta חזה s. viderit? profectò omne id, qvod in hac visione vel prophetia continetur, & sub qvatuor illis Regibus ab ipso visum est. Consentiunt *Sanctius*, *Piscat. Forer. Anglicani*, præcipuè *B. Varenius* in prodromo Comment. ad Isai. p. 1. & 2. De qvæstione, *an ipse Isaias*, *an v. alius inscriptionem hanc fecerit*, legatur *Calvinus* in præfat. Comment. in Isaiam sub fin. & ex eo *Marloratus* in Comment. h. l. p. 1.

§. 3. Deinde occurrit hîc *Autor* Prophetiæ ejusqve nomen

men & *natales*, in verbis ישעיהו בן־אמוץ h.e. *Iſchaiah filii Amoz*. De origine *nominis Iſaiæ* jam in præfatione dictum. De *ſcriptione* monendum hîc, vulgo ſcribi *Eſaias*, fortè qvia in N. T. præeunte τῷ LXX. verſione legitur Ἡσαΐας Act. 8. 28. 30. Matt. 4. 14. & qvandoq; cum ſpir. leni Ἡσαΐας Rom. 15. 12. Luc. 4. 17. &c. Rectius autem ſcribi *Jeſchajah*, ne ſc. prima radicalis litera *Jod* negligatur; rectiſſimè *Iſchajah* vel *Iſaias*: Schva enim ſub *Jod* in Ebræo יְשַׁעְיָהוּ vel ישעיה, non eſt vocalis *e*, ſed miniſter vocalium, nec ullum Schva propriè legitur, nec ſonum vocalis habet, ſed auribus illud eſt, qvod oculis fulgetrum, ceu loqvitur *Waſmut.* in Gram. Ebr. R. 1. Ceterùm duo hîc præcipuè diſputantur: Nam (1.) qværitur, *an Iſaias fuerit filius Prophetæ & qvidem illius Amos, qvi inter minores Prophetas recenſetur?* (2.) *an idem Iſaias regiâ fuerit ſtirpe coruſcus?* Ad (1.) reſpondet qvidem *Kimchi* affirmando, fuiſſe Prophetæ filium, hac Rabbinorum regulâ nixus: *Propheta cujus nomini copulatur in Prophetis nomen Patris, eſt filius Prophetæ*; ſed refutat illum *Aben-Eſra*, & Amozum fuiſſe Prophetam negat ſimulqve regulam Kimchianam impugnat. Contrà verò Kimchiũ defendit *Abarbenel* hac ratione fretus, qvod in ſcripturis hæc verba legantur: ישעיהו בן־אמוץ הנביא qvæ idem ſic interpretatur: *Iſaiah filius Amozi prophetæ*, illudqve exemplo *Jonæ* conatur probare, de qvo 2 Reg. 14. 25. dici putat: *Jona filius Amithai Prophetæ.* At verò, qvicqvid ogganniant Kimchius & Abarbenel, cauſâ non cecidit ſuâ Aben-Eſra, qvam adeo noſtram qvoqve facimus. Fundamentum enim cauſæ Abarbenelis lubricum eſt: ſiqvidem nomen הנביא ſ. *Prophetæ*, cum in ſcripturis dicitur, ישעיהו בן־אמוץ הנביא (vid. Iſai. 37. 2. c. 38. 1. 2 Reg. 20. 1. 2 Chron. 26. 22. c. 32. v. 20. & 32.) non referendum eſſe ad Patrem *Amoz*, ſed ad *filium Iſaiah* (1.) probat *Accentuatio:* nam vox הנביא notans *Prophetam*, in locis jam citatis ſemper poſt accentum Regium locatur, qvi in voce אמוץ, qvæ proximè præ-

præcedit, reperitur, per qvem adeo vox illa הנביא h. e. *Prophetæ*, ab ista voce proxima *Amoz* distingvitur & ad remotiorem sc. ישעיהו f. Isaiam filium Amozi refertur; adeoqve loca Isai. 37. 2. c. 38. 1. &c. non sunt cum Rabbinis sic reddenda: *Isaiah filius Amozi Propheta*; sed h. m. *Isaiah filius Amozi, Propheta ille*; qvomodo & Lutherus vertit. Idem (2.) illustrat *positus clarior* 2 Reg. 19. 2. ubi sic legitur: אל ישעיהו הנביא בן־אמוץ i.e. *ad Isaiã Prophetam illum, filium Amozi*. Ad locum verò 2 Reg 14. 25. de *Jonæ Patre*, ab Abarbenele objectum, respondemus, eundem in illo errorem errasse Rabbinum, qvod eadem accentuatio monstrat, juxta qvam rectiùs locum sic reddit Lutherus: durch Jona den Sohn Amithai/ den Propheten/ non: des Propheten. Ceterùm ad *alteram* qvæstionis primæ *partem* qvod attinet, qva qværitur, *an Isaiah fuerit filius Amosi, Prophetæ inter minores tertii?* qvam nonnulli, nempe *Epiphanius* in vita Amos, *Clemens Alexandrinus* l. 1. strom. *Cedrenus* Compend. Histor. &c. affirmare deprehenduntur, inducti procul dubio tum ignorantiâ sanctæ lingvæ, tum vitio scriptionis Vulgatæ, qvæ h. l. legit: *filius Amos*, respondemus nos negando. In Ebræo enim Parens Isaiæ dicitur אמוץ, qvod diversum planè est à nomine עמוס Prophetæ illius inter minores tertii, qvi fuerat *inter armentarios* (pecuarios) *de Thekoa*, ceu profitetur ipse c. 1. v. 1. & c. 7. 14. illud enim, sc. *Amoz* est à R. אמץ *fortis fuit*; hoc verò *Amos* à R. עמס *oneravit*. Ita ergo Prophetæ nostro ex natalibus Propheticis excellentia accedit nulla. Qværitur autem (2.) *annon regiâ fuerit stirpe coruscus?* R. Abarbenel post alios, in vocibus בן־אמוץ h. e. *filii Amoz* duas Isaiæ excellentias insinuari censet, *Propheticam* sc. ac *Regiam*, cum *Amoz* Parens Isaiæ, ex Rabbinorum veterum traditione, frater Regis *Amaziæ* adeoqve Regis *Ussiæ* (cujus tempore noster prophetavit) Patruus fuerit. Nos qvidem prius sc. *natales* Isaiæ *Propheticas* negamus jamjamqve refutavimus; posterius verò de *natalibus regiis*, cum

omnes

omnes in eo veteres consentiant, teste *Calvino* præfatione in Isaiam p. 3. & illud de Amozo fratre Amaziæ Regis Jhudæ probabilitate sua gaudere videatur, non disputamus, qvi nec statuentibus Isaiam Messiæ Servatori nostro contribulem fuisse, qvippe qvem Propheta cap. 5. 1. vocat דודו qvod aliàs significat *dilectum suum*, *Amicum*, Lutherus autem rationibus jam dictis motus reddit Vätter/ refragamur. vid. infrà Disp. 6. ad l. c.

§. 4. Tertiò *genus scripti* insinuatur vocabulo *visionis* tum *nominali* חזון tum *verbali* חזה cum dicitur חזון ישעיהו אשר חזה i. e. *visio Isaiæ*, *qvam vidit*. Vocabulum enim חזון h. e. *visio* (singulare pro plurali: una enim visione Prophetica Codex Isaianus non absolvitur) rectè à Chaldæo voce נבואה i. e. Prophetiæ expressum, & nomen respiciens prophetarum antiqvissimum, qva dicti sunt רואים i. e. *visores*, 1 Sam. 9. 9. non tantum προφητεια scripti Isaiani, sed & certitudinem ejus ostendit: *Vidit* enim; q. d. non commentus est, ut illi Jerem. 23. 16. sed à DEO accepit non minùs perspicuè & certè, qvàm si oculis usurpasset. Qværitur autem, *cujus* hæc visio *gradus* fuerit? Ubi sciendum, visionem hîc speciatim & in gradu excellentiori accipiendam esse: siqvidem ille hîc gradus prophetiæ s. divinæ revelationis notatur, qvi Prophetis vigilantibus extra somnium contingebat. Nam vocabulum *visionis*, uti & *Prophetiæ*, generalius aliqvando sumitur, ut suo sub ambitu non tantùm illam contineat prophetiam, qvæ *vigilantibus*, cessante *supernaturaliter* sensuum operatione, per ἔκστασιν, eamqve vel *imaginariam* vel *intellectualem*: sed & illam Prophetiam s. visionem, qvæ *dormientibus*, cessante *naturaliter* sensuum operatione, per somnium accidebat. Hinc & Propheticum *Danielis somnium* per periphrasin non tantùm dicitur *visio noctis* Dan. 2. 19. sed & *somnium visum* simul ac *visio in cubili* c. 7. 1. Unde patet somnium non negare visionem nec prophetiam, adeoqve somniare Jhudæos, qvi *Danieli* visionem veriq; Prophetæ titulum concedere dedignantur.

§. 4. Qvar-

§. 5. Qvartò occurrit *auditorium* Isaiæ, his designatum verbis: על־יהודה וירושלם qvæ sive reddas *super Jhudah & Jruschalem*, cum Hieronymo & Münstero, s. *ad* cum Vatablo, s. *de* cum Symmacho & Luthero, s. *contra* cum LXX. & aliis, in re ipsa non dissentientibus, nobis non adeo refragaris; qvanqvam particula על primam qvartamqve significationem potissimùm admittit. Non verò generatim modò *regnum Jhudæ*, sub qvo & tribus *Benjamin* continetur; sed & speciatim pars Jhudæ *Jruschalem* hîc nominatur, idqve operæ pretium erat: *Jrusalem* enim non tantùm caput & metropolis Jhudæ totiusqve Palæstinæ, ubi & Regum Jhudæ sedes, & DEO ignis ac caminus, Isai. 31. ult. & domus DEI erat Psal. 122. ult. ad qvam proinde urbem peculiari ratione spectabant, qvæ regno Jhudæ accidebant: sed & corruptissima pars regni aliisqve peccandi exemplum erat, de qvo proinde statim cap. 1. 21. liqvidæ apud Prophetam qverelæ extant. Non ergo Gentium orbi, neqve regno *Israel* s. 10. tribuum, (qvod & *Samaritanum* dicitur à *Samaria*, Regum istorum sede, vel *Ephraimiticum* à tribu, in qva regni istius Metropolis *Samaria* fuit sita) sed *regno Jhudæ* & *metropoli* ejus *Jruschalem* peculiariter & principaliter à DEO destinatus erat Propheta & Doctor Isaiah, qvippe cujus Reges tantùm & qvidem qvatuor, primo hoc versu memorantur, uti contrà his ipsis qvatuor Jhudæ Regibus in principio Prophetiæ *Hoseæ* (qvi adeo σύγχρονος Isaiæ fuit) Rex qvoqve Israël *Joboam* additur, eò qvod Hoseas regno Israël s. Ephraimitico peculiariter destinatus eidemq; promeritum annunciaturus excidium esset. Etiamsi verò & noster ejusdem regni Ephraimitici c. 7. 8. c. 9. 8. 9. & aliorum qvoqve regnorum urbiumq; exterarum exscisionem parte secunda sub titulo משא vid. Isai. 13. 1. & seqq. prædixerit, imò & gentium conversionem vaticinatus passim fuerit; manet tamen Propheta peculiariter regno Jhudæ urbiqve Jruschalem destinatus: Vel, uti *B. Varenius*

hic loqvitur in Prodr. Comment. p. 20. *Isaiæ vivâ voce docenti prima cura fuit Jhuda & Jruschalem : secunda Ephraim : tertia gentes.* Inde est, qvod in hac inscriptione non nisi *Jhuda & Jruschalem* nominantur. Siqvidem & in titulis ea tantùm proponere & sacræ & profanæ solent historiæ, qvæ potiora sunt; Qvanqvam & extranea isthæc ad Jhuda & Jruschalem ratione non omnino nullâ pertinebant : siqvidem illa omnia propter *Jhudæos* & *Hierosolymitanos* vel informandos vel reprehendendos vel erigendos vel excitandos Propheta est vaticinatus.

§. 6. Tandem & (5.) indagandum est *tempus, qvo* & *qvamdiu* munere is Prophetico functus fuerit? *Prior* qvæstio, *qvo tempore* dixerit noster ac scripserit? satis claret non tantum ex seqq. tituli verbis : *in diebus Usiæ, Jothami, Achasi, Jchiskiæ, Regum Jhudæ;* sed ex ipso qvoqve Isaiæ libro, qvippe in qvo diserta etiam qvatuor horummet Regum mentionem habet, & qvidem caput 6. v. 1. meminit anni *mortis Usiæ*, ex qvo colligunt, qvinqve priora capita tempore *Usiæ* esse scripta, & caput 6. tempore *Jothami* filii ejus. Porro caput 7. v. 1. nominat *Achasum*, filium *Jothami*, iterumqve caput 14. (15.) mentionem habet anni mortis ejusdem *Achasi.* Unde conjicitur, caput 7. & seqq. usqve ad 15. sub Achaso esse publicata ; reliqva verò à c. 15. usq; ad 40. sub Chiskia, cujus historiam orditur c. 36. 1. consignata esse censent Autores; qvanqvam de ultimis 26. capitibus hæsitant, an ad Chiskiæ, an v. filii ejus Mnassis tempora sint referenda? Nos minimè ad Mnassis tempora putamus referenda, cum neqve in hac inscriptione, neqve in ipso codice Isaiano, ulla Mnassis sed horum tantùm 4. Regum Jhudæ fiat mentio, qvorum certè historia, pro majori intellectu prophetiæ & ipsius Jhudææ status sub Isaia, ipsius Lutheri consilio (qvod in German. præfatione videatur) legi & cognosci ex l. 2. Regum à c. 14. ad 21. & l. 2. Chron. à c. 26. ad 33. meretur. Cum verò ignotum sit non tantùm qvo regiminis Usiæ

anno

anno Isaias vaticinari cæperit, sed & qvo regiminis Chiskiæ anno desierit, hinc *posterior* qvæstio de *ætate* ejus *Prophetica*, seu *qvamdiu munus & onus Propheticum gesserit?* præcisè qvidem definiri neqvit; dicimus tamen (1.) *infallibiliter* illam ejus ætatem Propheticam extendi per 47. annos, ab anno sc. mortis Regis Usiæ (ceu videre est Isai. 6. 1.) per 16. annos regiminis filii ejus Jothami, vid. 2 Chron. 27. v. 1. totidemqve Achasi vid. 2. Chron. 28. 1. usqve ad annum 14. regni Chiskiæ, qvi certè annus tum singulari ampliationis vitæ Chiskianæ beneficio, vivente & florente Isaia impetrato, tum insigni legatione Babylonica conspicuus valde est, vid. Isai. 38. 5. 38. c. 39. 1. 2 Reg. 20. 6. Qvo ipso tamen nec anni antecedentes nec seqventes à nobis excluduntur. Dicimus enim (2.) *probabiliter* ad 64. annos ætatem illam excrescere, si calculo præterea nostro ab eodem mortis Usiæ anno, descendamus per reliqvos qvindecim Chiskiæ annos gratiosissimè à DEO additos Isai. 39. ad ipsa regni *Mnassis* filii Chiskiæ initia, carnificinis Sanctorum (cum qvibus & Isaias putatur occisus) notata 2 Reg. 21. 16. vid. *Calvinus* Comment. in Isai. p. 3. & ex eo *Marloratus* p. 6. Siqvidem scriptura non meminit, Isaiam statim post promissam vitæ Chiskianæ ampliationem è vita excessisse. Tandem & (3.) *non temerè* diceretur, illam ætatem Propheticam ad annos omnino 114. extendi posse, modò cum Kimchio aliisqve ad initia qvoq; Regni Usiæ s. Asariæ (qvi annos regnavit qvinqvaginta duos 2 Reg. 15. 2.) ascendamus. vid. *B. Varen.* Prodr. Isai. p. 9. Non enim propter locum Isai. 6. 1. ad annum mortis Usiæ exordia Prophetiæ ejus alliganda esse judicamus: siqvidem Isaias non tantùm posteriorum temporum Usiæ, sed & priorum historias consignasse perhibetur 2 Chron. 26. 22. Neq; mirum esse debet, censente *B. Varenio* l. c. Isaiam tot annos vixisse; qvanqvam *Musculus* in Comment. p. 9. dubium inde movet, qvod certitudo hujus rei non extet: unde simpliciùs statui arbitra-

tur, illum neqve in principio regni Usiæ, neqve tempore mortis ejus, sed circa medium cœpisse prophetare, cum sc. animo is elato templum ingressus incensum adoleviſſet 2 Chron. 26. 16. Eodem *Calvinus* qvoq; l. c. videtur collimare, dum certam ferè rationem esse dicit, eundem supra illud annorum 64. spacium decem adhuc annis prophetasse.

LOC. II. JSAI. I. 5. 6.

Totum corpus Regni Jhudæ percussum & ægrum.

POst generalem Prophetiæ *inscriptionem*, Isaias primâ statim oratione vehementissimum qvidem *elenchum* toti populo Jhudaico, sub nomine *Israel* proponit, de *Israele* sc. tum per nefanda planè *crimina* s. *culpas*, tum per sumas omnino *plagas* s. *pœnas corrupto*, usqve ad v. 10. elencho tamen *consilium* mox de *Israële emendando* ita subjungit, ut non modò *falsum emendationis modum*, per cultum sc. hypocriticum & sacrificia sine pœnitentia rejiciat à v. 10. ad 15. sed & *verum emendandi medium*, qvod est *pœnitentia*, exponat, à v. 16. ad 30. deinde verò idem qvoqve argumentum speciatim ad *metropolin Jruschalem* applicare DOMINI jussu non pigretur. Nobis tam circa *elenchum*, qvam circa *consilium* nonnulla in hac dissertatione loca illustrare adlubescit. Et qvidem hac vice circa locum, de *toto corpore regni Jhudæ pœnaliter corrupto & ægro*, qvi in fonte sic habet: כל ראש לחלי וכל לבב דוי: מכף רגל ועד־ראש אין־בו מתום i. e. *totum caput ægrum & totum cor langvidum. A planta pedis usq; ad caput non est in eo integritas*, tria erunt breviter tractanda: 1. *sensus* loci indagandus. 2. *usus* ejusdem indicandus. 3. idem ab *abusu* vindicandus.

§. 2. Circa *sensum* loci præcipua hîc qvæstio est, *an sensu literali* h. l. de *corpore humano ejusqve morbo* spirituali s. criminali, nempe *peccato*; an verò de *corpore politico* sc. regno Jhudaico, ejusqve *corruptione pœnali*, sc. percussione & plagis, justè à DEO inflictis, agatur? Prius placet qvibusdam, tali hunc locum

locum paraphrasi exponentibus: *vos jam corpori putrido & fatido similes estis, in quo nihil sinceri aut integri supereſt. Vigent scelera & flagitia inter vos, quorum contagione nihil non corruptũ eſt*, prout *Calvinus* illam qvidem sententiam & paraphrasin allegat, non tamen suam facit, sed potius refutat. vid. Coñent. ejus h. l. p. 9. Contrà *Forsterus*, Theologus qvondam Witteb. Comment. in Isai. h. l. p. 26. eandem fovet statuens, proponi h.l *graphicam peccati originalis descriptionem, qvod nihil aliud sit, qvàm fœda & horrenda totius hominis corruptio & omnino talis, qvalis hic distingvitur.* Unde & ibid. in Locum Comm. de *peccato orig.* excurrit, illumqve ex h. l. illustrat, imò & omnibus ipsum adversariis opponit. Eidem qvoqve *Thilo* favere deprehenditur in *Medull. V. T.* h. l. p. 782. Nec dissentire *Chaldæus Paraphrastes* videtur. Qvid? qvod locus hîc non rarò citari pro concione auditur, ad probandam scil. qvæst. illam: *an natura hominis peccato origin. profundissimè sit corrupta?* Licet verò & nos qvæstionem hanc cum Artic. 1. Form. Conc. affirmemus; negamus tamen ex literali hujus loci sensu illam probari: reclamat enim *evidentia contextus*, qva certè inducti posterius affirmamus.

§. 3. Primò enim concio Prophetæ elenctico-pœnitentialis præcedente vers. 3. & 4. contra gentem & populum tanqvam corpus politicum dirigitur: *Populus meus non cognoscit. Væ genti* &c. Mox (2.) idem populus seqv. v. 5. (ex qvo locus noster desumtus) tanqvam *pœnaliter maximè corruptus* frustraqve adhuc percutiendus, per interrogationem, cum vehementi hominis indignabundi & post interrogationum paulisper tacentis, affectu *reprehenditur* his verbis: עוד תכו על־מה i. e. *super qvid* (ad qvid, qvare) *percutiemini adhuc?* q. d. frustraneæ sunt ulteriores plagæ. Vel: *in qvo*, in qva parte, *percutiemini amplius?* q. d. nulla species plagarum supereſt, qvæ immitti, nihilqve in vobis, qvod amplius percuti qveat (qvia, ut paulò

pòst pergit, totum caput, cor ægrum &c.) Dehinc v. qvasi capite percusso (ut solent irati) ambasqve manus projiciendo pergit: תוסיפו סרה i. e. *addetis aversionem*, alii: *perversitatem, contumaciam, defectionem* (prior versio סרה tò format à R. סור *recessit*; posterior à R. סרר *perversus, contumax fuit, defecit*) q. d. perversitatem perversitate cumulando, durabiles vobis plagas augetis. (3.) Post illam *increpationem*, de *percussione divina populo Judaico* justè qvidem sed frustra hactenus *inflicta*, in præcedentibus & priori qvidem qvinti versus membro DEI nomine propositam, statim recenset & exponit Propheta *plagas* Regni Jhudæ & qvidem tum allegoricè, tum verbis qvoq; propriis. (1.) *allegoricè* & sub statu personali in loco nostro v. 5. & 6. h. e. per *comparationem* populi regniqve percussi cum *corpore* lamentabili & undiqvaqve ex *morborum, vulnerum, livorum plagarumqve purulentarum* fæditate ad horrorem usqve misero & afflicto. Scilicet *totum*, inqvit, *caput* לחלי *ægritudini* sc. expositum sive obnoxium, vel: *in ægritudine* h. e. ægrum est. Malè ergo Vatablus: *ad infirmitatem dispositum*: non enim de *dispositione* ad infirmitatem, sed de *totali* & *lethali ægritudine* sermonem hîc esse, subseqventia commonstrant. Post *caput*, notans *Regem*, meminit præcipuarum corporis partium, *cordis* & *pedum*, ut intelligamus, non *capitis* tantum sive *Regis* illam esse percussionem sive plagas divinitus immissas: sed & *optimatum & prudentum* tam Ecclesiasticorum qvàm Politicorum, tanqvã *cordis*, imò & *populi omnis* tanqvam *pedum*, adeoqve in toto regno tanqvam *corpore, à planta pedum* usqve *ad verticem* i. e. ab infimis usqve ad summos, *nihil integrum*, sed corpus ejus & statum universaliter (כל־) corruptum, afflictum, & undiqvaqve *morbis, vulneribus, livore, vibicibusqve* miserum & lamentabilem. (2.) *verbis* qvoqve *propriis* illam corporis ægritudinem seqq. v. 7. 8. 9. exponit de *regni Jhudæ & filiæ Zion plagis, illasqve distingvit in plagas* 1. *terræ* (territorii, regionis) 2. *urbium* 3. *agrorum.*

rum. Terra vestra (Jhudæa) *desolatio est &c.* Ita ergo tam præcedentia qvàm consequ., satis ostendunt, hunc locum *literali sensu* agere de *corpore* Regni Jhudæ ejusqve afflictionibus sive *morbo* pœnali & statu afflictissimo. Contextui (2.) succenturiamus *loca*, qvibus eandem allegoriam de *corpore politico* non tantùm Prophetæ nostro alibi, sed & aliis scriptoribus placuit adhibere. Conf. Isai. 7. 20. c. 9. 14. 15. Deut. 18. 13. 44. &c. Addimus (3.) *autoritates. Franzius* enim Oraculo 56. non tantùm ostendit, de peccatis qvidem à v. 2. usqve ad 4. inclus. de *pœnis* verò à v. 5. usqve ab 9. sermonem esse; sed ad *Lutheri* qvoqve explicationem provocat, qvi ita habet: *Placet allegoria, ut significet, se caput i. e. Principes, & cor i. e. Sapientes, & reliqvam corporis partem usqve ad plantas, i. e. plebem graviter afflixisse, & tamen nihilo meliores eos reddi.* vid. *Lutheri* Comment. in Isai. T. 3. lat. Jen. p. 287. Consentit qvoqve *J. Tarnovius* in Exerc. Bibl. p. m. 339. item *Varenius* Comment. in Isai. h. l. p. 24. Eandem qvoqve sententiam calculo probat suo *Calvinus* in Comment. super Isai. p. 9. *Musculus* in Comment. Isai. p. 18. & *Marloratus* Comment. p. 5.

§. 4. Ubi tamen qvin moneamus facere non possumus, Prophetam hîc literali qvidem sensu, de *corpore politico* agere & *plagis* ejus s. *pœnis*; non verò de *corpore humano* & corruptione spirituali, qvæ fit per peccatum, ceu hactenus probatum; posse tamen hunc locum per *accommodationem* ad peccatum applicari, cum in literali sensu probabile habeat fundamentum; sub qva conditione accommodationes mysticæ s. spirituales admittuntur, cum sic *oblatæ* sint, non *contortæ*. Nam pœnæ supponunt peccata, & propter peccata infliguntur, imò his ipsismet pœnis Synagoga Jhudæorum haut emendari à peccatis & speciatim ab idololatria pronunciatur. Non n. tantùm in gravia peccata, sed & errorem in fide, sc. in idololatriam, qvam Propheta hîc maximè in Jhudæis accusat, prolapsi erant.

Talis autem sensus accomodatius, qvi pro concione interdum affertur (ceu loqvitur *Kromajerus* in Theol. pos. pol. Art. 17. de S. Cœn. p. 923.) non probationis sed illustrationis gratiâ afferri solet & eo usqve admittendus est.

§. 5. *Usum* loci, in Artic. de *Ecclesia* & qvidem in qvæst. Antipapistica: *an Ecclesia visibilis tota deficere à vera fide ad falsam & obscurari qveat*, dari contendunt *Prüknerus* in Vindic. h. l. p. 2. & ex eodem *Thilo* in Medull. Theol. V. T. h. l. p. 782. cum h. l. de Jhudæis conqveratur Propheta, qvod à *planta pedis usq; ad caput* i. e. ab infimo ad summum tempore suo in Ecclesia non habitum sit aliqvid sani, imò & *cor ipsum* i. e. Sacerdotes ac Prudentes, adeoqve summi, medii & infimi fuerint ægroti. Cum verò is usus non ex literali sensu; sed tantùm ex dicta modò accommodatione loci fluat, de illo nunc brevitatis ergo nobis adeo solicitis esse non licebit.

§. 6. *Abutuntur* autem hoc loco (1.) *Sociniani* in eodem de *Ecclesia* Articulo, & qvidem in qvæstione illa: *an vera* (universalis) *Ecclesia penitus posset in hac mundo interire, an verò perpetuò sit duratura?* qvam qvoad prius illi affirmant, qvoad posterius negant. Conf. *Scherzeri* Colleg. Anti-Soc. Disp. 121. p. 978. 995. Inter alia verò ad experientiam & hunc locum provocant, qvo tota Ecclesia Jhudaica dicitur interire, cum Isaias conqveratur, *totum caput & cor esse langvidum, à planta pedis &c.* (2.) *Flaciani* in Artic. de *Pecc. Orig.* & qvidem in qvæstione: *an P. O. sit ipsa hominis substantia?* qvam nos juxta Artic. I. Form. Conc. negamus; illi verò affirmant hac ratione, cum *peccatum verbis substantialibus, capite, corde* h. l. describatur. Sed Resp. (1.) *Socinianis* & *Flacianis* generatim, sensu literali h. l. non humanum sed politicum intelligi corpus, neqve de peccatis sed de pœnis, vel plagis agi, qvibus regnum fuit Jhudæorum ita percussum, ut à planta pedis &c. non fuerit integritas, uti suprà ostensum. Resp. (2.) speciatim Socinianis: Posito hinc

seqvi

seqvi vel etiam hîc dici, totam Ecclesiam Jhudaicam interiisse; non absolutè tamen sed comparatè vel limitatè id esse intelligendum, ut scil. comparatione impiorum ad pios institutâ, tanta horum fuerit paucitas & illorum multitudo, ut vix boni apparuerint, adeoqve universus qvidem populus sit reprehensus, nonnulli tamen adhuc boni fuerint reliqvi, ceu concluditur ex seq. v. 9. ubi dicitur: *nisi Dominus Zbbaoth superesse fecisset nobis residuum (reliqvias) secundum exiguum, sicut Sdom fuissemus, Amoræ similes essemus.* Hoc enim *residuum* & *exiguum* LXX. & Apostolus ad Rom. 9. 29. per *semen* interpretantur. Nonnulli enim servabantur ad propagationem Ecclesiæ credentium populiqve illus ex qvo nasciturus erat Messias. Et qvid qvæso exiguum magis, qvàm *semen*, inprimis *sinapi?* Matt. 13. 32. Unde & idem Apostolus ibid. nonum hunc cap. 1. versum, ut & parallelum Isai. 20. 21. pro *vocatione* & *electione Jhudæorum qvorundam ad Ecclesiam Christi* allegat adeoqve sensum loci hujus mysticum revelat, qvi tamen l. c. jam in literalem transit. Resp. 3. *Flacianis*, si vel maximè totũ corpus & cor hîc diceretur spiritualiter & criminaliter ægrum, id tamen non de *substantia* corporis, &c. sed de *qvalitate* intelligendum esse, cum subjecta in scripturis sæpe pro accidentibus ponantur, ceu *Flacius* ipse docuit, part. 2. Clav. Script. tract. 5.

LOC. III. JSAI. I. 10. - 15.

De

Sacrificiis aliisqve cultibus Jhudæorum DEO sine pœnitentiâ abominabilibus.

AB *elencho* in Jhudæos criminaliter impuros & propterea percussos ac pœnaliter ægros, hactenus viso, progreditur Isaias ad *consilium* de *mediis emendandorum* Jhudæorum, & in illo tum *falsum* emendationis *modum* rejicit, tum *verum* emendandi *medium* exponit. Prius nempe *falsum* emendationis *modum*, per *cultum* sc. *hypocriticum*, speciatim *sacrificia*

sine pœnitentia t. t. offerri à Jhudæis sveta, hoc in loco rejicit dicendo: *Audite verbum Domini principes Sodomæ* &c. *ad qvid mihi multitudo Sacrificiorum vestrorum* &c. in cujus porro *sensum* inqviremus ac deinde *usum* annotabimus. Cumqve loci summarium sit *Cultus Jhudæorum DEO sine pœnitentia abominabilis*, proinde tria qvoad *sensum* ejus evolvenda sunt, 1. *subjectum* s. cultus ipse, qvi h. l. rejicitur 2. *prædicatum*, qvàm abominabilis ille DEO fuerit 3. abominationis *incentivum*. Qvibus breviter evolutis *qvæstiones* mox Critico-Exegeticas pro majore loci intellectu subjungemus.

§. 2. Ad I. sc. *subjectum* s. cultum ipsum pertinent 1. *Sacrificia* 2. *feriæ* 3. *preces*. *Primum* sc. *sacrificia* (à qvibus Propheta orditur, cum illis potiorem divini cultus partem tribuerent) variè exprimuntur: 1. dicuntur *multitudo sacrificiorum*: videntur intelligi sacrificia pacificorum, gratiarum actionis &c. 2. *holocausta arietum*, sic dicta Græcè, qvod *tota* fuerint *combusta*; In Ebr. dicuntur עלות i. e. *ascensiones*, propterea qvod cum flamma sursum adscendere ad DEUM viderentur. 3. *adeps saginatorum*, qvi DEO reservabatur, tanqvam portio ejus, Lev. 3. 15. 16. 4. *Sangvis boum & agnorum & hædorum*, qvi ceteroqvi typus erat sangvinis Christi ad propitiationem fundendi. 5. *Mincha* s. oblatio, qvæ in odorem qvietis Domino qvotidie, Sabbatho &c. cremabatur, Luth. Speißopffer. Unde 6. additur *suffitus* s. incensum. Similiter *secundum* sc. *feriæ* harumqve celebratio variè exprimitur, 1. dicitur *venire ad videri faciebus Domini* s. comparitio coram Domino 2. *calcatio atriorum Domini*. 3. *novilunia* i. e. primus dies in noviluniis. 4. *Sabbathum*. 5. *convocatio convocationis* h. e. cœtus. 6. *maxima solennitas* 7. *feriæ statæ*, anniversariæ, qvibus intelligit solennitates Paschæ, Pentecostes & tabernaculorum. Tandem *tertium* sc. *preces*, exprimitur 1. per *elevationem manuum* 2. per *multitudinem precationis*.

§. 3. Ad *prædicatum* verò pertinet cumulus seqventium summæ

ſummæ indignationis divinæ vocabulorum (1.) *ad qvid mihi* ſc. prodeſt? cui bono, ſacrificiorum veſtrorum multitudo? v. 11. (2.) *ſatur ſum* holocauſtorum ibid. (3.) *non delector* ibid. neqvaqvam volui nec volo. (4.) *qvis reqviſivit hoc de manu veſtra?* v. 12. (5.) *non pergatis offerre* v. 13. (6.) *vana* offertis, ibid. (7.) *abominanda* oblatio mihi eſt, ibid. (8.) *non pergatis convocare cœtum* ibid. (9.) *non poſſum iniqvitatẽ* ſc. cultus hypocritici in ſolennitatib⁹, ferre, ibid. (10.) *anima mea odit* h. e. odi ex animo v. 14. (11.) *facta ſunt mihi oneri*, ſ. moleſtiæ ſc. feſta, veſtra ibid. (12.) *defatigatus ſum ferre* i. e. ferendo ſc. illa, ibid. (13.) *abſcondam oculos à vobis* v. 15. ſc. tanqvam à re abominanda, (14.) *non ego audio* ſc. vos, ibid. Ecce qvantus vocabulorum ſummæ indignationis & averſationis cumulus hîc copulatus!

§. 4. Tandem III. ad *incentivum* abominationis hujus non tantum pertinet *clauſula* ἀνθολογικὴ v. 15. ſed eodem referri qvoqve poteſt *exordium* elenchi hujus novi v. 10. Nam in *exordio* principes Jhudæorum appellat *principes Sodomæ* & ſubditos *populum Amoræ*, per Ebraiſmum i. e. tales qvi Sodomitis & Amoræis malitiâ & operibus ſunt comparandi. Conf. *Glaſſ.* l. 3. Phil. Sacr. Tr. 1. can. 30. n. 8. Conſentit *Chaldæus* Paraphraſtes. In *clauſula* verò de iisdem ait, qvod *manus ipſorum ſangvinibus ſint plenæ*. Qvæ ἀνθολογία non modò ad proximè præcedentem precum rejectionem, ſed ad univerſam qvoqve ſacrificiorum, feriarumqve reprobationem referenda videtur. Non enim putandum eſt, aliam ob cauſam Jhudæorum ſacrificia feriasq; eſſe rejectas & ob aliam oculos DEI ab illorum precibus eſſe abſconſos. Per *ſangvines* verò intelliguntur non tantùm *homicidia*, ſed & iniqvitas, qva pauperum & innocentium bona, unde vivere dedebant, fraude vel violentiâ ſurripiebantur. Nam qvæ ſangvine vel ſudore vel cum diſcrimine qvodam ſunt parta, ſangvis vocantur in ſcripturis. vid. 2. Sam. 23. 17. &c. His ergo *manibus*, violentiâ & fraude plenis, defectum fidei in Meſſiam

Messiam s. pœnitentiæ, sine qvibus sacrificia omnisqve cultus DEO abominabilis est, sic satis prodebant.

§. 5. Cognitis sic loci *subjecto*, *prædicato* & *incentivo*, jam ulteriùs *qvæstiones* qvædam circa eadem sunt expediendæ? Qværitur adeo (1.) *generatim, an sacrificia, feriæ & preces hîc per se accepta intelligantur & simpliciter â DEO rejiciantur* adeoqve locus hic aliis scripturarum locis contraveniat, qvibus olim DEUS maximoperè sacrificia, festa & preces reqvisivit? Resp. negando utrumqve. Non enim simpliciter dicit: *ad qvid mihi multitudo sacrificiorum?* nec ait: qvis *reqvisivit hoc?* sed addit: *sacrificiorum vestrorum, de manibus vestris* &c. Proinde secundum qvid & per accidens hæc sunt accipienda: negat enim se à *talibus* reqvisiviisse & *talium* sacrificia & cultus sibi placere. Qvales verò fuerint, qvorum *sacrificia* ferias & preces DEUS hîc detestatur, patuit jam ex *incentivo* abominationis. Ex qvibus adeo claresci, sermonem hîc esse de sacrificiis aliisqve cultibus, qvi destituuntur offerentium & templa freqventantium precesqve fundentium pœnitentiâ. Conf. Prov. 15. 8.

§. 6. Qværitur (2.) *Speciatim* ad v. 11. an vox שבעתי i. e. *satur sum*, referenda sit ad præced. membri incisum, ita ut responsio sit ad qvæstionem illam præced. *ad qvid mihi multitudo sacrificiorum vestrorŭ? satur sum*; An verò ad seqq. h. l. *satur sum holocaustorum* vestrorum? *Vatablus* affirmat prius; nos verò juxta fontem posterius: accentus enim Dux *Tbhir* in verbo שבעתי minùs distingvit qvam Rex *Tipcha*, ita qvidem ut & vocem, qvam distingvit, subordinet voci, qvam Tipcha occupat, qvæ h. l. est vox אילים *arietum*. Rectè ergo hîc Lutherus.

§. 7. Qv. (3.) ad v. 12. qvid sibi (*a*) velit רמס חצרי qvod Luth. reddit: Daß ihr auff meinen Vorhoff tretet? (*b*) cum *venire* ad templum Domini & calcare atria ejus, sit *pedum* opus, qvare hîc *manuum* fiat mentio cum dicitur: *qvis reqvisivit hoc de manibus vestris?* (*c*) qvomodo totus hic versus cohæreat? Resp.

Resp. ad (*a*) cum verbum רמס non simpliciter & obiter *calcare* significet, ut *ambulare* verti possit (qvomodo LXX. & Vulg. verterunt) sed *proculcare*, *proterere*, *conqvassare*, conf. 2 Reg. 7. 4. à fin. & ult. & c. 9. 5. à fin. Isai. 5. 5. c. 16. 4. &c. hinc innuere DEUS h. l. videtur, non tantùm nihil sibi commodi à convenientibus accedere, sed & damnum inferri, sc. atriorum suorum proculcationem & protritionem, חצרי in plurali: nam atria erant duo, Sacerdotum sc. ac populi 2 Chron. 4. 9. Videtur ergo DEUS tam Sacerdotes qvàm populum reprehendere, qvod nihil faciant aliud cum pecoribus sacrificiorum coram DEO comparentes, qvã qvod atria Domini offerentes & accipientes sacrificia, multitudine hominum & pecudum, proterant. Unde & apparet, qvid ad (*b*) sit respondendum de *pedibus* ac *manibus*, in verbis: *qvis reqvisivit hoc de manibus vestris, ut conculcetis atria mea?* Scilicet his verbis adhuc respicit ad multitudinem victimarum, qvæ ab iis, qvi comparebant coram Domino, ad sacrificandũ offerebantur; Unde & ulterius responsio ad (*c*) patebit: Scilicet hunc versum non ita esse reddendum, ut juxta qvosdam verba transponantur & posteriora cum prioribus conjungantur h. m. *cum venitis ad comparendum coram me, calcare atria mea, qvis reqvisivit hoc de manu vestra*: Talem enim transpositionem accentuatio non permittit, qvæ post verba: *cum venitis ad videri faciebus meis*, magnam facit distinctionem; sed convenientiùs ita reddi & exponi: *cum venitis ad comparendum coram me* (sc. cum muneribus vestris) *qvis reqvisivit hoc de manu vestra* (sc. multitudinem pecudum ad mactandum & sacrificandum) *ad proculcanda atria mea?*

§. 8. Qv. (4.) ad v. 13. de verbis לא תוסיפו הביא מנחת־שוא an rectè se habeant versiones, qvæ voces מנחת־שוא disjungunt, ita ut שוא *adverbialiter* significet? qvomodo inter alios Vulgatus reddit: *ne afferatis ultra sacrificium frustra.* Resp. (1.) Negando: nam in fonte vox מנחת est status constructi, adeoqve regimen imò & lin. maccaph arctè illas voces conjungit adeoqve reddendæ sunt per *oblationem vanitatis*, ut utraqve sit substantivum, qvod observavit

vavit *Arias Mont.*; qvanqvam nec *Pagninus* malè posterius vertit per adjectivũ: *oblationem mendacem*, cum Ebraismus talem admittat expositionem (2.) in verbis qvoqve לא תוסיפו h. e. *ne addatis*, datur Ebraismus satis freqvens, qvo verbum *addendi* explicandum est per *iterum* vel *pergere* Conf. Gen. 4. 2. &c.

§. 9. Qvær. (5.) ad eundem versum 13. de seqq. verbis: קטורת תועבה היא לי an scil. LXX. Vulg. Pagn. & Germanica rectè verterint h. m. *incensum* (suffitus) *abominatio est mihi*, ita ut vox prima קטורת *suffitus* sit *subjectum?* Resp. negando: nam prima vox potiùs est pars prædicati & tam accentu conjunctivo *Darga* ministro Ducis *Tbhir*, qvam regimine, cum seqv. voce תועבה i. e. *abominationis*, qvæ Ducem illum *Tbhir* habet, jungitur, adeoq; ab illa minimè separanda est, prout versiones illam separarunt, ita ut ex *suffitu* fecerint subjectum & ex *abominatione* prædicatum; sed subjectum *propositionis* hujus parentheticæ est pronomen הוא *illa*, qvod respicit præcedens nomen מנחת s. *oblationem*, qvod itidem accentuatio docet: Unde incisum hoc ita rectiùs vertitur: *illa* (oblatio) *est mihi suffitus abominationis*. Accentuationi suffragatur *ipsius rei convenientia:* nam *Mincha* strictissimè sumtum s. *oblatio* (Luth. Speißopfer) qvæ h. l. dicitur *suffitus abominationis*, erat sacrificii genus, qvod præcipuè fiebat ex simila & puriore farina, eiqve oleum cum thure affundebatur DEOqve per ignem offerebatur in odorem qvietis Lev. 2. 1. seqq. Licet ergo *Mincha* in se aromaticum gratumqve naribus esset; putidum tamen aliqvid hîc naribus DEI aspirabat, cum à sordidis impiorum manibus fætorem contraheret.

§. 10. Qv. (6.) ad eundem vers. 13. de seqq. posterioris membri verbis: חדש ושבת קרא מקרא qvomodo sint vertenda, & qvorsum referendus sit *infinitivus* קרא *vocare?* an rectè habeant versiones: *Neomeniã & Sabbathum & festivitates alias non feram*, qvæ Vulgata, qvi LXX. seqvitur? An v. rectius à *Vatablo infinitivus* קרא *vocare* reddatur per *futurum*, vel à *Piscatore* per *Gerundiũ in vocando*, ac si קרא pro בקרא diceretur? vel an subintelligatur pronomen באשר h. e. *in qvibus* h. s. *novilunia & Sabbathum, in qvibus convocatis cœtus non possum* ferre, qvod pronomen videtur *Lutherus* subintelligere vertens: Der Neumonden und Sabbath/ da (darin) ihr zusamen komt/ der mag ich nicht. &c. Nobis hic commodiùs & simpliciùs statuitur *ellipsis* verborum hoc ipso versu præcedentium לא תוסיפו i. e. *non pergatis*, qvæ adeo repetenda hîc sunt לא תוסיפו, qvia incisum proximè præcedens parentheticum est, atqve ita infinitivus qvæstionis קרא *convocare*, commodissimè cum repetendo illo futuro: *non pergatis*, ita constituitur: *non pergatis*, inqvam, *in novilunio & Sabbatho convocare convocationem* (cœtum) Conf. *Lud. d' Dieu* in animadv. h. l. Plura verò talis Ellipsios exempla vide in *Glassii* Gramm. Sacr. l. 4. Tr. 2. Obs. 9.

§. 11. Qv.

§. 11. Qv. tandem (7.) ad eundem v. 13. de ultimis ejus verbis: לא־אוכל און ועצרה qvomodo sint vertenda? an rectè Vulgatus: *non feram, iniqvi sunt cœtus vestri.* Luth. und Müh und Angst habet/ der mag ich nicht &c. Resp. (1.) perperam in qvibusdam neglectum esse accentum dist. Regem *Sakephk.* in præced. voce מקרא & acc. conjunctivũ *mercha* in seq. לא־אוכל propter qvos adeo voces hæ seqventes לא־אוכל i. e. *non possum*, construi cum præcedd. non possunt, sed *cum* seqq. debent. Errat ergo *Vatablus*, & ex eo *Marloratus* Comm. in Isai. p. 9. dum reprehendit qvi vertunt: *non possum iniqvitatem*, & illud: *non possum*, præcedenti rectiùs jungi dicit. Resp. (2.) τὸ לא־אוכל vel reddendum per: *non sustinebo*, ut Ps. 101. 5. vel denuo dandam hîc *ellipsin* esse alicujus verbi, qvalis & datur Jerem. 20. 9. & 1 Cor. 3. 2. Omissum autem videri infinitivum *ferre*, prout plenius extat Jer. 44. 22. Conf. *Wasmut.* Gr. p. 282. Resp. (3.) Cum און significet *iniqvitatem* & עצרה *maximam solennitatem*, qvalis erat die ultimo Paschatos &c. hinc illis subscribimus qvi vertunt: *non possum* (ferre) *iniqvitatem* & *solennitatem* h. e. solennitatem cum iniqvitate conjunctam, etiamsi maxima sit solennitas. De qvo Ebraismo conf. *Glass.* Gram. Sacr. l. 3. Tr. 1. can. 42.

§. 12. *Usus* loci *Didactico-Elencticus* conspicitur in Artic. de *Bonis operibus.* Colligimus enim ex h. l. (1.) *tantum abesse ut opus sine fide sit verè bonum DEOqve placens, ut etiam DEO sit abominabile.* Si enim cultus sacrificiorum &c. qvos solenniter ipse instituit, DEO fuit abominabilis propter Jhudæorum impuritatem, qvæ de fidei absentia testabatur, certè seqvitur opera qvævis nec verè bona esse nec DEO placere, qvæ sine fide à non renatis & impiis præstantur. Colligimus (2.) *cultus electitios DEO non placere nec bona opera esse*, cum eos non præceperit DEUS. Si enim ipse hîc externa Jhudæorum opera, & cultus à se præceptos tantoperè detestatur dicendo: *qvis reqvisivit hæc de manibus vestris* &c. eò qvod sine pœnitentia, sine fide in Messiam, ex opere operato, adeoq; non eo, qvo reqvisiverat modo, fierent, qvantò magis detestatur *cultus electitios* operaq; non mandata? nam & hæc sine fide fiunt: Fides enim verbo mandati & promissionis nititur, qvo certè cultus & opera hujusmodi destituuntur. Audiant ergo sacrificialem hunc elenchum *Principes Sodomæ Papalis, Sacrificuli &c.*

LOC. IV. JSAI. I. 16. 17. 18.

De vero emendationis medio, pœnitentia.

DEstructo sic *falso* emendationis *modo*, procedit Isaias v. 16. & seqq. ad *positivum*, de *vero* emendationis *medio*, sc. *pœnitentia*, *consilium*, his qvidem verbis: *lavate, mundi estote; removete malum* &c. Qvi certè locus, cum memorabilem planè sententiam habeat, illoqve adversarii variè abutantur, minimè præter-

prætereundus erat. Pro *sensu* ejus notentur (1.) emendationis *præcepta* (2) *promissa* & *effecta*. *Præcepta* partim respiciunt *articulum justificationis*, partim *renovationis*. Ad 1. sc. ad *præcepta* emend. in artic. *Justif.* pertinent duo imperativi רחצו הזכו de qvibus qværitur, *an utrobiqve forma sit activa*, ut reddantur, *lavate, mundate?* & speciatim an posterior הזכו sit á R. med. gem. זכך in *Niphal*, an verò à R. זכה in *Hithpael? B. Varenius* Comm. in Isai. p. 31. negat prius & posterius affirmat, nihilqve notius illo dicit. Sed obstat *accentus occupans penultimam vocis* הִזַּכּוּ ex qvo adeo per Regul. 41. Gramm. Wasm. m. 4. concludimus, vocem *non esse* formæ *activæ in Hithpael* à R. זכה sed *passivæ* in *Niphal* à R. זכך adeoq; reddendã cum Vulg. *mundamini*. Qv. 2. qvomodo fiat mundatio & ad qvid vocibus *lavandi* & *mundandi* respiciat? Resp. per *sangvinem Christi fide apprehensum* 1 Joh. 1. 7. ad cujus adeo παῤῥησίαν præcipuè DEUS respicit dicendo *lavate, mundamini* vid. 1 Pet. 1. 2. eumqve tacitè opponit *munditiei per sacrificia* Levitica & *sangvinem taurorum*, de qvo v. 11. dixerat: *non placet*, conf. Ebr. 10. 6. 7. 10. 22. c. 9. 12. 14. Nec tamen dubitandum, qvin occasionem metaphoræ de *lavando* dederint *manus* Jhudæorum *cruentatæ*, qvas proximè præced. v. 15. exprobraverat, adeoqve nunc lavare illas jubet: *lavate* inqvit, subintell. *vos*, vel *corda* & *manus vestras*. *Deinde* ad emendationem in artic. *renovationis* spectant *præcepta* partim de *fugiendis* abhinc *malis*, cum dicit: *removete malum operum* (studiorũ) *vestrorum* &c. qvibus verbis Propheta exponit, qvalem hîc mundationem intelligat, sc. non externam illam juxta leges Ceremoniales; sed internam *veramqve* adeo *pœnitentiam*, qvam seqvitur, tanqvam fructus, vitæ emendatio. Partim præcepta de *faciendis* simul *bonis*, cum ait: *discite bene facere &c.*

§. 2. Similiter II. *promissa* & *effecta* partim respiciunt *præcepta in Artic. justificationis*, & sunt *status candidæ puritatis hominis mundati* per sangvinem agni DEI, adeo ut virtute ejus judiciũ DEI qveat sustinere, qvod volunt seqq. v. 18. verba: *venite qvæso & concertemus*, ונוכחה i. e. & disceptemus, ceu in judicio, de causa solent: siqvidem in illo DEI judicio peccata homini per *sangvinem Christi fide apprehensum* abluto remittuntur Rom. 3. 23. 24. & qvidem *plenè* & *perfectè*, qvæ *perfecta justificatio* innuitur seqq. verbis: *si fuerint peccata vestra tanqvam coccinum, veluti nix albescent* &c. q. d. Sint peccata licet magna, maxima & æqvè ac purpureus qvidam pannus rubra, nihilominus sicut illa nix & lana, qvam videtis, albescent. Partim deniqve *promissa* & *effecta* emendationis respiciunt *præcepta* in Artic. *renovationis*, & sunt *abundantia bonorum*, qvæ promittitur v. 19. Sed abrumpere hic cogimur. *Usum* loci in Art. de *pœnit.* & *justif.* & *Abusum* in Artic. de *lib. arbit.* & *B. op.* pagina excludit.

Ad

Præstantissimum DN. JOH. MEHNERUM,

In Collegio priv. Theol. disputatorio, Auditorem singulariter industrium,
Jam in Collegio qvoqve ISAIANO,
absolutâ per XXIII. Disputationes primâ ISAIÆ parte,
primam ejus Dissertationem recusam, revisam & auctam defendendo,
publicum industriæ specimen editurum.

ULtimus & primus primâ Tu parte videris:
Ultimus & primus sic in honore pares.
Non *animo* primis es nec virtute secundus;
Sed RE † Vir satis EN, EN! ANIMOSUS ades.
Promtior hinc cathedram firmato pectore scandis,
Promtiùs & nodos solvere, JANE, vales.
Inde mares *animos* ac ausus gratulor isthos,
Et, DEUS hos donis augeat, oro, sacris.
Interea Tu propositum perniciter urge,
Sic *animo* capies præmia digna Tuo.

† JOANNES MENERUS:
Anagr.
EN, EN! RE ANIMOSUS.

Lmq;

A. D. HABICHHORST, D.

NAturale malum, qvo non atrocius ullum,
Qvod caput atqve pedes, membraqve cuncta tenet.
Id nobis præsens Tua Dissertatio pingit,
Illius illecebras & fugere ipsa docet.
Hic Tibi conatus precor ut benè cedat, AMICE,
Atqve fiet studiis utilis usqve Tuis.

Exim. Dn. Ress. grat. f.

JO. FECHT, D.

DUm loca proponis primi tractare Prophetæ,
Et, Vates fuerit qvantus is ipse, doces,
Rem facis egregiam, qvæ laudis puncta meretur,
Et de qvâ meritò grator, Amice, Tibi.
Perge Prophetarum meditari scripta, nec unqvam
Temporis insumti Te pigere potest.
Sed tamen & voveo, cœptis benedicat ab alto,
Qvem celebrat Vates, JHOVA, SALUSQVE DEI!

gratulab. scrib.

M. JACOBUS Burgmann/
Sch. Rost. Con-R.

Gleich

Gleich wie die Biene / wann sie etwas Safft gesogen/
Aus schöner Blumen Blüth / den Honig streuet aus/
Womit sie sehr erqvickt / die welche sie erzogen
Im Winter/ da sie saß betrübt in ihrem Hauß:
So macht Ers auch/ mein Freund/ denn was er hat gefasset
In Greiffswald/ und was ihn der Rosenstock gelehrt/
Wo selbst er jederzeit den Müßiggang gehasset/
Das streut er jetzund aus/ drumb wird er auch verehrt
Von jederman mit Ruhm: die Musen sich ergetzen/
Ein jeder wünscht ihm Glück zu dieses Fleißes Prob/
Sein unverdroß'ner Fleiß wil ihn in Ehren setzen:
Denn wer nach Tugend strebt verdienet Preiß und Lob.
Der schöne Honigs-Safft/ der jetzund von ihm fliesset/
Erqvickt der Freunde Hertz/ der Anverwandten Brust:
Die Frucht der Weißheit/ die in Rostock sich ergiesset/
Bezeugt/ daß stets der Fleiß gewesen seine Lust.
Wolan ich wünsch ihm Glück zu diesem seinem Wercke/
Und wie mir jederzeit sein großer Fleiß bekand/
So wünsch ich ferner Ihm des Höchsten Gnad' und Stärcke/
Daß nach vollbrachtem Fleiß/ er leucht' im Vaterland!

Dieses hat mit flüchtiger Feder dem Herrn Respondenti, als seinem werthgeschätzten Freunde/ zu schuldigen Ehren auffsetzen wollen

ULRICUS DARJES, Rostoch.
S. S. Theol. & Phil. Stud.

Sic cathedras tandem doctas meditaris adire?
Qvas citiùs multò scandere dignus eras.
Multus erit sed jam doctrinæ splendor amatæ,
Et studii fructus jammodo multus erit:
Vatis dum sensus nodosaqve solvere scripta
Mens est, & leges explicuisse sacras.
Pergas Pegasidum sic lausqve decusqve sororum!
Pindi nec dêerunt mollia serta Tibi.

Præstantissimo Domino Respondenti, Conterraneo suo æstumatissimo, gratulabundus hæc scribebat

S. F. WELLE, Colon. Marchic.

(o)

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA,
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
SECUNDA
DE

MONTE DOMUS DOMINI

FIRMITER & EMINENTER CONSTITUTO SIMULQVE CATHOLICO GENTIUM CONFLUXU MIRE FREQVENTATO,
Ex ISAI. II, v. 2. 3. & MICH. IV. 1. 2.

Quam
Auspice DEO-Homine,
Pl. Reverenda FCtate THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S. TH. D. EJUSDEMQ; PROF PUBL. ORD. & CONSIST. DUC. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,
Ad d. XXXI. Dec. hor. mat. 1686.
publicæ collationi Academicæ sistit
MATTHÆUS Müller/ Dantiscanus.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Acad. Typogr.

Impl.

HONORI MEMORIÆQVE
VIRORUM Pl. Reverendorum, Amplissimorum, Clarissimorum Doctissimorumqve,

DN. CONSTANTINI Schützen/

Ad Ædem D. Mariæ ap. Dantiscanos Pastoris meritissimi,

Fautoris & Promotoris observandissimi,

DN. M. FRIDERICI BÜCHERI

Antehac Philos. Prim. & Pract. ibid. P. P. & Reip. Bibliothecarii, nunc ad Æd. Cathar. Ecclesiastæ vigilantissimi,

Cognati & Patroni mei æstimatissimi,

Ut &

DN. CHRISTIANI SCHIRMERI,

Rei monetariæ ibid. Inspectoris ac Censoris accuratissimi,

Consangvinei itidem Fautorisqve honoratissimi,

Exercitium hoc Theologicum

DE

Monte Domus Domini,

In observantiæ γνώρισμα & ulterioris patrocinii ἀπόφλεγμα,
Cum voto omnigenæ felicitatis auxiliiq; à Montibus perpetui,
sacrum esse jubeo

MATTHÆUS MÜLLER, Dantisc.

LOCUS V. JSAI. II. 2. 3.

Mons domus Domini in vertice montium eminentissimè exaltatus simulq; catholico gentium confluxu mirè frequentatus.

Disp. II.

§. 1.

LOcus hic (quem & Micheas, Jsaiæ σύγχρονος c. 4. 1. non tantùm eodem sensu, sed & iisdem penè verbis, eodem qvippe S. Spiritu actus, cui ille concentus imputari debet, proponit; ut adeo Micheas non de alio, qvàm Jesaias, tempore loqvatur, qvicqvid Grotius ogganniat) eximium planè vaticinium de Ecclesia Messiæ ejusqve sublimitate ac gloria comprehendit, pro cujus *sensu* genuino, qvem nonnulli corrumpunt, rectiùs indagando, & *abusu* dehinc faciliùs retundendo, *usuq;* simul cognoscendo seqventes omnino qvæstiones tum de *subjecto* s. monte ipso, tum de *prædicatis*, præcipuè v. *exaltatione* montis, hujusq; *tempore*, *modo* & *effectu* sc. gentium concursu &c. breviter veniunt expediendæ.

§. 2. Qværitur enim (1.) de *subjecto*, qvis scil. *mons* ille *domus Domini*? Judæi literam hîc seqventes corporalem illum montem Zion vel montem templi s. domus Domini intelligunt, de qvo Mich. 3. ult. & 2. Chron. 33. 15. ita n. R. Abarb. libello Maschmia Jeschuah p. 8. זה המוריה שבו נבנה המקדש *Hic mons est Moriah, in qvo ædificatum est sanctuarium*. Sed talia sunt subjecta, qvalia permittuntur à prædicatis. Qvomodo enim corporalis mons Zion vel Moriah in vertice montium fuit constituendus & super colles exaltandus? Et cur gentes tam freqventes & בקבוק s. catervatim, (uti Abarbenel vocem נהרו h.l. exponit) ad hunc montem secundum se essent ituræ? Nonne corporalis mons Zion sicut ager erat arandus & mons templi devastandus juxta Mich. 3. ult. & contrà mons domus Domini, de qvo immediatè seq. c. 4. Mich. v. 1. & hîc sermo est, firmandus erat & exaltandus? *Petrus Galatinus* l. 5. de Arc. Cath. verit. ad objectiones Judæorum respondens, montem hunc ipsum dicit Messiam, ob summam Majestatem ita dictum; verùm mons hîc dici-

tur mons domus Domini. Rectiùs e. *sensu Metaphorico* antitypus montis Zion hic intelligitur, scilicet *Ecclesiæ Messiæ*, Zion illa spiritualis, civitas DEI & Domus DEI, descripta Ebr. 12. 22. 23. seqq. 1. Tim. 3 15. 1. Petr. 2. 6. *non exclusâ* planè *topica Hierosolymitana*: Siqvidem in monte Zion & Hierosolymæ primitus instauranda & exinde per orbem terrarum prædicationibus Apostolorum extendenda erat Messiæ Ecclesia. conf. seqv. v. 3. & Luc. 24. 47. Nec obstat, qvod in verbis proximè seqq. (*Ex Zion lex egredietur*) vox Zion propriè sit accipienda: non enim à scripturæ loqvendi modo alienum est, unam eandemq; vocem in eodem contextu proprie & impropriè occurrere. Nec sine ratione Ecclesia Messiæ mons Zion s. mons domus Domini dicitur, vel eidem assimulatur: sicut enim Deus in monte Zion dicitur habitasse Ps. 47. 2. Ps. 132. 13. 14. ita in Ecclesia & in piis tanqvam spiritualis hujus Zion incolis, à terrenis ad cœlestia adspirantibus Col. 3. 2. Deus habitat & Christus gratiosè regnat Joh. 14. 23. Sicut Zion, cui Regia Davidis superstructa erat, petra fuit immota: ita Ecclesia promissionibus Christi, imò & ipsi Christo, qvi vera est petra & fundamentum Ecclesiæ, innixa, sicut mons Zion in æternum non commovebitur Ps. 125. 1.

§. 3. De hoc a. Monte *prædicatur* & prædicitur: *paratus* (constitutus) *erit in capite* (vertice) *montium & exaltatus præ collibus* (*supra colles*) & qvidem *in posterioritate dierum*. Qværitur ergo (2.) de *tempore* exaltationis montis hujus, qvid scilicet per אחרית הימים s. *posterioritate dierum* designetur? Hic iterum dissentiunt interpretes. R. Kimchi ad h. l. hanc regulam dedit: כל מקום שנאמר באחרית הימים הוא ימות המשיח h. e. *omnis locus, in qvo dicitur, in posterioritate dierum, ille de diebus Regis Messiæ intelligitur.* Et certè Phrasis hæc באחרית הימים sæpius quidē occurrit, imò & multis in locis e. c. Jer. 32. 20. Hos. 3. 5. de illa posterioritate dierum adhibetur, qvæ dies Messiæ & Evangelii includit: Unde & in N. T. tempora Christi dicuntur ἔσχατοι καὶ ἡμέραι Ebr. 1. 1. qvo minùs tamen regulæ Kimchianæ simpliciter subscribamus, non pauca scripturarum loca obstant. Rectiùs ergò de phrasi illa sentiendum est, scilicet notari hac ipsa tempus illud, qvod id, de qvo agitur, insecuturum

sit

est, sive sit ante tempus Messiæ s. post illud, sive sit ipsum tempus Messiæ s. finis seculi, id qvod ex subjecta materia, antecedd. & conseqq. dijudicandum est, uti rectiùs docet Tarnov. ad Mich. 4. 1. Curatiùs igitur hæc phrasis per comparativum *posterioribus*, qvam per superlativum *postremis* vel *novissimis* reddenda est. Qvod verò eadem phrasis h. l. non simpliciter posterioritatem dierum, qvæ tempus illud, de qvo præmemoratur, proximè sunt insecutæ, neqve simpliciter ultima mundi secula seu finem seculi, sed posterioritatem dierum designet, qvæ tempora Messiæ includunt, subjecta satis materia testatur. Errat igitur (1.) *Grotius*, qvi phrasin hanc simpliciter per *posthæc* vel *postea* tam h. l. qvàm Mich. 4. 1. reddit, & hoc qvidem loco tempus Achas Regis Judæ intelligit, qvo urbs Jerusalem ab obsidione Rezin & Pekah fuit liberata Isai. 7. & populi multi, ut scribit, Hierosolymam tanqvam ad locum tutissimum properarunt, & in atrio templi adorarunt. Non enim historiam nec scripturam commenti hujus producit. Illa enim tempora hîc designantur, qvibus non particularis cujusdam gentis accursus, sed catholicus gentium confluxus ad montem domus Domini accidit, qvoqve doctrina Evangelii ex Zion exivit & per orbem terrarum resonuit. Qvando autem multitudo gentium confluxit & Evangelium ex Zion exivit? Num id factum tempore Regis Achas? Errant (2.) *Judæi* citeriores, qvi *posterioritatem* hanc *dierum* de seculo vel annis finem mundi proximè præcessuris, qvibus Messias sit exhibendus, interpretantur. Dicuntur enim tempora Messiæ dies posteriores s. novissimi non simpliciter vel respecta mundi, qvasi dies ejus sint ultima mundi secula vel anni, sed secundum qvid & resp. V. T. cum eidem, corpore Christi adveniente, finem adferrent & sub auspicio Monarchiæ ultimæ, cum ipso fine mundi desituræ, Messias esset nascendus Dan. 2. 44. Luc. 2. 1.

§. 4. Qv. 3. de *prædicato* s. ipsa montis hujus *constitutione in vertice montium & exaltatione supra colles*, & qvidem qværitur primò qvid sibi velit vox נכון cum h. l. dicitur: נכון יהיה בראש ההרים? deinde an vox illa peculiare prædicatum hîc constituat & qvidem *stabilitatis* & *firmitatis* montis hujus s. tertii alicujus templi hîc simul divinitùs promissi? & deniq; qvorsum

vox ista sit referenda? an conjungenda cum seqq. h. m. *paratus erit mons domus Domini in vertice montium?* an verò cum præcedd. h. s. *Verbum, quod vidit Jsaiah erit* (non brevi neq; diebus nostris, sed) *postremis temporibus* נכון *firmum* i. e. ratum vel implendum &c. quem certè sensu admitti qvoq; hîc posse *Forerius* opinatur, cujus Commentarium operi critico Anglicano inseruerunt. Qvod ipsam (1.) vocem attinet, est illa à Rad. כון qvæ licet πλύσημος sit: significat enim *parare, præparare, aptare, parare firmiter, firmare, constituere, stabilire, disponere* &c. facilè tamen ex contextu videre est, qvid sibi hoc loco velit. *Tarnovius* in Comm. ad Mich. 4. 1. omnia ferè significata ejus ad montem domus accommodat, præcipuè significatum *stabiliendi* s. *firmiter constituendi*, adducto simul loco Matth. 16. 18. stabilitatem illam Ecclesiæ clariùs adstruente: qvod etiam *Lutherus* noster in animo videtur habuisse ita h. l. reddens: Der Berg/ darauff des HErrn Hauß stehet/ wird gewiß sein/ höher den alle Berge/ und über alle Hügel erhoben werden. Qvibus qvidem non adeo refragamur; attendendum tamen (2.) τὸ נכון h. l. & Mich 4. 1. *peculiare prædicatum* s. *firmitatis* s. *stabilitatis* non constituere. Tota enim phrasis hæc: נכון בראש ההרים h. e. *constitutus* (paratus) *in vertice montium*) conjunctim, non autem seorsim vox נכון hîc consideranda venit: (siqvidem accentuatio vocem illam cum בראש ההרים conjungit) adeoq; non simpliciter de præparatione s. constitutione s. stabilitione montis hîc agitur, sed de *præparatione* vel *constitutione* ejus *in vertice montium*, hoc est de montis hujus *exaltatione*: qvemadmodum enim Prophetis aliisqve scriptoribus sacris aliàs solenne est, posteriori membro idem, qvod prioris membri verba volunt, repetere & explicare: ita non aliud totâ phrasi illâ: נכון בראש ההרים Propheta h. l. ut & σύγχρονος ejus in parallelo innuit, qvàm qvod verbis seqq. exponunt ונשא מגבעות *exaltatus erit præ collibus*, scil. *exaltationem* s. eminentiam montis domus Domini s. Ecclesiæ; nisi qvod *stabilitatem* s. *firmitatem* ejus eadem voce נכון connotare vel tacitè aut secundariò subinnuere videantur q. d. qvamvis externa illa Jerusalem & corporalis mons Zion cum ipso prorsus templo sit evertendus & devastandus; tamen non ita Spiritualis Zion Ecclesia evertetur, sed firmiter constituetur in vertice montium.

conf.

conf. Mich. 3. ult. & c. 4. 1. nam fundamento gaudet immoto, qvod ipſe Chriſtus eſt 1. Cor. 3. 11. qvi petra & lapis vivus 1. Pet. 2. 4. 5. Matth. 16. 18. qvo certè fundamento gaudens ab ipſis inferorū portis dimoveri neqvit. ibid. Patet ergo vocem נכון peculiare prædicatum h. l. non conſtituere. Similiter patet, qvid habendum ſit de commentatione *Abarbenelii* in libello jam citato, qvem Chriſtianis ex profeſſo oppoſuit, qva certè Judæus, ex voce נכון *Templi alicujus tertii* (nuſpiam divinitus promiſſi) *ſtructuram, firmitatem, ſtabilitatem & durationem*, qvæ templum omnino ſecundum, qvippe deſtrundum, maximè ſuperatura ſit, conjectat. Conſimiliter (3.) ex jam dictis totoqve contextu colligere eſt, eandem vocem נכון non cùm præcedd, ſed ſeqq. eſſe conjungendam adeoqve *Forerianam* opinionem paulò antè dictam & à Polo in Crit. qvidem citatam, non autem refutatam, prorſus violentam & ne fando qvidem auditam, planeqve à mente & contextu Prophetæ alienam. Confutat eandem noſtramqve confirmat (1.) *Accentuatio*, temerè hic à Forerio neglecta: non enim tantùm accentus vocis illius (qvi ſervus eſt Kadmæ) ipſammet cum ſeq. voce יחיה ſ. *erit* diſertè conjungit: ſed & accentus ſequentis illius vocis יהיה ſ. *erit* (qvi comes eſt Gereſch) minùs diſtinguit, qvàm ſeqvens Dux Paſchta in ſeq. voce בית־יהוה ſimulq; indicat, voces יהיה נכון ſ. *paratus erit* (qvàs minùs diſtinguit) referendas eſſe vi conſecutionis accentuùm, ad ſeqq. illas voces הר בית־יהוה ſ. *mons domus Domini*, accentu Paſchta tanqvam majori diſtinctivo notatas. (2.) *Locus parallelus* Mich. 4. 1. ubi vox controverſa נכון non ante, ut h. l. ſed poſt voces והיה הר בית־יהוה locatur h. m. *In poſterioritate dierum erit mons domus DNI* נכון *paratus* (conſtitutus) *in capite montium*.

§. 5. Qv. (4.) de ipſo *exaltationis* prædicato, qvo tandem illa ſe habeat modo, vel qvid ſibi verba hæc ſeqq. velint: *erit conſtitutus in capite montium & exaltatus* מגבעות *præ collibus* (de particula מ præ, conf. infr. Locus ad Iſai. 2. 6.) Judæi veteres, qvi ſæpe vaticinia ad literam ſolent interpretari, de *corporali* & externa montis Zion & urbis Jruſalem *exaltatione, ratione ſtructuræ, loci vel ſitus* h. l. exponunt, qva ſc. DEUS montem Sinai, Tabor & Carmelum in aliqvem locum ſit congeſturus & in vertice illorum montem Zion & Hieroſolymam cum templo poſiturus,

imò tribus leucis in altum elevaturus, conf. *Lyra* in h. l. & Mich. 4. 1. *Petr. Galatin.* l. 4. de A.C.V. c. 3. Tarnovius qvidem in Comm. ad Mich. 4. 1. alitet ſententiam Judæorum enarrat, qvod *monti Zion Tabor & Carmelum ſit impoſiturus*; verum *in Medraſch Tillim* ſuper Pſ. 88. ita legitur: עתיד הקבה להביא לסיני ולתבור ולכרמל ולתז יושלם בראשו שנאמר יהיה הר בית הזרח בראש ההרים: h. e. *Futurum eſt ut Sanctus benedictus Deus adducat Sinai Tabor & Carmel, deiq; Jruſalem in capite illorum, ſicuti dictum eſt: erit mons domus hujus in vertice montium.* Qvomodocunq; autem ſententia Judæorum exponatur, (1.) ridicula planè eſt fabulæqve de Gigantibus ſimilis, qvi juxta Virgil l. 1. Georgic. circa med.

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam
Scilicet, atqve Oſſæ frondoſum involvere Olympum.

(2.) Falſa nititur hypotheſi, ac ſi per montem hunc exaltandum ſimpliciter corporalis ille mons Zion intelligatur (3.) Craſſa & abſurda eſt: qvis enim Meſſiæ temporibus à DEO tam leve tamq; vile ſibi miraculum polliceretur? Qvid enim vellet ſibi talis exaltatio? nonne mons qvò ſublimior eſt, tantò moleſtior difficiliorq; ad culmen ejus fit aſcenſus? Proinde ſaniores Judæorum Interpretes R. *Kimchi* R. *Abarbenel* R. *Salomo* R. *Aben Eſra &c.* ridiculam craſſamqve illam interpretationum deſerunt & metaphoricè illam exaltationem de celebritate, æſtimatione & honore montis, qvo ipſum gentes affecturæ ſint, exponunt; qvanqvam nec dum veram exaltationis cauſam cognoſcunt vel nucleum vaticinii attingunt, ſed adhuc in cortice hærent. Prodeat verò præ aliis *Kimchius*, latinè jam nobiscum locuturus: *Non ſic intelligi debet, qvaſi mons ille in ſe ſuaq; ſubſtantia ſit elevandus vel altior futurus; ſed qvod gentes honore illum affecturæ & venturæ ſint ad Deum colendum in illo.* Sed & Pontificiorum de iſta exaltatione ſententiam hîc videremus, qvi illam de externo Regioqve ſplendore, majeſtate & potentia Eccleſiæ intelligunt, niſi inferiùs iſtam circa abuſum denuo viſuri eſſemus. Nos contrà pro natura rei ſubjectæ (ſc. Eccleſiæ, qvæ non mundana vel ſecularis, ſed ſpiritualis eſt) rectiùs de *ſpirituali eminentia, gloria & dignitate Eccleſiæ Chriſti ejusq; ornatu interno* interpretamur (conf. Pſ. 45. 10. 14. 15.) qvippe qvæ in monte Zion primitus inſtauranda, ceteros *montes*

tes & colles h. e. *cœtus* s. *Synagogæ* V. T. (juxta *Tarnovium* ad Mich. 4. 1.) qvæ hactenus floruerunt umbramqve tantùm venturi habuerunt Christi, Coloss. 2. 17. sive *regna mundi* (juxta *Calovium*) quæ montes vocantur, Ps. 68. 17. tum doctrinâ salvificâ aliisque mediis per orbem universum prædicandis, tum miraculis magno planè numero edendis Marc. 16. tum fine & fructu sc. ampliori mysteriorum de DEO Trinuno, de Messia &c. cognitione, fide, charitate &c. superatura, & consequenter catholico gentiũ confluxu freqventanda eademq; simul frequentiâ magis magisq; celebranda erat. conf. sequentem qvæstionem.

§. 6. Qv. (5.) de *effectu* eminentissimæ hujus exaltationis, qvi seqq. insinuatur verbis: ונהרו אליו כל־הגוים והלכו עמים רבים *& confluent ad ipsum omnes gentes & ibunt populi multi* &c. quibus iste catholicus gentium concursus jam laudatus, quo mons domus DNI mirè fuit frequentatus, emphaticè describitur. Circa qvem notanda 1. *qvidditas* ejus 2. *qvantitas*, 3. *qvalitas* 4. *finis* 5. *impulsiva* vel *medium*. *Qvidditatem* concursus hujus disputat vel potiùs evertit *Grotius*, cujus sententiam planè jejunam præced. jam §. 3. circa temporis articulum, adduximus & refutavimus. Similem ferè idem ad parallelum Mich. 4. 1. proponit: similem, inquam non eandem: ex falsa nempe hypothesi illâ, qvod Isaiah & Micheas non de eodẽ sed diversis loqvantur temporibus, conf. supr. §. 1. in pr. Ita v. Grot. *propter ingens illud beneficiũ prædictum à Propheta & Judæis a Deo præstitũ plurimi alienigenæ, maximè è Persis & Græcis, deinde eorum exemplo & alii venient Deum unum mundi opificẽ in atrio gentium, ut mos erat, veneraturi.* Ex qvibus apparet hunc concursum juxta Grotium consistere non nisi in accessu plurimorum alienigenarum ad corporalem domus Domini montem, unum ibi Deum in atrio gentium pro more adoraturorum. Ita verò per Judæorum ferè vestigia ducitur Grotius, qvi non multò rectiùs huncce gentiũ concursum definiunt, dum contendunt, juxta hoc vaticinium omnes omnino gentes ad corpora ex templi DNI. montem convolaturas & idololatriæ valedicturas esse, ut in Deum verum credant. Verùm contextus longè sublimiorem loci sensum, quàm Judæi fingunt, & ampliorem frequentiam, qvàm Grotius jejuno hoc commento suo sine scriptura & histo-

ria

ria prætendit, nobis insinuat, ostenditqve Prophetam hoc vaticinio ad maximam respicere multitudinem gentium, qui facto Evangelii, vel Apostolorum Evangelizantium, ex Zion in orbem universum egressu, id ipsum receperunt atq; ita ad spiritualem Zion s. Ecclesiam Christi conversi sunt, licet plurimi ex remotis gentium terris nunquam exiverint, nec Hierosolymam ad corporalem domus DNI. montem venerint. Nec obstat, quod diserte h. l. (ceu Judæi hic literam urgentes opponunt) montis ascensusq; fiat mentio & gentes dicantur ad montem domus Domini sic exaltatum ituræ, seque invicem ita exhortaturæ: eamus ad montem Domini; ad domum Dei Jacob, ut doceat nos vias suas. Notandum enim hîc est, quod, cum non nisi unus Dei veri cultus idemq; Judaicus in mundo tunc temporis vigeret, cum Isaias hæc prædiceret, conversio qvoq; gentium ritibus & exercitiis Judaicis hîc describatur, quibus illi Hierosolymam ad montem domus Domini catervatim se conferre & inibi legem à Sacerdotibus in templo doceri solebant. Quis ergo literam circa hanc gentium conversionem & concursum cum Judæis urgeret, ac si gentium ascensus in corporalem domus Domini montem ad quidditatem ejus spectaret? Potiùs verò quidditas concursus hujus in eo consistit, quod gentes percepto Christi Evangelio, ex Zion in orbem universum per Apostolorum prædicationem egresso, Messiam ejusque doctrinam recipiendo, ad Ecclesiam ejus fuerint conversi. Proinde quisquis verbum Evangelii perceptum recepit, licet ap. Garamantas & Indos degerit montemq; Zion cum templo nunquam viderit, is certè hunc domus Domini montem, de quo disputamus, conscendisse censetur (2.) *Quantitas* concursus hujus notatur tum his vocibus כל־הגוים s. *omnes gentes*, tum proximè sequentibus per exegesin statim subjunctis: & ibunt עמים רבים s. *populi multi*. Posterius enim רבים s. *multi* restringit & exponit prius כל s. *omnes*, q. d. tam multi accurrent gentes, ut omnes accurrisse videantur. Quomodo & alibi sæpe τὸ *omnes* ex subjecta materia & quadam loci circumstantia restringendum est, uti bene monet Tarnovius ad h. l. in Comment. ad Mich. 4. 1. & Jon. 2. 3. conf. Marc. 1. 5. Luc. 2. 1. &c. Sæpe inquam non semper: in multis n. scripturæ locis τὸ omnis juxta Scripturæ fidei;

fideique analogiam omnino universaliter accipiendum est. Notanter autem כל ס. *omnes* præmittitur (quod tamen in loco parall. Mich. 4. 1. omittitur) & רבים ס. *multi* subjicitur: כל enim ad intentionem Dei, רבים verò ad eventum respicit. Nam omnes omnino gentes ex benignissima quidem intentione Dei ad montem domus Domini concurrere h. e. ad Ecclesiam Messiæ converti, cum Evangelium ex Zion per orbem terrarum resonaret, debuerunt, conf. 1. Tim. 2. 4. 6. Luc. 24. 47. Act. 17. 20. Sed proh! eventus docet, multos ex malitia noluisse aut tum recipere Evangelium, aut ad posteros propagare. Interim tamen, licet non omnes omnino gentes ad montem domus Domini concurrerint Evangeliumq; Christi receperint; ingens tamen multitudo ex omnibus gentibus ad Ecclesiam Christi accurrit, ut omnes accurisse videri meritoq; hic dici queant: id quod testantur tot Ecclesiæ non tantùm ab Apostolis statim post adscensionem Christi, sed & deinceps à Viris Apostolicis aliisq; Ecclesiæ Doctoribus per orbem terrarum inter gentes plantatæ. conf. Acta Apost. & Histor. Ecclesiasticæ: ut taceamus ipsum Servatorem à gentibus jam esse quæsitum & inventum Joh. 12. 20. 21. (3.) *Qualitatem* s. *modum* concursus emphatica vox ונהרו *& confluent* ostendit: est enim à Rad. נהר *fluxit celeriter, confluxit*: unde נהר *fluvius*, adeoque notat (1) *celeritatem & promtitudinem accurrentium*, de qua Ps. 110. 3. (2.) *ingentem copiam* (3.) *Supernaturalem Sp. Sancti gratiam*, quâ gentes terrenæ sursum in excelsum domus Domini montem h. e. Ecclesiam (cujus doctrina & vita est montosa i. e. cœlestis & ardua) tanto certè impetu confluxerunt, quanto solent flumina in præceps labi. (4.) *Finis* à parte populorum, dicto jam modo accurrentium, est *vera de Messia ejusque doctrina & salutis via informatio &c.* quod ipsimet his innuunt verbis: וירנו מדרכיו *& docebit nos vias suas &c.* vel: *ut* doceat nos: quomodo particula ו accipitur Exod. 7. 26. ויעבדני *ut* serviat mihi, ubi & LXX. per ἵνα reddunt. Mal. 1. 9. &c. Glass. Ph. Sacr. l. 4. Tr. 1. obs. 7. Notetur hîc rursus tum ipse מורה s. *Doctor viarum*, tum מדרכיו s. *viæ ejus docendæ*. *Docens* est ipse Messias, uti contextus evidentia ostendit, eventus probavit, ipsiq; fatentur Rabbini: ita enim Kimchi: המוריה הוא מלך המשיח h. e. *docens ille Rex Messias*. Docuit verò Christus non tantùm ἀναστὰς in Synagogis Luc 4. 15. in Synagoga Nazarena, o-

mnibus

mnibus admirantibus ibid. v. 16. 22. in Templo Hierosolymitano Joh. 7. 28. 37. &c. sed & inde jussu ejus ex Zion in orbem terrarum verbum Evangelii est egressum, atq; ita Christus Ecclesiam quoq; docuit per Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores Eph. 4. 11. *Via* ejus docendæ sunt ratio ipsum agnoscendi, magnum illud pietatis mysterium de Deo in carne manifestato intelligendi, agnitum rectè colendi, cum Deo reconciliandi &c. Non autem dicunt in fonte את־דרכיו vias suas, sed מדרכיו *de viis suis*: hic enim ex parte saltem cognoscimus 1. Cor. 13. 9. 12.

§. 7. Tandem (5.) concursus *impulsivus* (quam & *medium* collectionis gentium dixeris) est *doctrina Messiana s. Evangelii ex Zion & Jerusalem egressa*, qui seqq. innuitur verbis: כי מציון תצא תורה ודבר יהוה מירושלם h. e. *nam ex Zion egredietur lex & verbum Domini ex Jerusalem*. Circa hæc verba, Judæis disputata, quæritur (1) *cujus sint illa*, Prophetæne, an populi, cujus proximè sunt præcedentia? 2. quid per *subjectum* verborum תורה designetur? 3. quid sibi velit prædicatum תצא מציון *egredietur ex Zion* &c. Ad quæst. (1.) *cujus hæc sint verba*? non nostris, sed R. Kimchii verbis respondemus: זה דברי הנביא לא דברי העמים כלומר למה יאמרו הגוים לכו ונהלה ויורנו מדרכיו כי מציון תצא תורה והמורה הוא מלך המשיח h. e. *hæc verba sunt Prophetæ, non populorum, quasi dicat: Eccur gentes dicturæ sunt, ite, adscendamus, ut doceat nos vias suas? quia ex Zion egredietur lex. Doctor verò ipse Rex Messias est.* Qu. (2.) de *subjecto* sc. תורה. Judæi vocem illam תורה communiter de *Lege Mosaica* interpretantur. Sciendum autem est vocem illam multipliciter sumi: inter alia *strictè & specialiter* pro *lege*, quatenus opponitur Evangelio Joh. 1. c. 17. Deinde vero etiam *latè & generaliter*, vi scil. etymi sui, pro *institutione* s. *doctrina*. Est enim à Rad. ירה *jecit, projecit*, in Hiphil *docuit, instituit, monuit*. Ita sumitur Prov. 13. 14. תורה חכם *Doctrina sapientis fons vitæ*. Et hæc significatio hujus quoque loci est, ubi contextu id arguente, sumitur pro *doctrina Messiæ*, ad quam percipiendam accurrerunt gentes, quamque Messias ipse tradidit gentibus ita concurrentibus & in proximè præcedd. verbis dicentibus: adscendamus ad montem Domini, ut doceat nos vias suas: quarum viarum Doctorem ipsum esse Regem Messiam Kimchius ipse verbis jam citatis fassus est. Similiter & νόμος s. *lex* ad imitationem

nem Ebræi תורה de *Evangelio* hoc sensu adhibetur, modò absolutè, modò cum addito. Rom. 3. 27. c. 8. 2. Gal. 2, 19. Jac. 1. 25. Quær. (3.) de *prædicato*, quid sibi velit vox תצא *exibit?* De hujus Radice יצא *exivit, prodiit*, notanda benè tradit *Rambam* h. e. *R. Mosche ben Maimon* in מורה נבוכים h. e. *Doctore perplexorum* part. 1. c. 25. quod exitum corporis è loco in locum significet; deinde vero ad *manifestationem quoq; rei incorporeæ* transferatur, idque ex his Prophetæ verbis תצא תורה confirmat. Igitur juxta Maimonidem hîc egressus significat *solemnem manifestationem* תורה. Unde præsupponitur, illam תורה quæ exire debuit & manifestari, hactenus latuisse & non nihil ignotam fuisse. Jam verò lex Mosis non fuit ignota, nec latens, sed satis manifestata. Ergo alia hîc & nova quidem, scil. Messiæ doctrina intelligitur, quæ licet non planè, tamen nonnihil abscondita & non penitus intellecta fuit (conf. Luc. 24. 21. 27. Act. 10. 28. 34.) dehinc verò manifestata, exordioq; facto in Zion s. Jrusalem per orbem terrarum prædicata. Et hæc est *doctrina Evangelii*, quæ proinde *mysterium* dicitur & sapientia à seculis tacita & abscondita Rom. 16. 25. Col. 1. 26. 1. Cor. 2. 7. Comprobat hanc interpretationem eventus, quo Evangelium Hierosolymæ primùm est prædicatum & exinde per orbem terrarum ab Apostolis manifestatum Luc. 24. 47. Act. 1. 8.

§. 8. Ex dictis jam genuinus loci sensus clarescit. Sed & hinc patet, quàm iniquus sit ejusdem *abusus*, quem partim ap. *Judeos*, partim ap. *Pontificios* deprehendimus, (1.) *Judæi*, (ceu videre est ap. R. *Lipmannum* in Nizzachon p. 126. & R. *Abarbenel.* in libello suprà citato, & *Lyram* in h. l. & Mich. 4. 1.) probare hinc nituntur, *Messiam nondum venisse*, & *Jesum Nazar. non esse verum Messiam*, his argumentis (1.) Messias venire debet juxta h. l. in *posteritate* h. e. fine *dierum*; Jesus verò Nazar. non est exhibitus in fine dierum, cum plurima secula ab ejus nativitate jam sint præterlapsa, E. (2.) Mons domus Domini h. e. mons Zion s. Jrusalem tempore Messiæ juxta h. l. *super capita montium* in altum est attollenda &c. quod tamen nec tempore Jesu Naz. nec ad hoc usq; tempus evenit. E. (3.) ad Messiam confluent omnes gentes; sed ad Jesum Naz. non confluxerunt omnes gentes, non Saraceni, non Tartari, non alii infideles E. (4.) tempore Messiæ audienda est vox illa: venite, adscendamus ad domum Dei Jacob; sed tempore Jesu Naz. non hæc audita,

sed

sed potiùs illa_: venite ad domum Mariæ, Petri &c. E. Sed responsio facilis est ex dato loci sensu. Et quidem ad (1.) Respondetur ex præced. §.3. Ad (2.) Resp. ex §.2.& 5. Ad (3.) Resp. ex §.6.n.2. conf. quoq; Tarnov. ad Mich. 4.1.& Prükn. Vindic. h.l.

§. 9. Deinde & *Pontificii* ex hoc loco probare conantur (1.) *veram Christi Ecclesiam esse visibilem*, cum h.l. monti comparetur exaltato (2) Eandem eâdem ratione *externo & regio quodam splendore ac potentia gaudere*, & consequenter solam Romanam Ecclesiam esse veram, cum non tantùm in Papa suo ejusdemq; Cardin. Episc. aliisq; Prælatis purpuratis & insulatis, sed & magnifico templorum sanctorumque suorum ornatu, ut & externa ceremoniarum & processionum pompa &c. splendor hic eluceat. (3.) *Multitudinem esse veræ Ecclesiæ notam*, cum multitudo gentium ad Christi Ecclesiam sit confluxura & consequenter suam esse veram, cui plures adhærent &c. (4) Evangeliũ esse novam & perfectiorem legem & Christum novum legislatorem. Sed Resp. ad (1.) committitur ignoratio Elenchi, & invisibilitatem cœtus fidelium non impugnat comparatio Ecclesiæ cum monte exaltato: siquidem hujus comparationis aliæ dantur rationes, conf. supr. §. 2. Ad (2.) Resp. splendorem & ornatum Ecclesiæ N.T. non esse corporalem & externum, sed spiritualem & internum, qui non spectatur in auro & gemmis, neq; in insulatorum, ceremoniarum, & processionum similiumq; vanitatum & phantasiarum pompa, quam Romano cœtui non invidemus. conf. suprà §. 5. Ad (3.) Resp. negando conseq. quia de multitudine gloriari quoq; potest cœtus malignantium Matth. 7.13. conf. Prükn. l.c Ad (4.) Resp. ex præced. §.7.qv.2.

§. 10. Tandem *utimur* h.l. (1.) contra *Judæos* in eodem Artic. de *Messiæ adventu*. Messias certè juxta h.l. Ecclesiam suam in Zion primitus instaurabit, & ex Zion doctrinam suam emittet. E. Messias nondum eversâ Zion venire debuit. Jam vero Zion & templum jampridem est destructum. E. Messias jam pridem venit. conf. & §.7. fin. (2.) contra *eosdem* in Artic. *de divinitate Messiæ*: ille n. qui gentes ad montem domus Domini confluentes docet vias suas, est Dominus Deus Jacob, uti contextus evidentia ostendit. Jam v. ille Doctor est Rex Messias, uti suprà Kimchi est confessus .6.& 7. E. Messias est Jehovah, Deus Jacob Ita Judæi suo jugulantur gladio! (3.) contra *Calvinianos*, *Universalem gentium vocationem ad regnum Christi* negantes. Nam Catholicus gentium confluxus h.l. prædictus & suprà §. 6 n. 2 probatus, præsupponit catholicam gentium vocationem, eamq; confirmat egressus Evangelii ex Zion in universum orbem, simul h.l. prædictus & suprà §.7. ex eventu comprobatus.

Præclarè Docto planèq; Eximio
DN RESPONDENTI,
Auditori ſuo & Amico veteri optimo
FELICITER!

DOgmata *Dantiſcum* redamat *ſincera Lutheri*,
Atq; Novatorũ ſcripta minoris habet.
Hos Cives imitere Tuos & porro † LUTHERUM
LÆTUS † AMES; fructus certus *amoris* erit.
Monsqve domus DOMINI, qvem dignus amore
Bonorum
Diligis, ad ſummas ducet (id opto) domus.

† *Anagr.* MATTHÆUS MUeLLERUS.

Lmq;
PRÆSES.

SUnt tria qvæ faciunt ſtudioſum vincere qvæqve,
Ars, virtus, ſudor. Cur tria? fortè rogas?
Vincit enim vitium virtus, ars improba fœdam,
Barbariem, ſudor deniq; deſidium.
Hæc MULLERE juvant, ut tu qvoq; vincere poſſis:
Namq; tibi virtus, eſt qvoq; Jhova comes.
Laudatus qvotiens hic numina ſacra docebas,
Qvod potis Iſacidum ducere rite gregem,
Jamq; Sionæo rutilans e vertice verbum
Dum tractas, doctâ ſedulitate cluis.
Hinc favor, hinc ſurget Muſarum fama celebris,
Fama ſub extremis non moritura rogis.

Paucula hæc in honorem Dn. Reſpondentis
apponere voluit
BERNHARDUS Müller/
Eccl. ad. D. Mar.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0055
DFG

Sic juvat â teneris didicisse fideliter artes,
Et virtute animum condecorasse suum!
Codicis assiduè tractasti dogmata sacri,
Müllere Aonii sedule Cultor agri.
Solvere & hinc nodos nosti, Legumqve sacrarum
Controversa piè conciliare loca.
Hinc qvoqve conscendis cathedram, mercesq; paratas
Exponis studiô, dulcis Amice, *piô.*
Sic Patris in Nato vivit post funera Virtus
Æmula, seqve gravi prodit honore Suis.
Gratulor ex animo plaudens felicibus ausis,
Et pia pro longo Carmine vota fero:
Sit labor hic faustus, porrò clarescere pergas,
Sitq; novum Specimen semper origo novi!
Sic Patre, sicq; Tuis simul invenîre Patronis
Dignus, & inde dabit prospera cuncta DEUS.

Benevolentiæ ergò, properante calamo scr.
M. JACOBUS Burgman.

Die Purpur-farbne Flucht/
Woraus die Tugend
Nach der Jugend
Uns färbt die Ehren-Fahnen
Ist eben nicht der Ahnen/
Wohl aber unser / Schweiß und Blut!

Als sein Wehrtgeschätzter Freund/ Herr Matthæus Müller/ rühmligst zu Rostock disputirete/ schrieb demselben dieses wenige zu Ehren
J. PISTORIUS.

(O)

LOCUS VI. JSAI. II. 4.

Gladii lances q; gentium, ad Ecclesiam Messiæ conversorum verbo q; Evangelii ex Zion egressi redarguterum, in pomeres falces q; convertendi. Disp. III.

§. 1.

SEnsum loci hujus (qvem perinde ac præcedentem non tantùm Micheas c. 4. 3. iisdem ferè verbis proponit; sed & Judæi aliorsum trahunt) paucis pro instituti ratione indagaturis, eumq; simul ab abusu vindicaturis qværitur, num verba loci de *gladiis in vomeres convertendis & belli studio non ampliùs sub regno Christi excolendo*, sint accipienda juxta *literam* s. *propriè* ut & *absolutè*, ita ut bella externa & corporalia in N. T. simpliciter damnentur & prorsus nulla tempore Christi, sed pax generalis & altissima sit futura? an vero *impropriè* s. *metaphoricè*, ut & *determinatè*, de pace & tranqvillitate spirituali & interna verorum regni Messiæ civium, ex qva fluit vel qvam seqvitur externæ pacis studium, locus sit intelligendus? Judæi, Soc. & Anabaptistæ aliiq; fanatici modo priori, nos verò posteriori locum interpretamur. Judæis qvoq; pollicem hic iterum qvodammodo premit *Grotius*, hunc esse loci sensum, ad locum parallelum Mich. 4. 3. scribens: *Et Persæ & populi, qvi sub eorum erunt imperio, infensissimi olim Judæis, ut Assyrii &c. altam cum Judæis pacem culturi sunt.* Idem l. 1. de jure belli ac pacis c. 2. §. 8. Vaticinium hoc *hypothetice* s. *sub conditione accipiendum esse putat, si sc. omnes populi legem Christi suscipiant atque impleant: nam si omnes Christiani sint & Christianè vivant, nulla fore bella &c.* Ceterum fallit Grotius: Propheta enim hic de temporibus Messiæ sub ultima Monarchia vaticinatur, ceu patet ex præcedd. superiori Disputatione expositis. Numqvid ergo locus ad tempora Persicæ s. secundæ Monarchiæ torqvendus? Et qvando Judæi tam altam sub Persis pacem habuerunt? numquid libri Esdræ, Nehemiæ & Esther de tanta pace testantur? Numquid tandem hypothesin licebit fingere, ubi in textu nulla apparet? Ut nihil nunc de *Hakspanio*

dicamus, hyperbolicam locutionem hic statuente: ecquis enim in Scripturis S. hyperbolen temerè admitteret?

§. 2. Sensum autem Loci non proprium sed *metaphoricum* esse, eumq; de *fructu* agere, qvi verbum Evangelii ex Zion inter Gentes vulgatum sequitur, & *interna ac spiritualis pax & tranqvillitas* est, qva fideles veriq; regni Messiæ cives ita gaudent, ut consequenter externæ qvoq; pacis sectatores sint avidissimi & studiosissimi, nec temerè bella moveant; qvamvis externâ pace non ubiq; in mundo fruantur, probamus (1.) *ex analogia scripturarum V. & N.T.* Nam juxta vaticinium tam Dan. c. 7. 21. & c. 9. 26. qvàm ipsius Christi ap. Matth. 24. 6. 7. 15. bella certè corporalia & externa tempore Christi sunt futura. Interim tamen Christus & Apostoli ejus spiritualem internamq; pacem ac tranqvillitatem Christianis promittunt, qvam verè in Christum credentes ita cum DEO habent, licet externè à mundo affligantur Joh. 14. 27. Rom. 5. 1. Phil. 4. 3. ut inter se tanqvam vera Christi membra externam qvoqve pacem sectentur Joh. 13. 34. Eph. 4. 3. seqq. eandemq; cum aliis, quantum in se, colant Rom. 12. 18. (2.) *Ex antecedentibus*, ubi Propheta primò de Regno & Ecclesiâ Messiæ loqvitur, ad quam multitudo gentium, svaviſſimâ doctrinæ Evangelii & verbi DEI prædicatione, qvæ Hierosolymæ cœpit & dehinc per orbem terrarum resonuit, impulsa confluit, v. 2. & 3. Deinde in principio versus qvarti, ex qvo locus noster est desumtus, dicit, *Messiam judicaturum esse inter gentes* (sc. egressu Evangelii ex Zion excitatos) *eosq;* (ante tribunal qvasi suum citatos) *correpturum* h. e. non verberibus, sed verbo *redarguturum*: id enim Ebræum vult verbum והוכיח a R. יכח *arguit certis argumentis & verbis convincendo, redarguit &c.* Et qvid obstaret, si præcedentia illa versus hujus qvarti verba ושפט בין הגוים והוכיח לעמים רבים h. e. *& judicabit inter gentes & redarguet populos multos*, ad proximè præcedens verbum דבר יהוה s. *verbum Domini* (ex Jerusalem egressum) referremus. Nam & Lutherus ad Loci paralleli Mich. 4. 3. verbum ושפט under wird richten in glos-

sa

sa dicit: Gottes Wort wird in alle Welt kommen. Igitur *verbum Evangelii* latè sùmti (ad hoc enim judicium lex & Ev. spectat) gentes judicabit & *redarguet*, sc. de peccato conf. Joh. 16. 8. 9. & resipiscentes absolvet h. e. læto remissionis peccatorum nuncio, omnes inter gentes, facto Hierosolymæ initio, gratiosè prædicando reficiet, conf. Luc. 24. 47. Hoc autem judicio verbi Messiæ spirituali s. elencho priori versus membro jam præmisso, mox Propheta eodem qvoq; versu *fructum* verbi Evangelii inter gentes vulgati s. judicii Evangelici subjungit, qvi fructus pariter spiritualis est, sc. *Pax & tranqvillitas interna*, qvam tamen, metaphoricis describit verbis: *& conflabunt* (sc. gentes verbo Evangelii sic judicatæ, redargutæ & absolutæ) *gladios suos in vomeres &c. nec amplius bellum discent.* h.e. spiritualem & internam habebunt cum Deo pacem, & conseqventer pacem qvoq; externam & corporalem cum aliis colent q. d. qvi antea leones & lupi erant, h.e. truculenti & iniqvitatibus dediti, avari & suis tantùm commodis vacantes, (unde dissensiones & deniq; certamina oriuntur) per Evangelii doctrinā mansuescent, omnia charitatis & benevolentiæ in proximos officia exercebunt, & non tantùm sui sed & proximi rationem habebunt. Huc tendit similis prophetia Jsai. 11. 6. c. 65. 25. *habitabit lupus cum agno* &c. (3.) *ex historia & experientia*, qvæ testatur, pacem externam tempore Christi perpetuam nunqvam fuisse, sed potiùs bella & persecutiones Ecclesiam turbasse. Certè enim (verba sunt *B. Calov. in Bibl. illustr.* ad locum parallelum Mich. 4. 3.) sicut bellatum est ante Christum natum, ita bellatum etiam ipso nato & bellabitur inter gentes usq; ad novissimam diem. Non igitur sentiendum est, Prophetam h.l. de publica & corporali pace in his terris loqvitari. (4.) *Ex consensu veterum simul atq; recentiorum Ecclesiæ Doctorum*, qvi certè ὑποθυμαδὸν locum hunc de spirituali pace, qvæ ap. veros Christi fideles viget, exponunt. vid. *Irenæus* l. 4. c. 6. 7. *Tertull.* l. 3. contra Marcion. cap. 21. *Athanas.* orat. de incarn. Verbi, *Origen.* contra Cels. l. 5. &c.

§. 3. Ubi verò notandum, qvosdam Autores loci hujus verba: *& conflabunt gladios in vomeres* &c. non tantùm de *fructu*, qvi Evangelium inter gentes vulgatum s. Evangelicum hoc judicium seqvitur, sed etiam de *modo* regni Messiæ per orbem terrarum propagandi & dilatandi exponere, qvod sc. regnum Christi (Ecclesia & Religio) non vi externa, non bello, non bombardis gladiisq; sicut mundana, & sicut Religio Pontificia pridem & cumprimis nuper in Gallia; sed paeatè & tranqvillè propagetur, vid. *Prükn. in Vindic.* ad h. l. *Walth. Harm.* ad h. l. Qvodmodo verò hic *modus* propagandi regni Messiæ per Evangelii sc. prædicationem, simul cum *fructu* Evangelii sic prædicati s. judicii per Evangelium inter gentes exerciti, iisdem h. l. verbis indigitetur & qvodmodô hæc consistant, nondum qvidem perspicimus, licet ipsimet per aliorum vestigia ducti, neq; rem penitiùs ab initio perpendentes, similia in lectionibus ad h. l. docuerimus. Nam (1.) prædicatio Evangelii per inermes (qvam Autores illi *modum* & medium occupandi, propagandi & conservandi Regnum Christi dicunt) est *causa*; pax vero spiritualis (quem iidem Autores *fructum* Evangelii inter gentes vulgati appellant, vid. *B. Calovii Bibl. illustr.* ad locum parall. Mich. 4. 3. p. 849.) est *effectus*. Nec (2.) de Apostolis vel eorũ successoribus verbum prædicantibus eosq; nomine Messiæ verbo judicantibus & redarguentibus, sed de ipsismet gentibus sic judicatis & redargutis hîc dicitur, qvod conflaturi sint gladios in vomeres &c. Si ergo locus hic de *fructu* agit qvi Evangelicum hoc judicium seqvitur, & est pax spiritualis & effectus, certè idem iisdem verbis de *modo* Regni Messiæ propagandi per prædicationem, qvi est causa, simul agere neqvit. Tantùm de *sensu* Loci metaphorico.

§. 4. *Abusus* ejusdem conspicitur (1.) ap. *Judæos*, ex h. l. sic arguentes: Tempore Messiæ tanta erit pax, ut gladii sint convertendi in vomeres, nec bellum ampliùs gerendum. Cum vero talis conversio nondum evenerit, sed potiùs bella & persecutiones inter Christianos regnent, quis credat, Messiam jam venisse

se, & Jesum Nazarenum, qvem Christiani colunt, verum esse Messiam? vid. *Galatin.* l. 4. de A. C. V. c. 3. *Lyra* ad h. l. & Mich. 4. 5. *Tarnov.* comment. ad Mich. 4. 3. (2.) ap. *Anabaptistas*, non tantùm Opifices, qvi gladios & similia belli arma conficiunt, damnantes, sed etiam cum *Soc.* & *Weig.* bellum in N. T. simpliciter esse prohibitum censentes. vid. *Giessens.* Tom. 3. disp. 17. th. 69. Sed. Resp. (1.) generatim tam *Judæis*, qvàm *Anab.* &c. qvòd ineptissimè sententiã Prophetæ pervertant, dum verba ejꝰ propriè & absolutè de pace corporali accipiunt, qvæ allegoricè & determinatè de spirituali pace, ex qva fluit externæ pacis studium, ex rationibus suprà dictis intelligenda sunt. (2.) Speciatim qvidem *Judæis* respondere qvidam solent Hieronymũ secuti, ut *Drusius* l. 16. Observ. c. 6. & *Prükn.* in Vindic. h. l. tempore nativitatis Christi *Augustum* Cæsarem Romanum Jani templum clausisse pacemq́; universo orbi restituisse, eandemq́; aliqvanto durasse spatio, idq; satis esse, cum particula עוד *amplius*, non semper denotet perpetuitatem, sed pro aliqvanto temporis spatio sumatur, conf. 1. Sam. 7. 13. nec dubiũ esse, qvin eodem tempore in diuturna pace multa belli arma in agriculturæ instrumenta sint conversa. Ceterùm qvia locus hic non præcisè de tempore nativitatis Christi, sed generatim de Ecclesia N. T. & cumprimis de tempore vocationis gentium loqvatur, qvæ per egressum doctrinæ Evangelii ex Zion h. e. prædicationem Apostolorum Hierosolymæ cœptam inchoata; prætereaq́ve ipse Hieronymus fateatur, milites & legiones Romanorum, tempore Augusti, contra barbaras gentes fuisse delegatas, hinc rectiùs respondetur Judæis, locum allegoricè de pace spirituali agere. uti jam generatim responsum est. conf. *Glass. Ph. l. sacr.* l. 3. Tr. 5. can. 13. (3.) *Anabaptistis* v. & *Weig.* bellum in N. T. simpliciter hic damnari putantibus, speciatim resp. ipsorum sententiam cum manifestis scripturarum locis pugnare, qvibus non tantùm Magistratui committitur cura subditos ab injusta vi defendendi pacemq́; custodiendi Rom. 13. 4. sed & legitimus belli armorumq́ve usus à Magistratu mandatus

probatur Luc. 3. 14. Cum igitur h.l. dicitur, *gentes conversi conflabunt gladios in vomeres*, non sentiendū est Apostolos inter gentes Evangelium prædicantes, jussisse Magistratum legitimum arma deponere & subditos ad prælium non exercere; sed jussisse qvidem *Principes & Centuriones*, qvantum ad Christianismum spectat, *gladios suos in vomeres convertere* h. e. pacem jam cum DEo per Evangelii gratiam habentes, operam quoqve dare paci & tranqvillitati externæ; contra verò qvantum ad officium Magistratus & Centurionis attinet, jussisse *vomeres in gladios convertere* h. e. subditos defendere eosqve ab hostibus & latronibus liberare: hæc enim est vocatio Magistratus, qvam Evangelium non tollit, conf. Aug. Conf. Artic. 16.

LOC. VII. JSAI. II. 6.

De Judæis, præ Oriente plenis & in natis Alienigenarum cum applausu acqviescentibus, à Deo projectis.

§. 1. Circa locum hunc, qvo Propheta Judæorum ad osculum Messiæ frustra v. 5. invitatorum projectionem ita per apostrophen, ad Deum tanqvā ingratitudinis testem vindicemq; directam, vaticinatur: *Sed projecisti* (oJhova) *populum tuum, Domum Jacob*, simulqve ternarium projectionis inductivum subjungit: כי מלאו מקדם ועוננים כפלשתים ובילדי נכרים ישפיקו duo potissimum controversa notamus (1.) quam *plenitudinem*, ob qvam Judæi erant projiciendi, intelligat Propheta dicens: *qvia pleni sunt*, & qvid per adjectam vocem מקדם designet? (2.) qvid per *Natos Alienigenarum*, in tertia projectionis ratione, significetur?

§. 2. Qvod attinet (1.) *Judæorum plenitudinem*, ob qvam erant projiciendi, certè variant Interpretum sententiæ, qvas variæ nobis versiones indicabunt. Vulgatus vertit: *repleta est terra eorum ut olim.* Chaldæus: *repleta est terra ipsorum idolis, sicut à principio.* Jun. & Trem. *Pleni sunt malis*, Dieu: *rebus.* Forerius: *divitiis.* Piscat. *nefariis artibus*, acceptis per imitationem *ab* vel *ex Oriente.* Vatablus verò & alii: *præ Oriente.* h.e. magis abundant, qvàm

quàm Orientales populi, Syri: qvomodo & Luth. den ſie treibens mehr / den die gegen Morgen. Alii: *Præſtigiis*. B. Varenius & alii Chaldæum ſecuti: *Idolis* &c. Hæ verſiones ſanè omnes oſtendunt qvidem (1) dandã hic eſſe nominis cujusdam ellipſin, qvæ cetero-qui freqvens in ſacris eſt, conf. *Glaſſ.* Phil. ſacr. l. 4, Tr. 2. obſ. 1. n. 3. ubi & hunc locum allegat, vocemqve *malis* cum Jun. & Trem. ſubintelligit; diſſentiunt verò in ſupplenda voce elliptica. Qværitur ergò qvænam ex allegatis rectiùs hîc ſubintelligenda fuerit? Non placet nobis (1.) vox *rebus*, qvia nimis generalis & levis eſt: neq; (2.) vox *divitiis*: ſiqvidem æqvi pollentes proximè ſeqvente v. 7. rationis loco citantur, cum dicitur: *terra ipſorum plena eſt argento & auro, & theſaurorum ejus non eſt finis*: neq; (3.) vox *præſtigiis* ſ. *magiâ*: nam *præſtigias* ſeqvens ſtatim ratio voce עוננים proponit, qvæ eſt à R. ענן *obnubilavit*, *præſtigiis uſus eſt ad oculos hominum obnubilandos*: neq; (4.) vox *idolis*: nam & illa ſeq. v. 8. diſertè inter rationes rejectionis numeratur, eodemq; & v. 9. pluribus Judæorum idololatria deſcribitur. Putamus igitur, commodiùs hîc ſubintelligi vocem *malis*, ſ. סרה h.e. *perverſitate* ſ. *pravitate* ſ. *contumacia*, conf. Jſai. 1. 5. ut ſc. verbis hismet: *qvia pleni ſunt malis præOriente*, generale qvoddam rejectionis inductivum præmittatur, dein verò ſpecies ſubjiciantur ſc. *præſtigiæ*, *divitiarum abuſus & inexplebilis cupiditas*, *idololatria* &c. Eædem verſiones (2.) ex parte commonſtrant, vocem מקרם majus qvid inferre, qvàm *olim* vel *ante* vel *à principio*, prout qvidem Vulg. & Chald. eandem vertunt, adeoqve ſignificare *Orientem*, & præfixum מ inſinuare comparationem & per præpoſitionem *præ* vertendum eſſe q. d. *pleni ſunt magis qvàm Oriens*. Qvomodo & מ accipitur Pſ. 18. 18. Pſ. 45. 8. &c. Confirmamus hoc collatione ſeqv. rationis clarioris, qua Judæi dicuntur *præſtigiatores ſicut Philiſtæi*. Qvemadmodum enim ſe habet vox ultima כפלשתים in ſecundo rejectionis inductivo, ita & vox ultima קדם in primo; ibi vero per פלשתים notatur Natio Philiſtæorum; E. & hic per קדם indigitatur *Oriens*. ſ. בני קדם h.e. *filii Orientis*, ceu Kimchi rectè exponit, h. e. *Orientales* ſc. *Aramæi* ſ. *Syri*,

Syri, Philistæis contradistincti. Sicut enim Philistæi Judæorum erant vicini ab occidente, ita Syri ab Oriente, conf. Jsai. 9. 12. A malis ergo vicinis malos Judæi mores artesq; didicerunt, ita ut Occidentalibus qvidem essent similes, Orientales verò longe etiam superarent.

§. 3. Qv. (2.) qvinam in tertio rejectionis inductivo sint בני נכרים h.e. *nati alienigenarum*, in qvibus Judæi, rejecto Messiæ cultu, והשפיקו h.e. *sufficientiam* s. *complacentiam habuerunt* s. *cum applausu acqvieverunt* s. latis se habere putarunt? conf. 1. Reg. 20 10. & Job. 27. ult. item. Targ. in Job. l. c. & Thr. 2. 15. Majori verò contentione circa hanc rationem in designandis *alienigenarum natis* digladiantur. Nam (1.) quidam hoc de connubio cum alienigenis, qvarum filii poterant alienigenæ appellari, interpretantur. Alii (2.) de *multitudine nothorum*. Nonnulli (3.) cum Hieron. de vitio Sodomitico, qvod Judæi fuerint ἀρσενοκοῖται, de qvibus 1. Cor. 6. 9. & pueris alienigenarum ad id coëmtis more gentium vicinarum adhæserint, conf. Jsai. 1. 10. Alii (4.) per בני נכרים ipsas intelligunt *gentes exteras*, qvorum moribus & vitiis delectati fuerint judæi: qvomodo & phrasis huic planè similis בני נכר Jsai. 60. 10. c. 61. 5. Ps. 18. 45. 46. & alibi ipsos notat alienigenas. (5.) Ebræi qvidam metaphoricè designari putant *libros*, *doctrinas* & *instituta gentium*. Et hanc sententiam à Grotio qvidem citatam, sed insuper habitam, probat in Bibl. illustr. ad h. l. *B. Calovius* dicens: Rectè Ebræi per *filios alienorum* intelligunt *doctrinas gentium institutos*. Idem qvoq; *Lutherum* sensisse, ita h. l. reddentem: machen der fremden Kinder viel (qvibus enim delectamur, horum certè numerum augeri facimus) glossa marg: arguit: das sind Kinder der falschen Lehr und Abgötterei etc. Deniq; (6.) ut alias nunc taceamus, B. *Varenius* Comm. in Isai. h. l. rejectâ omnino primâ tertiâq; interpretatione, ceterisq; non memoratis, *generaliùs* hîc verba sumit pro *instrumentis s. insolentiæ s. luxuriæ s. idololatriæ à Natione aliena inventis & in Nationem Judaicam magno applausu introductis*, qvorum catalogus seq. cap. 3 v. 16. seqq. exhibetur; ubi & hodiernos Germanorum mores meritò corrigit, qvorum pars magna, qvicqvid Gallicanæ levitatis & luxuriæ vident (Germ. Modellen und Trachten) ita amplexantur, ut iisdem *applaudant*, atq; ita revera cum Judæis sint משפיקים. Nos proximè præcedentem sententiam præferimus, ita tamen ut hanc non improbemus, sed includamus, h. s. non acqviescunt Judæi doctrinæ Messiæ ex Zion egressæ (sicut gentes, ad Ecclesiam ejus confluentes, in eadem illa Messiæ doctrina semitisq; sufficientiam & complacentiam habent, ita ut eidem applaudant v 2 &3.) sed rejecto Messia ejusq; doctrina, lumine & semitis v. 5. externa omnia præferunt gentiumq; seductorum institutis, doctrinis & inventis & consequenter moribus vitiisq; cum applausu adhærent &c.

Locus VIII. JSAI. II. v. 20.

Talpæ & Vespertiliones non sunt objectum adorationis Judæorum, sed terminus ad quem projectionis Idolorum. Disp. IV.

§. 1.

VUlgata loci hujus versio (*in die illo projiciet homo idola argenti sui & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas & vespertiliones*) verbum להשתחות *ad adorandum* vel *ut adoraret*, referens ad *Talpas* & *vespertiliones*, adeoque hæc animacula objectum adorationis Judæorum constituens, nonnullis certè interpretibus, fontem vel omnino non consulentibus vel non rectè inspicientibus, ansam quærendi præbuit, *quomodo talpæ & vespertiliones à Jhudæis sint adorati*, cùm censente *Walthero* in Harm. ad h. l. & *Bocharto* de Animalibus S. S. nuspiam legatur, animalcula illæc à Jhudæis, imò ne quidem ab Ægyptis, ceteroqui superstitiosissimis, fuisse adorata vel pro Diis habita? Nos pro sensu loci indagando & liticula hac dirimenda 1. ipsum Qvæstionis *subjectum* s. *talpas & vespertiliones* paucis visuri, 2. *sententias variantes* de horum adoratione erumeraturi 3. *genuinam* loci *interpretationem* ex fonte aliisqve interpretandi mediis confirmaturi sumus.

§. 2. Qvod (I) *subjectum* qvæstionis attinet (1) *Talpæ* hic vocantur החפר פרות, quæ vox divisim qvidem scribitur & duobus simul accentibus signatur: unde & qvidam pro duabus planè vocibus accipiunt, illasqve unà cum litera servili ל, qvam h. l. præfixam habet, reddunt: *in fossuram* (cavernam, foramina,) *talparum*, atqve ita ל in seqv. voce לעטלפים h. e. *vespertilionum*, esset Genitivi nota, qvorsum & *Lutherus* collimare videtur reddens: in die Löcher der Maulwürffe und der Fledermäuse. Ceterùm non est novum, qvod compositæ hujusmodi voces, ex duabus completis constantes, divisim scribantur, conf. saltim Jer. 46. 20. ubi יפה־פיה i. e. *formosissima* &c. similiter nomina propria e. c. מלכי־צדק *Malkizedek*. Neq; novum est unam vocem partim emphasios, partim naturalis consecutionis ratione duobus gaude-

re accentibus. Tipcha certè qvinq; in locis in eadem voce concurrit cum Silluk & decies cum Atnach; loca vide citata ap. *D. Waſm.* in *Inſtit. Acc.* Tab. 1. Nota a. conf. & ibid. R. 14. m. 1. & 2. Igitur propter diviſam ſcriptionem & duplicem accentum vox compoſita per duas non eſt reddenda. Qvid? quod Radix חפר qvidem ſignificat *fodit*, à qua tam חפור prior, qvàm פרות poſterior nominis hujus pars eſt; verùm τὸ פרות pro *talpis* nullibi adhibetur, teſte *Buxtorff.* in *Vindic. Verit. Ebr. contra Capell.* 2. 12. 842. Alii ergo reddunt vel per: *fodientibus* (ad fodiendum) *foveas*, eademqve phraſi *talpas* intelligunt; vel per: *foſſorem fructuum*, qvaſi פרות vel *foveas* notaret, vel eſſet à Rad. פרה *fructificavit*, notaretqve avem ſic dictam, qvod arborum *fructus perforet.* At vero eædem illis, quæ præcedentis ſententiæ patronis, rationes obſtant; ubi enim qvæſo פרות vel *foveas* vel *fructus* ſignificat? Rectius ergo cum Hieronymo & aliis pro una voce compoſita habemus. Et notanter qvidem *talpas* à חפר *perfodit*, & *radicalibus* qvidem *geminatis*, חפור פרות appellari putamus, ut ſc. ſignificatio ſit intenſior q.d. *plurimùm fodientes*, talpas enim magnâ omnino curâ totisqve viribus & qvàm citiſſimè terram roſtro effoſſam ſuper ſe cumulare videmus.

§. 3. Deinde *Veſpertiliones* hic in Ebr. dicuntur עטלפים qvam vocem omnes h.l. & Lev. 11. 19. ut & Deut. 14. 18. reddunt *Veſpertiliones*; videtur autem compoſita ex עט *volavit* & עלף *velavit*, eo qvod in obſcuro *volitat* & interdiu ſe *velat* & abſcondit. Annon v. latinum qvoqve *talpæ* nomen ab hac voce עטלף deſcendat, cum ſit animal conſpectum fugiens & latibula quærens, ut abſcondita maneat, committimus. Apprimè v. *Talpæ & Veſpertiliones* h. l. conjunguntur, cum (1) ſint animalia in multis ſimilia; utrumque n. (a) animalculum eſt abjectum (g) murino qvodammodo generi annumerandum (c) vel nihil, vel parùm videns, propterea qve in obſcuriroribus degunt. Unde & (2.) conjunctio illa notanter apteqve ſatis rem ipſam exprimere videtur. Idola enim prædicuntur ad Talpas

&

& Vesp. projicienda, qvippè visu & mente carentia, adeoq; digna, quæ ex loco sublimi & conspicuo in tenebras & abjectissima animalculorum illorum foramina detrudantur. conf. *Bochart.* l. c.

§. 4. A subjecto progredimur ad prædicatum ipsasq; interpretum circa qvæstionem (an Talpæ & Vesp. à Jhudæis fuerint adorati) sententias variantes. Qvidam enim *vel* cum *Hieronymo* statuunt, non talpas & Vespertiliones propriè dictos hic intelligi, sed idola metaphoricè & per Sarcasmum talpas & Vesp. appellari, qvum illa æqve ac talpæ & Vesp. visu & mente destituantur; vel cum *Basilio*, *Forerio* & aliis arbitrantur, per talpas & Vesp. significari Diabolum, qui princeps est tenebrarum. Verùm à litera & proprietate ejus ad allegoriam vel spiritualem sensus literalis accommodationem non temerè procedendum est: neqve idola vel Diabolus cum talpis & vesp. hîc comparantur, neq; per Ironiam vel Sarcasmū sic appellantur, sed talpæ & vesp. in sensu proprio adducuntur, uti in seqq. ostendetur. Alii ergo non pauci, modò citantes *Herodotum* l. 2. num. 67. dicentem: *Apud Ægyptios bestiæ omnes pro sacris habentur*; modo *Plinium* 30. 3. scribentem: *peculiare vanitatis sit argumentum, qvod animalium cunctorum talpas maximè mirantur, tot modis à rerum natura damnatas, cæcitate perpetua &c. nullis æqvè credunt extis; nullum religionis capacius judicant animal, ut, si qvis cor ejus recens palpitans q; devoraverit, divinationes & rerum efficiendarum eventus promittat &c.* Hos inqvam Autores alii Interpretes pro se citantes, vero simile censent, talpas & vesp. à Jhudæis idololatris per Ægyptiorum vestigia ductis, & ceteroqvi vermes aliaqve vilissima colentibus (ceu videre est ap. Ezech. 8. 10.) verè esse adoratos, adeoq; Vulgatam sequentes, locum sic reddunt: *in die illo projiciet homo idola &c. qvæ fecerunt sibi ut adorarent imagines talparum & vespertilionum*, vel: *ut incurvarent se imaginibus talparum &c.* ita Pagninus. vel: *ut incurvarent se illis* (sc. idolis, & deinde per appositionem addunt) *talpis & vespertilionibus*, q. d. cæcis & luscios idolis, qui oculos habent sed non vident, iro

nihil lepidâ. Ita Junius. Ceterùm has similesqve sententias non probamus. Qvicquid enim sit de talparum ac vesp. cultu ap. Ægyptios qvondam recepto, negamus tamen consequentiam, negamus qvoqve Jhudæos h. l. horrendi illius talparum & vesp. cultus insimulari, id qvod patebit curatiùs rem consulturis. Hic enim non obscurè arguit, Vulgatam malè voces ultimas (talpas sc. & vespertiliones) cū proximo verbo *adorandi* construxisse, cum illas cum remotiori verbo *projiciet* construere debuisset.

§. 5. Ita v. locus hic sensu genuino & clarè satis ex fonte fluit: *In die illo projiciet* (abjiciet) *homo* (qvisq;) *idola auri sui* (h. e. aurea, per Ebraismum) *qvæ fecerant sibi, ut adorarent, ad talpas & vespertiliones*. Probamus a. hanc interpretationem (1.) Ex *Accentuatione loci*: nam *Accentus majoris distinctionis* in voce לחשתחות *ad adorandum* (qui est Rex *Sakephkaton*) distinguit verbum illud *adorandi* à seq. neqve adeo patitur, verbum adorandi cum seqq. *talpis* sc. & *vesp.* construi, sed indicat potiùs seqq. voces לחפור פרות ולעטלפים h. e. *ad talpas & vespertiliones*, non cum proximè præcedente *adorandi* verbo, à se insesso, sed cum remotiori *projicendi*, eo qvem diximus sensu, esse construendas; voces a. qvas Accentus ipse terminat, scil. hæc (*qvæ fecerant sibi ad adorandum*) parenthesi includendas. Illum distingvendi tenorem continua praxis accentuatoria luculenter confirmat. *conf. Doct. Masm. Instit. Accent.* (2.) Eodemqvoq; collimat *particula inseparabilis* ל præfixa vocibus לחפור פרות ולעטלפים i. e. *ad talpas & vespertiliones*. Nam ל ordinariè & primariò vel significat *ad, in*, cum Accus. & motum ad aliqvid denotat (unde illam ex אל *ad* decisam esse qvidam volunt) vel Dativum notat. conf. Glass. Ph. Sacr. l. 4. Tr. 1. Obs. 6. Accedit (3.) qvod *projici ad talpas & vespertiliones*, proverbialiter ap. Ebræos dictum esse videatur, de eo qvod abjectum planè despectumqve erat. Conf. Historia Jacobi, Idola sub terra absconditis, ubi talpæ degunt Gen. 35. 4. Nec (4.) refragatur *contextus*: nam in proximè præced. v. 18. idola prædicuntur penitus mutanda h. e. labefactanda, & v. 19. Jhudæi idolа-

lolatræ præ gloria Majestatis Messiæ dicuntur abdita petrarũ qvæsituri &c. Qvæ omnia commodũ hunc loci sensum confirmant: Nunc *idola* qvidem *aurea & argentea*, *qvæ sibi fecerunt ad adorandum*, mordicus retinent inq́; loco sublimiori venerantur Idololatræ; sed *in die illo*, ultionis scil. Messiæ ab ipsis rejecti, cum idola penitus mutabuntur & omnia præ gloria DOMINI plena erunt, malis obruti & gloriâ majestatis ejus territi, ipsamq́; idolorum impotentiam ad opem ferendam experientes, *idola sua*, ex indignatione, contemtu & timore, *ad talpas & Vespert. abjicient* i. e. ad loca, qvibus talpæ & vespert. occultantur: quomodo id Lutherus παραφράζει. Neqve enim talem παράφρασιν hic improbamus, licet contra illos, qvi vertunt *in cavernas*, (foramina) *Talparum & Vespert.* suprà disputemus; aliud enim est παράφρασις loci, aliud μετάφρασις. Præter necessitatem v. à nobis & Luthero hic abit *Glassius*, qui ceteroqvi in distinguendis loci hujus verbis contra Vulgatæ patronos noster est, dum ita hanc *projectionem idolorum ad Talpas & vesp.* exponit: *conversi relinqvent idola, qvæ coluerunt, obstinatè cæcis & infidelibus DEIq; ignaris; ipsi v. DEO in cælesti luce servient.* vide *Glass.* Phil. Sacr. l. 5. Tr. 1. c. 11. qvem seqvitur h. l. *Prükner.* in Vindic. ad h. l. Qvid enim opus est à litera recedere vocesq́; *Talpas & Vesp.* metaphoricè de spiritualiter cæcis accipere, cum litera h. l. sensum gignat satis commodum & genuinum, jam pluribus probatum?

LOCUS IX. JSAI. II. ult.

De Homine illo cui spiraculum in naribus &c. non irritando, an sit θεάνθρωπος?

DE Homine illo grande bellum Interpretes movent, quod ut καδδύναμιν componeremus, tria præcipuè tribus omnino punctis ex professo tractaremus, si quidem pagellæ scriptioni huic destinatæ id ferrent, primo scil. παρασκευαστικῷ varias dissidentium interpretationes præcognoscendo viã præpararemus; 2. κατασκευαστικῷ genuinam loci interpretationem instrueremus veramqve de Homine illo sententiam argumentis adstrueremus:

Tertio deniq; ἀναστατικῶ adversarum qvoq; interpretationum fulcimenta destrueremus, ut hismet omnibus expeditis genuinus loci usus tantò clariùs appareret. Tractabimus tamen singula paucis breviter, pro instituti spatiiq; ratione. Qvod attinet (1.) præcognoscendas *dissidentium sententias*, multi certè per Hominem illum intelligunt ψιλὸν ἄνθρωπον, alii v. ipsum Messiam θεάνθρωπον. Qvantum v. hoc dissidium? qvanta interpretationis distantia? Qvi de *vulgari homine* locum exponunt, rursus scinduntur: pars de primo homine intelligit, qvod *Rabbini* qvidam faciunt & *Arias Montanus*; Pars v. de homine qvocunqve sive *non fiducialiter colendo*, utut sit amabilis opitulator, sive *non timendo*, qvamvis terribilis sit bellator, ut Assyrius, interpretantur. Utrumq; haut dubiè respexit Targ. Jonathan ita h. l. exponens: *Prohibete vos, ne serviatis homini opere timoris vel cultus: qvia anima spiritus vitæ in naso ejus.* Eidem *suffragantur Rabbini, Raschi, Aben Esra, Kimchi* &c. per quorum vestigia multi ducuntur Interpretes Christiani, cùm *Pontificii* qvidam, & præcipuè *Vatablus*, tum *Reformati* ferè omnes præcipuè *Calvinus*, *Junius* (qvanqvam hic parum à Calvino abit) *Piscator. S. ab Amama, Grotius* & ex nostris *Pruknerus* in Vindic. ad h. l. &c. ut sc. hic sit sensus, *Nolite fiduciam in ullo hominum ponere, aut ab eodem timere: Vita ejus ab aëre pendet, qvo intercluso peribit; qvantilli enim ipse faciendus est?* Pars deniqve de *non offendendo & exagitando* vel *homine* qvovis *generatim*, vel *speciatim Propheta ipso*, ne sc. dum homo vel Propheta offenditur (qui despectus qvidem videtur, sed ap. Deum magni æstimatur) simul judex mundi, in cujus manibus est ventilabrum, exasperetur. Priorem loci sensum, de homine qvovis non offendendo, possibilem qvidem dicit, non tamen suam facit *Oecolampadius*, ut infra dicetur; Posteriorem v. qvidam Rabbini exosculantur. Alii contrà de θεανθρώπῳ locum hunc intelligunt, rebellione non ampliùs irritando, cum horribiliter irascatur hostibus, & non abjectus sit homo, sed maximi ap, DEUM æstimatus, imò ipse DEUS. Cui sententiæ de Christo patro-

patrocinatur magna cùm Patrum veterumqvè Rabbinorum, tum *Pontificiorum Corn. à Lapide, Sanctii, Menochii, Tirini &c.* & noſtratium plerorumqve turma, à qvibus ſine cauſa diſcedunt Calviniani, quibus laudatum jam *Oecolampadium* opponimus, nobiſcum poſteriori huic ſententiæ de ἀνθρώπῳ ſuffragantem.

§. 2. Militat pro ἀνθρώπῳ non tantùm (1) qvod Propheta (cenſente Origene) *ſingulariter* hic loquitur de homine, qvem præfixo ה Articulari & Emphatico (quod ordinariè certum aliqvod ſubjectum notat) διαλικῶς monſtrat, ut in dicet de ſubjecto ſe agere certo, & de eo qvidem, de qvo in præcedd. agitur, de Meſſia ſc. Judice v. 4. & ſeqq. qvi eſt unus homo in gratia Rom. 5. 15. & ſimul Jhova. Jer. 23. 5. conf. 2. Sam. 7. 19. 1. Chron. 17. 19. Sed & (2) *omnia in hoc epiphonemate contenta*, præcipuè *duæ rationes* imperativi Prophetici, & qvidem primò phraſis נשמה באפיו *Spiraculum in naribus ejus*, noſtram juvant ſententiam. Illa enim non infert rationem diminutivam, uti adverſæ parti videtur, ſed amplificativam: Siqvidem vehementiam iræ vel indignationis adverſus hoſtes, deſignat, ut idem hic dicatur, qvod Pſ. 2. 5. 12. *oſculamini &c.* quod prob. (a) qvia nunquam in ſcripturis נשמה ſive fuerit נשמת שדי h. e. *Spiraculum Dei* Job. 32. 8. c. 33. 4. c. 37. 10. Iſai 30. 33. ſive נשמת אדם h. e. *ſpiraculum hominis* Gen. 2. 7. Prov. 20. 27. proponitur ut ratio deprimens ſ. diminuens, vel ut imbecilitatis ſignum, conf. inſuper Dan. 10 17. ſed potiùs ut ratio extollens vel ut ſignum perfectionis & virtutis. Add. Job. 27. 3. Qvare igitur h. l. foret depreſſionis argumentum? (b) licet in omni homine detur נשמת רוח חיים qvod non niſi animam & perfectionem ejus indigitat Gen. 2. 7. nullibi tamen de comuni homine dicitur, qvod ſit האדם אשר נשמה באפיו uti h. l. dicitur; ſed phraſis illa de Deo ejusq; potentia & ira ſ. juſtitia vindicatrice uſurpatur. conf. 2 Sam. 22. 16. Pſ. 18 16. Job. 4. 9. Iſai. 30. 33. & alia jam citata. Igitur nec h. l. nudus homo notatur, ſed talis in cujus naribus eſt ipſius Jhovæ Spiritus & juſtitia vindicatrix. Eodem tendit (3) ratio ſecunda כי במה נחשב הוא. Hæc n. locutio pariter infert rationem non depreſſivam, ceu Adverſarii volunt; ſed ſuperlativam: neqve n. illa interrogationem ſiſtit negationi æquipollentem h. ſ. *in qvo reputatus eſt ille?* h. e. nihili æſtimatus eſt, uti quidem alii cenſent; ſed exclamationem cum admiratione, adeoq; non floccipendentis ſed admirantis vox eſſe deprehenditur, atqve ita rectiùs reddenda eſt: *nam in qvo æſtimatus eſt ipſe?* vel uti Oſiander: *Qvanti n. æſtimatus eſt? q.d.* inæſtimabilis eſt ille homo Jeſus Chriſtus Dei Filius, cui nemo in hoc mundi eſt comparandus. conf. Pſ. 8. præcipuè v. 5.

præ

Præterimus hîc versiones, qvæ ב in בָּמָה pro radicali, non pro lit. servili habent, qvasi scriptum esset בָּמָּה, e.c. Vulgatam, qvæ habet, *qvia excelsus reputatus est ipse:* Licet enim hæc qvoq; versio subjectũ extollat, mendosa tamen est: qvia non legitur hic בָּמָּה sed בָּמָה, neqve בָּמָּה adjectivè, sed substantivè *excelsum locum*, speciatim qvo sacrificatur, notat. Suffragatur (4.) ipsum verbum חָדַל *cessate* cum pron. לָכֶם *vobis*: de qvo *B. Varenius* Comment. ad Jsai. h. l. p. 46. verbum, inqvit, חָדַל cum personaliter construitur interveniente idiotismo pronominali לְךָ vel לָכֶם & particula מִן vel מ, semper dicit absistentiam inferioris à superiori irritando s. ad vindictam provocando, nunqvam v. à timendo s. confidendo vel inferiorem lacessendo conf. locum parall. 2. Chron. 35. 21. add. c. 25. 16. Non obstant loca Exod. 14. 12. Job. 7. 17. cum in illis non sit similis vocum positus, nec eadem phrasis. Præterea (5.) *contextus* quoqve favet. Nam (a) totum caput II. de Messiæ temporibus agit, & præcipuum ejus subjectum Messias est, qvod præcedd. Dispp. ostendunt. Cur ergo nec ultimus hic capitis versus ad eundem esset referendus, cum cetera versus contenta planè omnia eodem colliment? (b) in prox. præcedd. propheta prædicit futurum esse, ut Messias contra ingratos elatosq; Jhudæos cum gloria ad judicium sit appariturus v. 17. seqq. id v. ne experiantur, idem eosdem hoc versu 22. ut à vano Messiam irritandi conatu abstineant, hortatur. Qvod si v. ita locus hic, qvi capitis conclusio est, non connectatur, commodam certè cohærentiam cum præcedd. non habet. Sed & (c) Interpretatio nostra cum seq. c. 3. v. 1. seqq. bene cohæret: q. d. qvia v. noluistis cessare ab Homine illo irritando, ideo nihil post ejus passionem ap. vos firmum validumqve erit, sed Homo ille Deus aufferet &c.

§. 3. Non licet ampliùs; ostenderemus aliàs adversarum qvoqve sententiarum inconvenientiam. Videatur v. *B. Varenius* Comm. ad Jsai. h. l. p. 49. in fine, qui certè qvemadmodum præced. loci ne qvidem meminit, ita contrà de præsente fusiùs ibid. disserit, hoc nomine à *B. Calovio* in Bibl. illustr. p. 19. laudatus. Interim tamen *Usus* loci in Theologia præcipuè controversa patescit, & qvidem in Artic. de *Messia*, qui (1) verus quidem nobisq; ἄνθρωπος אָדָם s. *homo*; non v. *nudus*, sed juxta h. l. נִחְשָׁב מֵאַיִן h. e. *æstimatissimus*, imò *inæstimabilis*, in cujus naribus est נִשְׁמַת יְהוִה h. e. ipsius Jhova Spiritus & justitia vindicatrix, adeoqve & *verus* æternusqve Deus, verbo: θεάνθρωπος. (2) qvi à Jhudæis qvidem, Jsai. 53. 3. dicentibus לֹא חֲשַׁבְנֵהוּ h. e. *non æstimavimus ipsum*, rejectus, & ligno crucis tq. maledictum affixus; nihilominus tamen ap. Deum admirabiliter tantiq; æstimatus, ut passio ejus, tq. Dei- Hominis pro totius mundi peccatis inæstimabile fuerit pretium, qvi adeo non irritandus, sed præ mundi thesauris perpetim æstimandus &c.

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
QVINTA
DE

ZEMACH JHOVÆ
ET
FRUCTU TERRÆ

EX JSA. IV. 2.
Aliisqve ejusdem Prophetæ Locis,
Quam
Auspice DEO-Homine,
Pl. Reverenda FCtate THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S.TH.D. EJUSDEMq; PROF. PUBL. ORD. & CONSIST. DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,
Ad d. IX. Julii hor. mat. 1687
publicæ collationi Academicæ sistit
JOACHIMUS Utecht/ Sedino-Pom.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0073
DFG

APPENDIX LOCI PRÆCED. JSAI. II. 22.

DISP. V.

CEssare nos præcedens jubebat locus, ceſſare inqvam à pertinaci Deum-Hominem irritandi ſtudio. Exinde proh! & nos qvidem ab opere lectionum Prophetica-rum ſtudioq; Diſſertationum Exegeticarum ceſſavimus, non tamen deſidioſi nec feſſi, ſed luctu vah! merſi maximo ceſſavimus. Intervenere tamen & feriæ Paſchales ac Pentecoſtales. Cum verò non tam privatorum (qvos utiqve non poteſt non pientiſſimæ fideliſſimæqve Conjugis amiſſæ deſiderium accendere) dolorum, qvam publicorum ſit officiorum habenda ratio, ceſſare tantiſper dolores (qvibus ceteroqvi, Ciceronis judicio, ut honore ſuo luctus colitur) jubemus, ne ſcilicet amplius in opere ſtudioqve ceſſare noſtro teneamur. Abrumpere vero nuper exegeſin loci cogebamur, oſtenſuri adverſarum qvoqve interpretationum inconvenientiam, qva ſcilicet locum non de *Meſſia Deo-Homine*, ſed de *nudo homine non fiduciaiter colendo nec timendo &c.* intelligunt, ſimulq; lectorem ad aliorum commentarios remittebamus. Jam verò cum illi theſin qvidem fuſius adſtruant; antitheſios vero inconvenientiam paucis tangant, paulò plenius iſtam hîc oſtendere, antequam ad alia progrediamur, oportebit.

§. 2. Certè enim noncohæret (1.) expoſitio de *non metuendo* homine licet potentiſſimo ſc. Babylonico ſ. Aſſyriaco: Siqvidem in præcedd. pœna & judicium proponitur ingratis, non autem conſolatio contra hoſtes intenditur, nec qvicqvam de Rege Babylonico vel Aſſyriaco memoratur. Nec (2) explicatio de *non confidendo* in ullo homine, etiam potentiori; cum certè potentiſſimi qvoqve Jhudæorum, & qvicqvid altum erat, ſimul in Imperativo illo חדלו לכם h. e. *ceſſate vobis* contineantur: reſpicit enim imperativus iſte ad illos ipſos rebelles ingratosqve Jhudæos, qvi præc. v. 9. diſtribuuntur in אדם & איש ſ. in *homines* & viros h. e. per Ebraiſmum, in *plebejos* & *nobiles*

vel *potentiores*, qvi juxta præced. v. 11 12. *oculos altitudinis habent & præ gloria Domini Messiæ ad judicium apparentis se abdituri sunt*, v. 19. ut ita idem sit objectum *rebellionis & cessationis*. Unde patet, non tantùm inferioribus sed & summis heroibus dici h.l. *cessate vobis ab homine* &c. adeoq; hominem illum, à qvo cessandum est, alium esse, qvam omnes illi, qvi jubentur hic cessare. Neq; (3) de *Propheta non exagitando*, vel *homine*, qvi despectus videtur, *non offendendo*: cum nihil hic de Propheta exagitato vel homine offenso in antecedd. dicatur, neq; Propheta de suo hic tempore loqvatur, sed de diebus Messiæ conf. præced. v. 1.

§. 3. Nihilominùs objiciunt 1. *Jun. & Trem.* respici hoc versu ult. ad vers. 5. ut scil. adhortationi ad *ambulandum in lumine Jhovæ*, hîc respondeat dehortatio à fiducia humana. Sed Resp. 1. Connexionem longiùs, qvàm decet, peti qvis non videt? neq; 2. adhortationi ad ambulandum in lumine Dei h.e. ad amplexum Messiæ, qvi est lumen verum, respondet dehortatio à fiducia humana 3. posito a. respici ad illam exhortationem v. 5. tum certè convenientiùs ita nexus & respectus formaretur: qvia vos Jhudæos frustra jam ad amplexum Messiæ luminis Dei v. 5. sum exhortatus (vos n. humilitate ejus personæ & forma servi heu! offendimini & proinde meritò reprobamini v. 6.) & verò idem contra vos contemtores ac rebelles gloriâ planè magna est appariturus v. 10. 19. 21. proinde vos etiamnum, antequam ira ejus exardescat, dehortor, ne ita pergatis, sed potiùs ab irritando illo, qvi nudus qvidem homo videtur vobis, sed inæstimabilis simul Deus est, in tempore cessetis.

§. 4. Obj. 2. respectum haberi ad v. 1. & seqq. cap. seq. 3. ubi dicuntur *aufferendi à Jhuda potentes bellatores* tanqvam regni Jhudæ *fulcimenta*, qvi proinde sint מאחם, à qvo juxta v. præced. sit cessandum, simulq; videri nexum illum causalem כי *qvia* in principio cap. 3. id postulare q. d. *cessate ab homine* h.e. à fiducia humana, *qvia Deus aufferet* homines *potentes*, qvi animos

mos ita vestros extollunt &c. Sed Resp. 1. per inversionem: certè n. convenientiùs Homo ille v. 22. in cujus naribus spiraculum, qviqve maximi æstimatus est, per illud כי *qvia*, ad ipsum refertur Deum & Dominum exercituum, Messiam, omnia domus Jhudæ firmamenta ablaturum juxta v. 1. cap. 3. q. d. cessate ab homine illo inæstimabili Messia irritando, in cujus naribus est spiriculum Jhovæ, qvia idem tanqvam Deus & Dominus exercituum, nisi cessaveritis, aufferret flatu iræ suæ omnia status vestri firmamenta. 2. Non tantum ad inferiores & imbelles, sed ad ipsos qvoqve superiores & potentiores dirigi illud *cessate vobis ab homine illo &c.* adeoq; potentes per האדם s. hominem illum h. l. non intelligi, sed hominem illum longè esse alium, jamjam præced. §. 2. fuit ostensum.

Locus X. JSAI. III. 1.

De omnibus firmamentis, summis, medioxumis & imis, à Jhuda & Jrusalem aufferendis.

AD locũ hunc, qvo incipit prædictio pœnæ corporalis, nempe desolationis regni Jhudaici, notamus 1. *aufferenda* 2. *ablationis tempora. Aufferenda* s. illa, qvæ *Dominus exercituũ* à Jhuda & Jrusalẽ recedere fecit, indigitantur vocibus משען ומשענה qvæ Luth. reddidit allerlei Vorrath. Qværitur verò qvid sibi voces hæ velint, & qvænam illa fuerint *aufferenda*? Qvod ut rectius eruatur 1. *Etymon* vocum, 2. *Versiones* 3. *complexum s. copulationem ipsarum in gen. Masc. & fœminino*, visuri sumus. *Voces* ipsæ, qvæ extra h. l. in S. scripturis non habentur, participia sunt nominascentia, ex conjug. Hiphil ducta, altera qvidem Masc. altera vero fæmin. generis. Differunt nonnihil à voce מִשְׁעָן qvæ seqventi membro habetur, & alibi qvoqve in Scripturis reperitur, significans *fulcrũ*. Sunt vero à Rad. שען *innixus est firmiter, incubuit*, q. d. *confirmantem s. facientem ut sibi innitar*. Eodem v. & *versiones* ferè tendunt seqq. Vulgatus n. reddit per *Validum*

& *fortem*, Vatablus, *fulcimentum & fulcimentum*, item *baculum & baculum*: Jun. & Trem. *Scipionem & bacillum*: Mûnsterus *omne sustentans & roborans*: Avenarius *fulcimentum & sustentationem*: LXX. *validum & validam*: Tigurini *fulcientem virum & fulcientem fœminam &c.* Ex qvibus versionibus posteriores duæ diversa qvidem vocũ duarum hîc copulatarũ genera respexerunt, non tamen Ebraismum in illis latentẽ expresserunt. Igitur hîc 3. attendendus est ille vocum *ingenere masc. & fœminino complexus*. Talis enim copulatio generum (alibi etiam numerorum sing. & plur.) per Ebraismum qvendam significat complexum rerum, de qvibus sermo, tam magnarum qvàm parvarum, tam summarum qvam imarum. Sic in uno Eccl. 2. 8. loco talis complexio vocum tam in diverso genere qvam numero datur: *feci mihi* שרים ושרות *cantores & cantatrices* שרה ושרות *Symphoniam & Symphanias*, h. e. omnis generis musicos & symphonias. Adde Isai 43.6.c.49.22. c. 60. 4. Conf. *Glass. Phil. sacr. l. 3. Tr. 1. Can. 20.* Cum igitur & h. l. voces in gen. masc. & fœm. copulentur, qvæ *confirmantem cui qvis innititur s. firmamenta* notant, certè complexu illo Propheta signare complexum omnium voluit firmamentorum status Jhudaici aufferendorũ, tam majorum & summorum, qvæ sunt משען qvàm minorum & imorum, qvæ sunt משענה q. d. aufferet Deus omnia cujuscunqve generis firmamenta, tam *summum s. Ecclesiasticum*, qvod in gloria Templi, cultus publici, Sacerdotii & Prophetiæ consistebat, illiqve *proximum & politicum*, qvod in gloria Regni Regumq; fortissimorum rerumq; peritissimorum, consiliariorum item oratorumq; prudentum, potentiumq; bellatorũ spectabatur; qvàm imum s. *Oeconomicum*, qvod per frugũ ad victum omnino facientium copiam, per mercatores honestos & artifices ingeniosos terramq, lacte ac melle abundantẽ ap. Jhudæos florebat; prout ipse Propheta hæc firmamenta in principio cap. hujus 3. v. 2. 3. 4 s. per inductionem specierũ & per omnes

tres

tres ſtatus exponit. Dices, verba proximè ſeqq. כל משען לחם וכל משען מים h. e. *omne fulcrum panis & omne fulcrum aqvæ* Luth. allen Vorrath des Brods / und allen Vorrath des Waſſers / exegetica eſſe vocum qvæſtionis, adeoque præcedentibus non notari cujuscunq; generis firmamenta ſtatus, ſumma & ima, ſed ſuſtentationis tantùm, qvæ fit pane & aqvâ. Sed Reſp. 1. obſtare Ebraismum jam expoſitum, cujus amplior eſt emphaſis & reſpectus. (2.) incipere verbis jam objectis inductionem ſpecierum, & qvidem primò firmamentorum parvorum ſ. qvæ ad imum pertinent ſtatum, ſc. ablationem omnis eſculenti & potulenti, per panem & aqvam Synecdochicè notati.

§. 2. Qv. 2. de *tempore ablationis*? *Grotius* Polyhiſtor, qvi ante annos non ita multos, cum Legatus ex Batavia in Sveciam cogitaret, hîc Roſtochi diem ſuum obiit, arbitratur hîc deſcribi tempora ſub Regibus Jhudæ Jojakim & Zedekia, de qvibus 2. Reg. 24. & 25. nempe tempora captivitatis Babylonicæ. Similiter & Ebræi qvidam ad Babylonios hæc retulerunt. Verùm nos meritò cum Hieronymo, Baſil. Cyrillo Alex. Brentio, Oſiandro, junio, Corn. à Lap. Tirino &c. diſſentimus. Nam (1.) diſertè hîc Prophetæ, Duces ac Senes dicuntur auferendi Iſai. 3, 2. illi v. in captivitate Babylonica non ſunt ablati. Nec (2.) ſupplicia Prophetiæ hujus c. 3. propoſitæ tempore captivitatis Babylonicæ abſolvuntur: ipſi enim Jhudæi interrogati, qvare ſeqv. v. 26. in plur. dicatur פתחיה h. e. *fores ejus* (urbis Jruſalem) fore mœſtas, reſpondent, prædici his verbis deſtructionem urbis templiq; tàm primi per Nebucadnezarem, qvam ſecundi per Romanos factam. 3. Inſignis illa de Meſſia Zemach Jhovæ Prophetia, qvæ ſq. ſtatim c. 4, 2. ſubjungitur, imo & cum particula Prophetiæ hujus pœnalis conjungitur, atq; his incipit verbis: *In die illo erit Zemach Jehovæ* &c. non obſcurè oſtendit, hanc præcedentem qvoq; Prophetiam pœnalē judiciariā de

aufferendis omnibus firmamentis, tempora N. T. attingere; qvicqvid Grotius hic & illic ogganniat. Conf. qvæ ad seq. locum de tempore annotamus. Rectiùs e. hanc Prophetiam pœnalem non tantùm ad captivitatem Babylon. sed & ad devastationem post Christi passionem per Romanos factam referimus, ita ut Propheta utramque devastationem una eademqve Prophetiâ complectatur. Excidium enim sub Nebucadnezare præludium fuit totalis & ultimæ vastationis.

DECADIS II.

Locus I. JSAI IV. 2.

De Messia germine Jhovæ & fructu terræ.

CIrca loci hujus sensum rectiùs indagandum (qvo lætior Prophetia Evangelica post luctuosam totalis devastationis prædictionem, propter residuos in Jhudæa fideles inchoatur) qvatuor qvidem præcipuè veniunt consideranda *1. temporis* circumstantia 2. *Subjecti* excellentia 3. *prædicati* magnificentia 4. *Objecti* angustia; cum vero duo priora tantùm unà cum qvarto sint controversa: tertium enim s. prædicatum, his comprehensum verbis: *erit in jucunditatem & in gloriam, in magnificentiam & in decorem*, satis elucescet, ubi de *Subjecto* constiterit, igitur tres modò qvæstiones de *Tempore*, *de Subjecto* & *de Objecto*, expediendæ nobis erunt, quibus explanatis usus loci sic satis erit conspicuus. Qværitur (1.) qvinam temporis articulus hisce loci verbis ביום ההוא h. e. *in die illo*, indigitetur? *Grotius* certè, paulòantè citatus, cujus verba deinceps circa subjectum adscribemus, *de temporibus Esdræ & Nehemiæ* s. redeuntium ex captivitate Babylonica exponit. At vero (1.) falsa is hypothesi inferiùs refutandâ videtur niti, qvasi per *Germen Jhovæ* h. l. primo sensu intelligantur *reliqviæ exulum*, qvæ dictis Esdræ & Nehemiæ temporibus domum redierunt, 2. attendendum est, respicere hanc temporis descriptionem ad tempora

pora proximè præcedentis prophetiæ legalis judiciariæ, qvippe cum qvâ præsens hæc Evangelica arctissimè cohæret: hæc n. cohærentia ut rectiùs intelligeretur, ecce antecedentis vaticinii particulam de tanta Virorum clade, ut septem mulieres de uno Viro cum renunciatione juris suî duplicis, alimenti scil. ac vestimenti, tutelæ præsidiiqve causâ sint litigaturæ, ad initium præsentis qvarti capitis referre voluit, qvi capita distinxit, licet vel maximè præsentis loci Prophetia Evangelica, qvoad materiam, à præcedente prophetia legali sit distincta; ut adeo frustra sit Grotiùs, hanc capitis qvarti ordinationem perstringens his verbis: *Hîc* (ubi sc. incipit Propheta de Germine Jhovæ vaticinari) *debuerat inchoari nova sectio: est enim sermo de aliare.* Conf. Calov. Bibl. illustr. ad h. l. Quod vero præcedens vaticinium, qvocum præsens Evangelicum connectitur, non tantùm partialem plagam Babylonicam sub Zedekia, sed & totalem ac funeralem populi Jhudaici stragem tempore N.T. post passionem Christi per Romanos illatam complectatur, ad locum præcedentem §. 2. fuit ostensum. Non ergo dubium est, qvin Propheta h. l. dicens: *in die illo erit Zemach Jhovæ &c.* ad dies respiciat illos, qvibus Jhudæi à Rom. multa omnino mala fuerunt passi, qvibus omnia susqve deqve ferri ap. Jhudæos fuerunt visa, qvibus omnia planè firmamenta à Jhuda & Jrusalem ablata h. e. ad tempora N. T. s. dies Messiæ. Benè ergo Kimchi verba hæc ביום ההוא ita interpretatur: ביום התשועה בבוא הגואל i. e. *in diebus salutis illus, cum venerit Redemtor.*

§. 2. Cum vero temporis circumstantia sic satis jam clarescat, certè nec (2.) *Subjectum*, de qvo Prophetæ hic sermo est, s. qvemnam per צמח יהוה h. e. *germen Jhovæ*, qvod simul hîc dicitur פרי הארץ h. e. *fructus terræ*, intelligat obscurum esse neqvit. Ut vero subjectum hoc clariùs innotescat, 1. titulum ejus priorem *Germen Jhovæ* 2. posteriorem *Fructus terræ* exposituri sumus. Titulus prior ipsumq; sub-

subjectum illustrabitur, si (1.) versiones tituli contulerimus (2.) falsas de eo sententias refutaverimus (3.) genuinam confirmaverimus. Qvod (1.) versiones prioris tituli יהוה צמח attinet, præterimus qvidem *Cabbalisticam* vocis *interpretationem*, qva *Zemach* redditur per מנחם h. e. *consolatorem*, qvod ceteroqui nomen Cabbalistæ & Talmudistæ inter nomina Messiæ recensent. Per Gematriam enim s. arithmantiam (eam Cabbalisticæ partem, qva diversæ dictiones eundem literis suis numerũ exprimunt, sic ut una per alteram secreto explicetur. modo) nomen צמח in numeris idem valet qvod nomen מנחם, nempe 138. conf. *Buxtorf. tractat. Abbreviatur, Ebr.* p. 62. Non vero possumus non antiqvissimum laudare *Paraphrastam Chaldæum Jonathanem*, qvi vocem צמח hoc & aliis qvatuor locis infrà citandis constanter per משיחא reddit adeoq; cum Christianis de Messia interpretatur, ut adeo vel unica locorum horummet expositio Chaldaica nefandam hodiernæ Judæorum Synagogæ apostasiam ab antiqva, qvæ Jonathanis tempore fuit, Schola revelet. Minimè verò laudare *Græcam τῶν* LXX. poterimus, qvi procul à genuino loci sensu recedentes pro nomine צמח hic habent verbum Βλάμψει i.e. *splendebit*, atq; ita locũ reddunt: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ Βλάμψει ὁ θεὸς ἐν βλῇ μετὰ δόξης &c. Rectius tamen vocem hanc iidem in loco parall. Jer. 23. 15. vertunt per βλαστὸν, qvæ vox à βλαστάνω *germino*, & in reliqvis parallelis per ἀναταλὴν. Hæc enim vox non tantùm de *ortu solis* Jud. 5. 30. & de *regione* vel ea cœli parte *ubi sol oritur* Matt. 2. 2. sed & de *germine* qvod ex terra oritur & de herbis, teste Appollonio & Svida, conf. Ezech. 17. 7. Gen. 2. 5. c. 19. 25. imo & de Messia in N. T. adhibetur. Nam Luc. 1. 78. à Zacharia Sacerdote dicitur: *visitavit nos* ἀναταλὴ ἐξ ὕψους, h. e. *oriens* (germinans) *ex alto*. Conf. & Ebr. 7. ubi Christus dicitur ἀνατελλέι i. e. *germinasse* ex tribu Jhudæ.

§. 3. Post versiones videbimus *varias Interpretum* sententias

tentias. Certè enim (1.) *Grotius* de eo ita sentit: *Germen Domini sunt primo sensu reliquiæ exulum, quæ Esdræ & Nehemiæ temporibus domum reversæ laudabilem vitam duxerunt; μυστικῶς autem Christus & Christiani.* At vero (1.) tempora non quadrant, uti jam antè ostensum. Neque (2.) prædicata reliquiis exulum conveniunt: num enim in die cladis Babylonicæ tanta fuit reliquiarum populi gloria & magnificentia? Neq; (3) jucunditas ac gloria germinis, & magnificentia ac decor fructus terræ laudabilem vitam significant (4) Si de reliquiis Israel h.l. sermo est, quomodo germen de Christo, aut si de Christo, quomodo de Christianis simul? an reliquiæ fuerunt typus Christi? Conf. *Calov. Bibl. illustr.* ad h.l. Non procul à Grotio absunt (2) Jhudæi quidam recentiores, & Pontificii nõ omnino nulli, qui de *reliquiis Judæorum* à strage Babylonica superstitum intelligunt, de quibus ita *Tirinus: hæ* inquit, *reliquiæ rursus germinabunt, & in pristinam ubertatem & gloriam evebentur.* *Sanctius* per germen intelligit *populum Dei, q.d. germinare faciet Deus arentem populum &c.* Similiter *Anglicæ* Annot. de *Ecclesia & populo* Dei interpretantur. Sed (1.) proprium Ecclesiæ nomen ap. Prophetam est Israel aut reliquiæ Israëlis, hoc versu & seqq. (2.) Contextus apertè germen hoc distinguit ab Ecclesia s. credentibus, illis &c. qui relicti vel servati fuerint, de quibus paulò post circa objectum. Tandem (3.) *Calvinus* rectè quidem Comment. in Isai. ad h. l. distinctionẽ germinis ipsius & reliquiarũ admittit, sed germen ibi Jhovæ & fructum terræ de *copioso & insolito gratiæ proventu* interpretatur, *quem promittat Deus reliquiis post diuturnam vastitatem regni & terræ.* Verùm hoc ipso non tantùm vestigia Præceptoris sui *Joh. Oecolampadii* (Germ. Hauβschein) deserit, sed & à discipulis suis, nempe *Dav. Pareo* in adversariis ad h. l. & *Junio* in Scholiis deseritur ac refutatur. Et meritò: nam copiosa Dei gratia & dona, quæ per Messiam germen Dei nobis obtingunt, seqv v. 3. & 4. commemorantur & à germine hoc

diſertè tanqvam effectus à cauſa diſtinguuntur, ut ſunt electio, ſanctificatio, ablutio ſordium peccati &c.

§. 4. Rectiùs ergo ſubjectum h. l. ſtatuitur ipſe Meſſias, ut idem ſit *Germen Jhovæ & fructus terræ.* Nam (1.) ſingularis hic Meſſiæ titulus eſt, qvo & alibi à Prophetis inſignitur, & qvidem modò abſolutè dicitur *Zemach* Zach. 3. 8. c. 6. 12. modò cum addito *Zemach Davidis* Jerem. 23. 6. c. 33. 15. Ut ita Meſſias qvinqvies ap. Prophetas appelletur *Zemach.* Quid? qvod ipſe Iſaias eundem titulum *Zemach* ſucceſſu temporis & qvidē infrà cap. 11. 1. (cujus ſummam hoc cap. 4. continet) per alia qvaſi Synonyma חטר & נצר declaravit dicens: *Et egredietur* חטר i. e. RAMUS *de trunco Iſchai &* נצר i. e. *SURCULUS de radicibus ejus progerminabit.* Qvem locum Targ. Jonathan ita exponit: *& egredietur Rex de filiis Iſchai & Meſſias de filiis filiorum ejus progerminabit* (magnificabitur) (2.) verè Chriſtus eſt *germen Jhovæ*, qvia eſt Dei Patris filius: qvod ut magis pateat, vis & ſignificatio vocis צמח ſ. *germinis* hîc evolvenda paucis erit. Scilicet (a) *generatim* ſumtum nomen צמח (*à R.* צמח *germinavit, pullulavit, ſuccrevit*) formaliter eſt nomen *originis & filiationis*, proprièqve de *plantis*, metaphoricè v. de *liberis* accipitur: ſicut enim in hortis & agris germina plantarum, ita in familiis liberi progerminant & oriuntur. (b) *Speciatim* Chriſto tributum & qvidem *abſolutè* vel *ſine addito*, ut Zach. 3. 8. & c. 6. 12. formaliter indicat *ortum* ejus *generatim* ſive ille ſit infernas ſ. ſupernas, atqve ita germen licet interpretari & de nativitate ſ. generatione Meſſiæ æterna, qva eſt naturalis Dei filius naturaliter, & de nativitate ejus temporali, qvæ eſt ex Maria Virgine. Sunt qvidem qvi cenſent, nomen Zemach eſſe diminutivum, ita ut tantùm ortum Chriſti infernatem & exinanitionem exprimat, ac ſi dicas **ein ſchlechtes und verachtetes Zweigelein**, cum germen id propriè ſit, qvod ex terra naſcitur initiisqve planè exiguis & obſcuris creſcendo progreditur, ſimiliterqve Chriſtus inſtar ſurculi ex trunco velut ſucciſo fermeqve emortu

tuo prodierit. Vid. *Tarnov.* comm. ad Zach. 3. 8. & in L. C. item ad Zach. 6. 12. *Glass.* Phil. S. l. 5. Tr. 1. c. 8. *Menoch.* Comment. ad Zach. 3. 8. Eodem & inclinat *Prükn.* in vindic. h. l. Verùm hac ratione nec idem Christus in scripturis dici *filius* Dei posset: nam & filius propriè est is, qvi de matre nascitur & initiis planè exiguis crescendo progreditur. Eqvidem non negamus, in qvibusdam locis ad ortum infernatem hoc nomine respectum haberi, nec negamus materialiter talem dari connotationem posse; formaliter tamen & qva tale nullum Zemach est diminutivum nec ortum exinanitionis designat, sed ortum generatim. Conf. *B. Vareni Comment.* ad h. l. & seq. c. 11. 1. Possemus hoc etiam usu vocis Syriaco monstrare, si pagellæ id concederent. Conf. Ebr. 1. 3. ubi Syrus vocem ἀπαύγασμα per צטחא vertit. Ceterum (c) qvando nomen hoc *cum addito* & quidem vel cum voce *Davidis* ut Jer. 23. & 33. vel cum nomine *Jhovæ*, ut h. l. legitur, tunc speciatim ortum & filiationem, & illic quidem temporalem s. humanam, hic verò æternam & divinam designat; & certè additum h. l. nomen JHOVÆ attollit præcedens nomen *Zemach*, ut divinam æternamq; Messiæ generationem significet, id qvod ulteriùs ex contextu probatur: mox enim eodem hoc loco idem *Zemach Jhovæ* respectu nativitatis humanæ etiam dicitur *fructus terræ.*

§. 5. Ex his verò omnibus abundè patet, Messiam, qvi Subjectum hujus loci, verè esse *germen Jhovæ.* Sed & (3.) pro sententia nostra militant *prædicata: jucunditas, gloria, &c. cui enim magis* illa, qvam Messiæ conveniunt? qvis negaret Messiam לצבי in *jucunditatem & gloriam*, in *magnificentiam & decorem* h. e. jucundum, glorioſum &c. fidelibus esse & in N. T. iisdem fuisse, licet ab aliis Jhudæis non fuerit æstimatus, Isa. 53. 3. Et qvis alius fidelium jucunditas, gloria &c. qvam Christus? Conf. 1. Cor. 1. 31. Deniqve (4.) suffragatur nobis *vetusta Jhudæorum Schola*, teste paraphrasta *Jonathane* supra jam audito &c.

§. 6.

§. 6. Qvod attinet (2.) *Titulum posteriorem* פרי הארץ h. e. *fructus terræ*, etiam ille convenit Christo, sed quoad humanam naturam, qvia, qvod illam attinet, ortum habet è terra, qvando è trunco Ischai succiso surculi instar prodiit, Isai. 11, 1. & in utero Mariæ, ut *fructus ventris ejus* (ceu Luc. 1. 42. dicitur) humanam assumsit naturã & succrevit, adeoq; coincidit hic titulus qvoad rem cum illo, qvo dicitur *Zemach Davidis* Jer. 23, & 33, Conf. de hoc titulo *B. Varen. Comment.* in Isai. h. l. p. 76.

§. 7. *Tandem* (3.) *Objectum* s. illi qvibus Messias futurus erat לצבי *in jucunditatem & gloriam &c.* non sunt omnes promiscuè Israelitæ, sed פליטת ישראל i. e. *evasio Israël*, h. e. superstites veri Israëlitæ, qvos evadere fecit Deus, scil. ex magno reprobatorum Jhudæorum numero, qvos Spiritus S. seq. v. 3. vocat הנשאר והנותר & in N.T. *filios promissionis*, ἐκλογὴν &c. Duo hîc controvertuntur (1.) an ל h. l. sit præpositio notans *in*, sicut in præcedd. an verò sit nota *Dativi*? Resp. affirmando posterius. Nam (a) à communiori particulæ ל acceptione præter necessitatem non est recedendum (b) fons distinguit objectum hoc à subjecto & prædicatis per Acc. Regem Sakeph katonum præced. voci ולתפארת impositum. (c) confirmat nos collatio Loci Isai 28, 5. qvippe qvi certè nostro non tantùm qvoad positum vocum & accentuationem, sed & ipsam rem planè similis. *In die illa erit Dominus* (Chaldæus hîc notanter pro priori voce יהוה ponit משיחא *Messias*) *Dominus exercituum in coronam jucunditatis & cidarin decoris* לשאר עמו *residuo populo suo* Qv. (2.) an ipsa vox לפליטת sit reddenda: *erit in liberationem* Israelis h. e. *liberator*, an v. erit *evasioni* Israel?) Resp. negando priorem expositionem, qvippe qvæ (a) contraria est vocum dispositioni (b) accentuationi jam dictæ (c) neutrali vocis significationi, qvàm in aliis qvoqve locis obtinet. Conf. Gen. 32. 7. Isai. 10. 20. c. 37. 31.

§. 8. *Usu* loci hactenus expositi conspicuus satis & in Theologia controversa insignis est. Prior enim titulus, *Zemach Jhova, aternam Christi ex essentia Jhovæ Patris generationem* adeoq; *veram & aternam ejus divinitatem*; posterior v., *Fructus terræ*, h. e. Zemach Davidis s. fructus ventris Mariæ, *veram ejus humanitatem* probat: germen enim ex seminis vel radicis, & fructus ex arboris substantia enascitur. Utriusq; tituli conjunctio *hypostaticam duarum naturarum unionem* commonstrat, qvicqvid Sociniani aliiq hîc oggannant,

AD DN. RESPONDENTEM

COmmendata tibi dum sunt bona verba Prophetæ,
Te commendatum comprecor esse bonis.

gratul. scr.

J. C. SCHOMERUS. D. h. t. R.

Præstantissimo DN: JOACH. UTECHT,
In Collegio Theolog. Disputatorio super August. Confess. & annatas
controversias Anti-Syncretisticas
aliisqve Auditori meo singulariter industrio,
Jam ex Jsai. 4. 2.
De ZEMACH s. GERMINE JHOVÆ & FRUCTU TERRÆ
publicè RESPONSURO FELICITER!

GERMEN † O eximium TU nostro VIVIS in * HORTO!
Nam virtute vires, sedulitate viges.
Hinc Tibi materiam pugnæ GERMENQVE JEHOVÆ
Et FRUCTUM TERRÆ constituisse placet:
Hinc qvoqve laus *germana* Tuo jam *germinat* ausu.
Germinet ô etiam GERMINIS aura DEI,.
Ut veluti GERMEN DOMINO magis usqve virescas,
Et studii FRUCTUS ampliter inde feras!

† Joachimus Utechtius.

Anagr.

O Tu vivis hîe Tsemach.

i. e. germen. Z. valet TS.

* Rostochium Anag. Hortus mico.

LMq.

A. D. HABICHHORST, D.

VIel Glücks/mein Sohn/viel Glücks zur erste Fleiß es Probe
Auff Rostocks hoher Schul! Verrichte sie mit Lobe/
Und fahre weiter fort/daß ich die Folge spür/
Ob du den Nahmen gleich nicht eben hast von mir.
Der Mañ/der Zemach heißt/aus Davids Stam̃ entsproßen/
Des Ehre du vertrittst/auch wieder Schwarm-Genossen/
Und allen Falschen Grund/der stehe dir so bey/
Daß deine Wissenschafft stets wachs und woll gedey!

Seinen geliebten Stieffsohn in bezeugetem *Academi*schen Fleiß
ferner zu ermuntern/schrieb dieses eiligst
F. FABRICIUS, Prediger zu St. Nicolai, und des
Stettinischen Ministerii Consenior.

EGregium facinus! Vestigia clara Parentum,
UTECHTI, seqveris, nec latitare cupis.
Eusebien Sophiamq; colis lingvasq; doceris,
Iamq; qvid imbiberis non sine laude doces.
Grator honorandum specimen: conamina ZEMACH
Fortunet DOMINI, Teq; Tuosq; beet!

Pauculis hisce Pereximio atq; eruditissimo DN. Respondenti, Amico & Conterraneo suo longè æstimatissimo animitus gratulatur

M. JACOBUS **Burgman**/ CR.

INdem Er uns/ mein Freund/ den Reiß aus Davids Stam̃
Fürträget/ wird dadurch belobt Sein edler Nahm/
Wie Er ein Tugend-sproß vom Tugend-Baum genommen/
Und sampt der guten Art/ auch gute Frucht bekommen/
Die Er jetzt streuet aus. HErr Utecht/ seinen Fleiß
Gesegne Christus selbst/ der theure Jessen-Reiß!

Dieses weinge hat wolmeynend seinem Liebwertesten Freunde und Tischgenossen beyfügen wollen

SIM. JOH. **Watson**/ *Bremens. Jur. Stud.*

FAhr/ Bruder/ nur so fort wie du jetzt angefangen/
So wirstu deinen Zweig mit Gottes Hülff erlangen:
Indessen wünsch ich Dir zu solchem hohen Werck (Stärck.
Des Höchsten reiche Gnad/ des Höchsten Krafft und

LUDOVICUS **Utecht**/ *Sed: Pom.*

JOACHIMUS UTECHT.

per anagramma

HOC VAS MITTE HUIC!

REm facis egregiam, mi Consobrine fidelis:
Apprecor ut Tecum porrò Jehova siet,
Inq; Tuis studiis Tibi sic assistat, ut olim,
HOC, voveant, VAS HUIC MITTE DEUS populo!

Dilectissimo suo Consobrino & Commensali paucula hæc ex animô â Deô precabatur

Ludwig Erdmann Schwartzkopff: *Sed: Pom:*

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
SEXTA
DE

PURGATIONE SORDIUM SANGVINUMq; FILIARUM ZION

PER

SPIRITUM JUDICII & ARDORIS,

EX ISA. IV. 4.
Alïsqve sequentis V. cap. Isaiæ Locis,
Quam
Auspice DEO-Homine,
Pl. Reverenda FCtate THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S. TH. D. EJUSDEMq; PROF. PUBL. ORD. & CONSIST.
DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,
Ad d. VI. August. hor. mat. 1687.
publicæ collationi Academicæ sistit

ERICUS HORNINGIUS, *Teuto-Tyrov Pruss.*

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0089
DFG

VIRO

Admodum Reverendo, Clarissimo, Doctissimoque

DN. HEINRICO HORNINGIO,

Pastori Teuto-Tyrovienſi in Prussiâ

fidelissimo, sinceriſſimo,

DOMINO PARENTI longè honoratissimo atqve dilectissimo,

Hanc Dissertationem Exegetico-Theologicam, filiali cum devotione & votô omnigenæ prosperitatis atqve senectutis qvietæ dat, dicat, dedicat, consecratve

ERICUS HORNINGIUS
S. S. Theol. & Phil. Stud.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0090
DFG

LOC. II. JSAI. IV. 4.

Disp. VI.

De

Purgatione sordium sangvinumq; filiarum Zion & Jrusalem per Spiritum judicii & ardoris.

SEnsum hujus loci (qvo beneficiorum Messiæ GERMINIS JHOVÆ nuper considerati recensio continuatur, præcipuè v. *causa interna* illius *sanctificationis*, præcedente v. 3. veris Israëlitis, *Germen* illud *Domini* amplectentibus, promissæ *sc. purgatio sordium sangvinumq;* describitur, qvemqve falsa qvorundam interpretatio controversum reddit) rectiùs scrutaturi, qvò deinceps *usus* ejus clarior evadat faciliusqve simul *abusus* retundatur, qvatuor ventilare qvæstiones non pigramur, qvarum (1) est de *tempore*, occasione primæ vocis אם (2.) de *purgationis actu*, verbis רחץ & ירח designato (3) de purgationis *subjecto*, qvod sunt *filiæ Zion & Jrusalem*, *sordibus & sangvinibus* inqvinatæ, (4) de *medio*, qvod insinuatur verbis ברוח משפט וברוח בער h. e. per *spiritum judicii & per Spiritum ardoris*.

§. 2. Prima vero qvæstio de *tempore* resolvitur in generalem & specialem. Qværitur 1. *generaliter* qvænam *tempora* hîc respiciantur? *Grotius* qvidem & *Sanctius* putant, respici hîc tempora reditus è captivitate Babylonica; verum ad præced. locum Jsa. 4. 2. §. 1. ostendimus, vaticinium hoc esse Evangelicum, tempora Messiæ Zemach Jhovæ respiciens, qvibus totalis status Jhudaici ruina per Romanos illata accidit, qvibus etiam IDEUS per Spiritum judicii pœnitentiam & ablutionem pariter ac ablationem peccatorum, tanquam passionis Messiæ fructum annunciavit. *Specialiter* v. qværitur, quid sibi velit prima vox s. particula אם, num h. l. sit *conditionis*, an *temporis* indicativa? Eqvidem non negandum est, communiter esse conditionalem & significare *si*; hoc a. loco censetur esse indicativa *temporis*, reddenda per *qvando*, *cum*. Indicat enim, qvando sanctificatio illa Ecclesiæ N. T. s. residuorum Isra-

el, qvæ præced. v. 3. promittitur verbis: קרוש יאמר לו *sanctus dicatur illi* sc. *reſiduo*: qvando, inqvā, illa fit futura, sc. *qvando Deus abluerit ſordes filiarum Zion, & ſangvines Jruſalem abſtulerit per Spiritum judicii & ardoris.* Ita rectè *Sanctius, Forerius* & alii: *tum glorioſi & ſancti erunt illi reſidui, qvando Deus ſordes abſterſerit.* Ita & *Kimchi* בו אם per *qvando* exponit. Qvod v. non inſolens ſcripturis ſit talis acceptio particulæ אם patebit conferenti Gen. 38. 9. Num. 36. 4. Joh. 21. 6. ubi Luth. rectè reddit per wenn. item Pſ. 41. 7. &c.

§. 3. Dehinc v. (2.) qværitur de ipſo *purgationis actu*, qvi deſcribitur tum per Præteritum רחץ *lavit, abluit*, (qvod pro Fut. ירחץ adhibetur, cujus exempla in Prophetis plura occurrunt qvàm capita) tum per fut. ירוח à R. רוח *eluit, diſſpulit per ablutionem, abluit depellendo ſordes per aqvarū impulſiones* (conf. 2. Chron. 4. 6. ubi utrumqve verbum, uti hic, reperitur conjunctum) qværitur, inqvam, *qvalis purgatio ſ. ablutio & ablatio* hic intelligatur? *Grotius* qvidem de *expurgatione corporali per longas calamitates*, exponit, dicens: *fient iſta, ubi Deus populum longâ calamitate expurgaverit &c.* Similiter *Sanctius* & *Tirinus* de expiatione ſordiū ſcelerumq; Jhudæorū per *ſeveram punitionē*, nempe, per incendium urbis & templi, interpretantur. Ceterum minùs aptè: Propheta n. nec de reditu è captivitate Bab. qvam Grotius ſupponit, nec de expurgatione tali qvicqvam habet; ſed qvemadmodum ille præced. v. 2. de *Germine Jhovæ* & *Fructu terræ* h. e. Meſſia filio Dei & hominis, à reſiduis Iſraël recipiendo, egit, qvod ad locum præced. pluribus eſt oſtenſum: ita & ſeq. v. 3. & h. l. *beneficia* Meſſiæ Germinis Domini recenſet, sc. *ſanctificationem credentium, ſordium q; purgationem &c.* Igitur *ſpiritualis* purgatio hic promittitur, qvæ ex analogia tum intentionis Prophetiæ, tum fidei eſt exponenda, ſcil. illa, quæ fit per *lavacrum aqvæ & Spiritus* h. e. per Baptiſmum Joh. 3. 5. Eph. 5. 26. 1. Petr. 3. 21. Tit. 3. 5. & per *Pœnitentiam*

tiam, Jsai. 1. 16. seqq. Luc. 18. 14. Pœnitentiæ enim effectus est *justificatio*, cujus formale consistit in imputatione meriti Christi & remissione s. ablatione peccatorum: Qvam expositionem confirmat tum *nexus* loci hujus cum præced. versu 3. ita habens: *tunc sancti erunt residui Israel* h. e. fideles germen Jhovæ Messiam amplectentes, *qvando Deus abluerit sordes & abstulerit peccata ab ipsis per Spiritum &c.* tum *complementum* sanctificationis Ecclesiæ & purgationis, qvam exponit Ap. ad Eph. 5. 25. 26. 27. Eodem tendit descriptio *subjecti* purgationis & *medii*, jamjam in seqq. considerandorum.

§. 4. Qvær. ergo (3.) de *subjecto* purgationis, qvod sunt *filiæ Zion & Jrusalem, sordibus & sangvinibus inqvinatæ*, qvinam sc. per *filias Zion & Jrusalem* intelligantur: item qvid per צאה & דמי i. e. per *excrementum* (sordes) & *sangvines* significetur? Respondet ad 1. *Piscator*, intelligi hic, ut supr. c. 3. 16. *mulieres Hierosolymitanas*, ita ut Synecdochicè qvoqve *Viri* sub intelligantur. Alii verò *Civitates Jhudaicas*, qvarum mater qvasi *Jruschalem* erat. At verò qvoniam Propheta hoc cap. ad tempora Messiæ præcipuè ꝙ; ad infantiam Ecclesiæ N. T. respicit, deqve beneficiis Messiæ, in residuos Israël eundem recipientes conferendis, uti jam ostensum, agit, certè per *filias Zion & Jrusalem* intelliguntur ipsi *residui Israël & fideles ad Messiam conversi*, qvibus ille, ut *Germen* Jhovæ, juxta v. 2. jucundus erat & gloriosus, qviqve sancti dicuntur v. 3. Horum sordes dicuntur hic *purgandæ & abluendæ* sc. sangvine Messiæ (qvi emundat nos ab omnibus peccatis 1. Joh. 1.) *per spiritum judicii &c.* Unde 2. patet per *sordes* intelligi peccata: siqvidem additur *ablutio sanguinum*, qvam Propheta svadebat supra c. 1. 15. 16. dicendo; *manus vestræ sunt sangvine plenæ: lavamini, mundi estote &c.* Per sangvines enim *homicidia* & Synecdochicè *peccata atrocia* e. c. *oppressio aliorum*, quæ homicidiũ æstimatur ap. Deum Mich. 3. 10. denotantur.

§. 5. Qværitur (4.) de *medio* purgationis sordium sanguinumq;, qvid per verba ultima: רוח משפט וברוח בער significetur, qvæ redduntur à Luth. Durch den Geist der richten und ein Feur anzünden wird. Qvomodo & Pisc. & Angl. posteriora vertunt, sc. per Spiritū *exustionis*, uti & LXX. ἐν πνεύματι καύσεως. Ar. Montanus, Menoch. Castalio & alii: *ardoris*. Sed Jun. & Trem. per: *sublationis*. Similiter B. Varenius: *per spiritum tollendi qv. per ignem*. Est enim à R. בער *arsit, accensus est*, & metaphoricè *furere*, item *aufferre*, perinde ut ignis invalescens furit & auffert ligna &c. Illis ergo qui reddunt per Spiritum *tollendi*, *succendendi*, habetur posterior vox בער pro nominascente infinitivo in Piel, ad formam בְּקַר Sed qvare non statuitur nomen masculinum significans *ardorem*, cujus fœm. sit בְּעֵרֶת inflammatio, *ardor*, qvod habetur Exod. 22. 6. Sed ad rē ipsam. *Sanctius* vero & *Tirinus* longiùs à mente Prophetæ abeunt, cum de *justa & severa Judæorum punitione, qva ipsi per incendiū urbis & calamitates à seoriis sint expurgati*, interpretantur. Similiter *Forerius* de *executione justitiæ Dei*. Nam uti sæpius jam monitum promittit hoc cap. Propheta & describit beneficia Messiæ. Ergo non severam punitionem nec justitiæ executionem. Hinc & verba qvæstionis, non tantum ex genuina significatione, sed ex analogia qvoqve tum intentionis Prophetiæ, tum fidei sunt exponenda. Qvapropter alii rectiùs de ipso *Spiritu S.* verba intelligunt, qvi ab effectibus nomen habet tum *judicii* tum *ardoris* q. d. judicio Spiritus, ardore Spiritus. Inter alios v. *Menochius* ad h. l. scribit *communis sententia docet, promitti his verbis pœnitentiam*. Similiter *B. Varenius* Comment. ad h. l. Addimus nos *Baptismum*, & dicimus (1) per *Spiritum judicii & ardoris* hic significari *mediorum* purgationis spiritualis sc. *Baptismi & pœnitentiæ*, tempore Messiæ, per Spiritum S. annunciationem & efficacem ejus ap. non resistentes operationem. Uti enim sanctificationis præced. v. 3. promis-

sæ

sæ causa est purgatio sordium & ablatio sangvinum s. peccato, rum h. l. descripta: ita & purgationis & ablationis causa est SpiritusS.qvam efficit illeper lavacrum aquæ &Spiritus s.Baptismum,& per pœnitentiam, nonexcluso Christi sangvine & merito,tanqvam causâ meritoria,qvam fides purgandorum(nobilior pars pœnitentiæ)apprehendit, Dicimus(2.)Non frustra dici per *Spiritum judicii & ardoris* futuram: Non enim tantum infans in Baptismo, sed & adultus in pœnitentia & justificatione, coram judicio divino tanqvam reus sistitur, à peccatis propter Christi meritum fide apprehensum absolvitur atqve ita purgatur; sed & Spiritus S. tanqvam *Spiritus judicii* redarguens mundum de peccato, juxta effatum Joh. 16. 8. facit ut peccata videamus, nos ipsos probemus, judicemus & damnenus 1.Cor. 11. 28. 31. imò tanqvam *Spiritus ardoris* non defatigatur, sed vehementer instat annunciando & operando, ut gratiæ suæ ignibus in nobis pœnitentibus ardorem accendat, ut non tantum seriò de peccatis doleamus, lacrymis dolorem contestemur & Christum ardentissimè amplectamur, sed & dehinc purgati ejus sangvine, ablatis sordibus nostris, amore Dei & proximi ardeamus,Zeloq; bene operandi flagremus. Confirmant expositionem illam præter loca jam supr. §. 3. citata, non tantum locus 1. Cor. 6. 11. *vos abluti estis & purgati & justificati per nomen Domini Jesu & per Spiritum Dei nostri*: sed & locus Matth. 3. 2. 5. 6. 7. 8. qvi certè vaticinii hujus qvoddam complementum est,& exemplum purgationis sordium filiarum Zion & Jrusalem per Spiritum judicii & ardoris producit. Johannes enim pœnitentiam in Spiritu judicii & ardoris prædicat, qvo Jhudæi meritò moti peccata confitentur, confessi baptizantur atqve ita purgantur. Conf. B. Calov. Bibl. illustr. ad h. l. & B. Varen. Comment. h. l. ubi addit locum Act. 2. 38.

§. 6. *Usus* loci jam expositi in Articulis de Baptismo & pœnitentia horumqve fructu & effectu ex dictis satis est con-

ſpicuus; non tn. integrum hîc nobis erit eidem deducendo immorari. Saltē *abuſum* loci, anteqvā hinc abeamus, adhuc retundemus. Qvidam enim Pontificii, præcipuè *Bellarm.* l. 1. de Purgatorio c. 3. loc. 6. *purgatorium* ex h. l. conatur ſufflare exiſtimans, per *filias Zion* intelligi animas piorum, per *ſordes & Sanguines* peccata & pœnas peccatis debitas, per *Spiritum judicii & ardoris* purgatorium, in qvo purgentur animæ à peccatis & peccatorum pœnis. Sed perperam: genuinus enim loci ſenſus jamjam diductus reclamat: nam (1.) agitur hîc de purgatione ſordium & ablatione, qvæ fit in Baptiſmo, & pœnitentia, qvam Spiritus S. annunciat, operatur & exercet in hac vita: E. non de ea, qvæ fieri fingitur in purgatorio poſt hanc vitam (2.) per *ſangvines* non intelliguntur peccata venialia vel levia, ſed mortalia & atrocia, ut homicidia &c. jam v. juxta Pontificios in pugatorio tantum venialia & levia, non mortalia & atrocia purgantur. (3.) purgatio ſordium ſanguinumq; prædicitur hîc ut beneficium Chriſti Germinis Jhovæ; purgatio v. ignis purgatorii eſt pœna & ſupplicium. (4.) purgatio h. l. fit per ſatisfactionem Chriſti, tanqvam cauſam impellentem meritoriā, mediante Baptiſmo & pœnitentia; illam v. in purgatorio jactant fieri propriis ſatisfactionibus (5.) per *ſpiritum jud. & ardoris* intelligitur *Spiritus S.* (prout ipſe *Corn. à Lapide* Pontificius ad h. l. interpretatur) & ille Spiritus S. huic purgationi præſidet: qvomodo ergo per Spiritum jud. & ardoris purgatorii ignis deſignabitur, cui non Sp. S. ſed Diaboli potius tanqvam tortores præſunt, uti Pontificii fabulantur (6) Sed qvid multis? Bellarmino &, qvi ſuppetias eidem ferunt, Feurardentio, Scoppio aliisqve opponimus fidei ſocios (1) *Svarezium*, qvi tom. 4. diſp. 45. ſect. 5. purgatorium ex h. l. probari non poſſe profitetur. 2. *Sanctium & Lirinum*, qvorum ſententia ſupra §. 5. citata videatur.

LOC.

LOC. III. JSA. V. 1.

Canticum Patruelis Isaiæ de Vinea sua.

ETiam locus hic qvatuor habet momenta nonnihil controversa. 1. *Cantici titulum* שִׁירַת דּוֹדִי *canticum Patruelis mei* 2. ejus *dedicationem*, qvam sistit vox לִידִידִי *dilecto meo* 3. Ejusdem *Objectum* [*materiam*], qvæ significatur voce לְכַרְמוֹ *de vinea sua.* 4. Vineæ *topographiam*, his verbis designatam: בְּקֶרֶן בֶּן־שָׁמֶן *in cornu filio olei.* Circa 1. [*Titulum* hîc non disqviremus de voce שִׁירַת *h. e. canticum*, *qvale* sc. *canticum* sit: Patet enim non esse rythmicum: neqve tale, qvod certâ constat compositione & membrorum proportione, ita ut alterum alteri respondeat & modulationi inserviat, sine numero & rythmo; sed Parabolicum, in qvo locutiones eminentes ac figuratæ & mysteria sub schemate recondentes. Sub schemate enim *vineæ* Ecclesiam hîc Jhudaicam repræsentat; commodeqve canticum hoc dividitur in *parabolam ipsam* ejusqve *exegesin* à v. 7. incipientem. &c.

§. 2. Illud v. circa titulum præprimis controversantur, qvomodo sc. vox דּוֹדִי sit reddenda & qvem designet? *Grotius Deum Patrem* intelligit, qvasi Propheta hîc dicens: *cantabo canticum* דּוֹדִי, diceret, *se ea dicturum*, qvæ Deus jure optimo dicere posset: hinc vocem דּוֹדִי reddit per *dilecti mei*: videt enim versionem receptam: *patruelis mei*, Deo patri non convenire. Probationis loco prætendit, LXX. etiam hîc, uti paulo antè, legisse לִידִידִי pro דּוֹדִי, cum reddiderint τῷ ἀγαπητῷ: Hinc fontem corruptionis insimulat illumqve qvondam habuisse לִידִידִי *dilecti mei*, contendit: Sed 1. perperam hoc prætendit: non enim potest indubitatò concludi, versio e.c. LXX. ita habet, E. fons qvoq; sic legit; cum argumentum potius sit invertendum, à fonte sc. ad rivum: qvid? qvod LXX. non semper literam, sed sæpè sensum, qvem ipsi præconceperunt, expressisse deprehenduntur. 2. Præter necessitatem id prætendit, cum דּוֹדִי idem significare qveat, qvod cognata vox יָדִיד h.l. præcedens. Notum enim est Hieronymum in Cantico cantic. vocem eandem דּוֹדִי sæpe ibid. & semper, uti hîc, cum affixo 1. personæ occurrentem, reddidisse *dilectus meus*, cum nihil ad sensum interesse crediderit, utro illam modo exponeret. Vox enim דּוֹד non modò *dilectum*, sed & sæpissime genuinâ significatione in scripturis denotat *Patruum*, e. c. Lev. 26. 49. & alibi passim, item *cognatum qvemvis* Amos 6. 10. conf. Jer. 23. 8. 9. 12. sicut & fœmininum

ejus

ejus דוֹדָה amitam significat Exod. 6. 20. adeoqve indifferenter qvidem significare hic posset *dilectum & patruelem* & perinde esset sive hoc sive illo vocem modo redderes; qvia tamen 1. *consanguinitas* inter Prophetam Jsaiam & Dnum Jesum in una tribu Jhuda ejusq; familia regia verè fuisse credatur: Ebræi enim ex communi traditione referunt, Patrem Jsaiæ *Amoz* (non *Amos*, ut perperam qvidam Interpretes scribunt) fuisse fratrem Amaziæ Regis Jhudæ, qvi inter Majores Christi numeratur Matth. 1. conf. supr. Disp. 1. loc. 1. ad Jsai. 1. 1. (2.) jam immediatè h. l. præcesserit vox יָדִיד qvæ *dilectum* significat, adeoqve textus liberiorà tautologia fuerit, si vox דּוֹדִי exponatur per *patruelem*, qvem ceteroqvi, ceu ostensum, genuinâ significatione notat, (7) *Aqvila* eandem reddiderit per πατρὸς ἀδελφοῦ & *Hieron.* Patruelem (4.) Christus verè hoc cantico, tempore Prophetæ, de Jhuda & Jsraêl uti potuerit, quemadmodum ipse de iisdem in plenitudine temporis eodem cantico vel parabola de Vineæ instauratione, & ejusdem corruptione usus fuit Matt. 21. 33. (5) eodem titulo דּוֹדִי ipse Christus Ecclesiæ sponsus & cognatus dilectissimus in Cantico Cant. in 28. locis appellatur (6) ejusdemqve Messiæ ineffabilibus in Ecclesiam amoribus *David* (ab eadem voce דּוֹד nomen habens) Psalmum 45. si non sub eodem, qvo h. l. certè sub cognato planè titulo שִׁיר יְדִידוֹת h. e. *canticum amorum*, consecraverit. Et deniqve (7.) eâdem cognata voce יָדִיד qvæ hic præcedit & *dilectum* notat, iidem mystici & ineffabiles hypostaseos mediæ s. filiatæ in divinitate amores in loco Deut. 33. 12. connotentur, ubi de *Benjamino* dicitur יְדִיד יְהוָה *Dilectus Domini* h. e. Messias filius Dei, *habitabit super eum & proteget super eum*; hinc concludimus, non tantùm per דּוֹדִי ipsum designari Messiam, sed & titulum hunc שִׁירַת דּוֹדִי commodissimè reddendum esse: *canticum Patruelis mei.*

§. 3. Qv. 2. *qvis* ille, *cui dedicaverit*, voce לִידִידִי i. e. *dilecto meo*, designatus? Chaldæus intelligit *populum Jsraël.* Sed populus Jsraël & יָדִיד cui dedicatur canticum de vinea, habent se ut vinea (conf. §. seq. & v. 7.) & Dominus vineæ. Rectiùs

R. Sal.

R. Sal. Jarchi, Kimchi & qvidam Christiani ipsum intelligunt Deum benedictum. Ita & Grotius: dilecto meo *i. e. in honorem Dei, qvem maximè diligo, cantabo.* Sed nos etiam & rectissimè ipsum Messiam intelligimus, Dei Patris & Ecclesiæ dilectissimum, Jsaiæ Patruelem, qvem ipse hoc unico versu toties jucundissimo *dilecti* vocabulo designat, qviqve æqvali cum Patre & Sp. S. autoritate Dominus vineæ est, & ad vineam ratione officii missus. Conf. Matth. 21. 37. seqq. Nec absurdum est (ceu putat R. Abarbenel) canticum dilecti Messiæ h. e. à Messia Prophetæ inspiratum s. dictatum, eidem Messiæ rursus dedicari.

§. 4. Qv. 3. de *materia* cantici, qvæ notatur voce לכרמו i. e. *de vinea* ejus, qvænam sc. illa sit vinea? Respondet ipsa exegesis cantici hujus parabolici v. 7. *Vinea Jhovæ Zbhaotb est domus Jsraël, & Viri Jhuda planta oblectationum ejus.* Qvæ plana essent, nisi dubium moveretur 1. *verbale*, de particula ל in לכרמו, qvomodo scil. reddenda, an per DE cum Vulg. Luth. Jun. &c. an verò per AD cum Calvino; an per IN q. d. *in negotio vineæ suæ?* (2.) *reale*, an sc. per vineam solus regni Israëlitici status s. 10. tribus, an vero etiam Jhuda & Jrusalem intelligatur? Nos qvoad primum probamus significationem primã DE, collatis (1.) textus circumstantiis: qvis enim negaret significationem præpos. DE in ל si talis positus nominis cum illa, uti hic in לכרמו, seqvatur, positus scil. 1. post verbum actus אשירה *cantabo*, 2. post Dativum לידידי *dilecto meo*, 3. post accusativum jam determinatum in דודי שירת *canticum patruëlis mei.* 2. scripturarum Locis, in qvibus pariter ל pro *de* accipitur e. c. Gen. 26. 7. לאשתו *de uxore ejus* Ps. 91. 11. לך *de te.* Qvoad 2. negamus omnino prius, affirmando posterius, qvod sc. non tantùm domus Jsraël, sed etiã Jhuda & Jrusalẽ sint vinea vel potius pars vineæ. Ad objectiones v. R. Abarbenelis. 1 qvod seq. v. 7. domus Jhuda discernatur à domo Jsrael, ut planta à vinea 2. qvod seq. v. 3. Viri Jhuda & Cives Jrusalem constituantur Judices in-

ter DEUM & vineam. E. domus Jhuda & Jrusalem non fuerint ipsa vinea, Resp. uno verbo (cum angustia pagellarū prolixiora non capiat) negando sc. consequentiam majoris. Hoc enim tantùm sequitur. E. Domus Jhuda fuit pars vineæ nobilissima: Dicitur enim *planta* שעשועיו *oblectationum ejus* sc. Jhova Zbhaoth.

§. 5. Quæritur tandem (4) de *topographia* vineæ, qvam Propheta his innuit verbis: בקרן בן־שמן *in cornu filio olei?* Chaldæus bellè reddit: *in monte excelso & terra pingvi.* Lutherus vocem piorem בקרן *in cornu* præteriit, posteriores rectè qvoad sensum vertit an einem fetten Ort. Duo enim hæc topographia vineæ designat: 1. *fulgidam & robustam ejus eminentiam*, voce *cornu*, 2. *Pingvedinem*, vocibus: *filius olei*, q. d. vinea fuit in loco qvidem montoso, vineis aptissimo, non tamen sterili sed maximè fertili. Nam (1.) vox קֶרֶן *cornu* (à R. קרן *splenduit, radios instar cornuum emisit*) non tantum significat *eminentiam fulgidam*, qvalis in cornibus animalium conspicitur, & qvalis est radiorum ex corpore lucido eminentium inqve facie Mosis Exod. 34. 29. conspectorum: sed & *eminentiam robustā*; nam *cornua* in scripturis *altitudinē & potentiam* notant. Ps. 75. 5. 6. (2) vox שֶׁמֶן *oleum* est à R. שָׁמַן *pingvis fuit*, q. d. pingve unguentum. Conjungitur autem vox שמן cum בן per *Ebraismum* in scripturis frequentissimum, qvo vox בן *filius* inter alia conjungitur cum *nomine qvalitatis s. adjuncti* & sic per concretum s. adjectivum ei respondens exponenda, uti בני־חיל *filii roboris* i. e. *robusti* 2. Sam. 2. 7. Plures v. modos ad Ebraismum illum spectantes, vid. ap. Glass. Phil. 5. l. 3. Tr. 1. can. 36. Ad primam classem vel modum pertinet præsens exemplum, ut adeo *filius olei* significet *pingve*. Notatur v. hac descriptione terra *Jhudaica*, de qva constat, qvod fuerit eminentior cum robore tum pingvedine: nam lacte & melle dicitur fluxisse. Maximam verò eminentiam singulari Dei præsentiæ & tot miraculis referebat acceptam, cujus respectu toto orbe eminebat & prævalebat.

LOCUS

LOCUS IV. ISAI. V. ult.

Terræ Jhudaicæ admirabiles tenebræ.

AD locum hunc (qvo destructionis vineæ illius Domini descriptio clauditur & miserrimus terræ illius status, qvæ jam jam præced' v. 1. *cornu filius olei* dicebatur, per admirabiles ejus *tenebras* designatur) admirabiles plurimorum Interpp. tenebras qvin discutiamus, facere non possumus. Præterimus v. tanqvam levius, qvod Tirinus & alii vocem primam loci וְנִבַּט reddiderunt per *aspiciemus, intuebimur*, cum tamen id cum Ebræa voce וְנִבַּט (qvæ non est Fut. Kal neq; primæ personæ, sed Præter, vel Niph. vel Piel & tertiæ personæ) non congruat. Tres v. graviores tenebras notamus.

§. 2. Et (1) qvidem erratum est, qvando seqq. voces וְהִנֵּה צַר חֹשֶׁךְ ita sunt conjunctæ: *& ecce tenebræ tribulationis* (angustiæ) sunt; ita v. conjungit *Menochius, Vulgat. & Calvinus &c.* Nec dissimulamus, ipsum qvoqve Luth. sic reddentem: Siehe so ists finster für Angst/ hîc non tantum per vestigia versionum esse ductum, sed & præterea præpositionem für addidisse (für Angst/ ac si in fonte esset מִצַּר Verum conjunctioni vocum חֹשֶׁךְ צַר obstat Accentus Rex distinctivus Sakephkaton in priori voce חֹשֶׁךְ, qvippe qvi teste praxi biblica disjungit vocem חֹשֶׁךְ à צַר adeoqve gradum in lectione parumper sistere jubet.

§. 3. Deinde hîc erratum in eo qvoq; est, qvod alii non tantum Sakephkatonum in חֹשֶׁךְ rectè attendunt, sed & deinceps iterum in vocibus seqq. צַר וְאוֹר i. e. *angustia & lumen* sermonem, plus qvàm fas est, & qvidem propter *Sakephkatonum secundum in* וְאוֹר, sistunt, qvasi is obstaret, qvò minùs hæc duo nomina, tanqvam subjectum, cum seq. חֹשֶׁךְ tanqvam prædicato, unam facere possent enunciationem. Errat hunc errorem præprimis *Lud. de Dieu* ad h. l. qvi adeo Belgicam hîc immeritò corrigit, cum illa תּוֹ וְאוֹר rectè ad seqq. referat;

rat: primus enim Sakekphkatonus & remotior ab Imperatore Silluk, semper plus distinguit qvàm secundus & propior. Sufficit verò qvod propior definiat hic subjectum, qvod est צר ואור

§. 4. Tandem (4.) circa ultimam qvoqve vocem בעריפיה erratum est. Lutherus planè illam præteriisse censetur B. Varenio, Comment. ad h.l. Nobis verò ultimis ipsam verbis (oben über ihnen) respexisse videtur, q. d. das Licht scheinet nicht mehr am Himmel über ihnen: id qvod ex aliorum versionibus similiter habentibus colligere licet. Ita enim Piscator: *qvum tenebricosa fuerit reddita lux in cœlis illius* sc. terræ. Ita & Vatablus vocem reddit per: *in cœlis*, qvi ceteroqvi proximus est fonti: Imò & Buxtorfius malè illam vertit: *in cœlo visibili*, utî præcedentem צר pejus per: *Sol*. Alii v. aliter. Arias Mont. transfert: *& Lux obtenebrata est in defluxionibus* suis: Avenarius *in influentiis suis*: Forerius & Anglic. Annot. *in stillatoribus suis* &c. Qvi qvidem metaphoram sumunt à *cervice*, qva amputatâ sangvis abundanter fluit; nam vox עריפים est à R. ערף *cervicem incidit, jugulavit*; cujus cognata est רעף *fluxit*; Verũ & hæc longiùs petita ac tenebricosa sunt. Clariùs v. & simpliciùs illa redditur per: *in destructionibus suis* sc. totalibus. Si enim conferimus locum Hos. 10. 2. ubi dicitur: *ipse* יערף *jugulabit altaria eorum, devastabit statuas ipsorum*, certè significationem *destruendi* vel *diruendi* in vocis hujus Radice deprehendimus. *Jugulare* enim altare est *destruere* & qvi jugulat animal, vitam ejus totaliter destruit. Unde vox derivata עריפים (qvæ h. tantùm l. in scripturis reperitur) notat *capitales destructiones, ruinas &c.* ut adeo hic sit genuinus loci sensus: *Et respicietur terra illa* (Jhudaica) *ecce tenebræ* (erit, i. e. valde tenebricosa & calamitosa, imo) *angustiæ & lux ipsa obtenebrata erit in totalibus destructionibus ejus* (terræ Jhudaicæ.) Viderunt qvidem hanc vocis significationem Jun. & Trem. reddentes: *Simul ac colluxerit offundentes* (contenebrantes) *se in ruinis ejus* (in qvibus illæ tenebræ diu sunt duraturæ;) sed correcturi alios ipsimet in aliis tenebricosi deprehenduntur. Nostram v. interpretationem luce sua radiare agnoscent, qvi sensus habent subactos & in Critico-Exegeticis exercitatos.

Ad Præclarè doctum planeq; eximium.

DN. ERICUM HORNINGIUM,

In Coll. Theol. Lectorio-Disputat. super universam Theologiam Positivo-Polemicam, ut & Philolog. Auditorem meum svavissimum.

Jam in Collegio Prophetico Jsaiano publicè RESPONSURUM,

Cornua Te signant, HORNINGI, Nomine tantùm?
Omen adest: CORNU (a) nam GERIS ecce SINU!
Non facie CORNU GERIS, at SINUS exhibet illud:
Insinuat Virtus istud & *ingenium*.
Cornua splendorem referunt & *robora* (b) signant:
Sic *radii* vultus *cornua* (c) Mosis erant:
Cornibus excellens qvoqve Cervus robore pollet.
Tuqve sat, HORNINGI, *fortis* es atqve *micas*,
Fortis es *ingenio* pollens, *Virtuteqve fulges*:
Id probat hoc specimen, qvod Deus usqve beet.
Firmet is atqve Tuum CORNU sic erigat, ut mox
Inter honoratos *stes radiesqve Viros*!

(a) *ERICUS HORNINGIUS Anagr. asp. exsp. CORNU GERIS SINU.*
(b) *Conf. Disp. ipsa ad Loci Jsai. 5 1. verba: Vinea dilecti fuit in cornu filio olei.*
(c) *Exod. 34. 29.* קרן עור פניו *h.e.* radios *instar* cornuum *emisit cutis facies ejus, h.e. splenduit.*

L. Mq;
A. D. HABICHHORST, D.

DOctis usqve manent æternæ nomina laudis:
Quiqve suis studiis invigilare potest,
Illius & Pindum præclarum fama peragrat
Ac coram cunctis dissipat acta bene.
Sic cum de Domini doctrina disseris hocce
Tempore, jure simul præmia digna capis.
Apprecor exanimo summi Rectoris amorem,
Adsit & æternùm gratia summa Poli.

M. CHRISTIANUS HILTEBRANDUS, Prof. P.
FACtis Philos. SENIOR, & h.t. DECANUS.

LAudando lustras conamine scripta Sophorum,
Hactenus, & Summus qvæ Stagirita docet.
Scilicet egregium parit hæc industria fructum,
Ut gressu facili tendere ad alta qveas.

Et

Et sanè hûc tendis, specimen dum sanctius offers,
Quo magè scripturis abdita sacra patent.
Pede felici, cœpto Deus annuat omni,
Et merito circum tempora laurus eat.

M. GOTHOFREDUS Weiß/ Gr. L. P. P.
& ad D. Nicol. Eccles.

WEn ein gelehrter Mensch/ den Fleiß durch gute Proben/
Der werthen Musen-Schaar getrost vor Augen legt/
Da will das muntre Volck den heissen vorsatz loben
So das sich offtermahls der Wunsch im Hertzen regt;
Es gebe unser GOTT noch ferner solch gedeyen/
Damit das gantze Werck am Ende wolgelingt/
So kan sich mancher Freund im Hertzen drüber freuen/
Daß unverdroßne Müh dergleichen Ehre bringt.
Ich ruffe gleichfals so/ laß Höchster die Geschäffte
Durch Beystand aus der Höh/ gewünscht von statten gehn/
Gieb ferner Rath und That/ gesunde Leibes Kräffte/
Und wo sich Jammer findt/ so hilff dawieder stehn/
Es müsse dieser Freund des Geistes Beystand spühren/
Ein mehr als kluger Witz/ erfülle seinen Sinn/
Diß ist mein treuer Wunsch/ dieß heist mein gratuliren/
Dieß schrieb ich eilends auff/ der ich sein Diener bin.

JOHANNES JACOBUS Weiß/ *Reg. Pruss.*

WJe Königsberg Ihn hat gestellet auff die Zinnen/
Als Er vom BEITZ allda so rühmlich disputirt;
So lobet Rostock auch sein herrliches Beginnen/
Das Er auch hier anzeigt/ was Er bißher studirt.
Nun woll mein wehrter Freund solch fleißiges Bemühen/
Wird Ihn bald bringen hin zur Weißheit Eigenthum.
Gott laß noch lange Jahr Ihn ferner glücklich blühen/
So wird Er durch den Fleiß erlangen Ehr und Ruhm!

Gottfried Strahlborn/ von Dantzig.

NOn somnô, aut Studiis tempus trivisse videris,
HORNINGI, specimen quod probat hocce Tuum.
GRATULOR inde Tibi; feliciter omnia cedant,
Adspiret cœptis Numinis aura Tuis!
Perge piè: fructus Patriæ cum fœnore reddes,
Et meritò Studiis præmia digna feres.

DAVID Wetzel/ *Stolp. Pom. S. S. Th. & Phil. Stud.*

LOC. V. 1, 2. 3.

De *Trisagio Seraphico* Disp. VII.

AB admirabilibus terræ Judaicæ *tenebris* & *ruinis*, in ipso præcedentis V. cap. exodio propositis, proximeq; illustratis, attollitur Propheta per visionem ad videndū lucidissimum Dei Trinunius thronum & audiendum Chori Seraphini *Trisagion*, coram throno DOMINI decantatum. Quod ipsum, licet illustrissimū sit *S. Trinitatis argumentum*, qvia tamen non tantū secundum se, sed & quoad circumstantias variis obnoxium est controversiis, non possum non id ipsum commentatiunculâ qvadam dilucidare, qvæ seqq. 5. capita exponit: sc. 1. *Temporis*, qvo auditum est hoc Trisagion, notabile momentum 2. *Objecti* s. *DOMINI* ipsius, ad qvem id ipsum fuit directum, venerabile *theatrum* 3. *Cantorū* Seraphinorum admirabilem *statum* 4. *Cantici* ipsius spectabile argumentum. 5. ejusdem stabile *consectarium*. Tria priora ad protheriam Trisagii, duo post. ad theoriam spectant.

§. 2. Circa 1. nempe *Temporis articulum*, qvem Propheta notanter his designat verbis: בשנת מות המלך עזיהו h. e. *in anno mori* (mortis) *Regis illius Usiæ*, gemina præcipuè panditur quæstio (1.) an *annus* hic *mortis* Usiæ *civilis*, quâ ipse lepra fuit percussus; an v. *mortis* propriè dictæ s. *naturalis* intelligatur? 2. an Chronologia isthæc sit primæ & universalis vocationis Jsaiæ, adeoque an hoc cap. 6. sit pro primo s. genuino Prophetiæ Jsaianæ initio habendum? Ad 1. Respondemus, de anno *mortis naturalis* sermonem esse. Cur enim cum Paraphrasta Chaldæo (qui ita hæc verba reddit: *in anno, qvo percussus est lepra Rex Usias*, *dixit* Propheta) à propriâ vocis מות s. mortis acceptione recederemus ad impropriam, cum propriæ nihil repugnet, ipsique Rabbini Kimchi & Abarbenel Chaldæum hic castigent? Ad 2. cum iisdem Rabbinis, contra Antecessores suos diversum hic statuentibus, paucis respondemus, non esse nec fuisse hoc

ſe hoc caput 6. Prophetiæ Jſaianæ ſ. vocationis ejus univerſalis initium: nam Jſaias jam Propheta fuit & prophetavit בימי עזיהו h.e. *in diebus Uſiæ*, ceu videre eſt ſuprà cap. 1. v. 1. E. non demum in anno mortis Uſiæ Propheta eſt factus, adeoqve caput hoc 6. non eſt principium ejus Prophetiæ, nec Chronologia hæc eſt primæ & univerſalis Jſaiæ vocationis, ſed vocationis particularis, ad concionem ſc. ſ. elenchum ſingularem de Jhudæorum excœcatione. Conf. ſeqv. v. 8. & 9.

§. 3. Circa 2. ſc. *Objecti* ſ. *Domini* ipſius, coram qvo Trisagion hoc decantatum eſt, *theatrum*, variæ occurrunt qvæſtiones, brevibus expediendæ 1. de ראיה ſ. *viſione*, qvomodo viderit Jſaias Dominum in throno? 2. de ipſo ארני ſ. Domino, qvem vidit, 3. *de throno* ſ. *ſolio*, an prædicata רם ונשא h.e. *altus* & *excelſus*, ad eundum ſint referenda. 4. de שוליו ſ. *fimbriis ejus*, cujusnam, an ſolii, an Domini ipſius? 5. de ההיכל ſ. *templo*, qvod repleverunt fimbriæ ejus. Qvod attinet 1. *viſionem*, deſignatam voce וראיתי (qvæ communiter redditur, *& vidi* ſ. *etiam vidi*, ut præfixum ו reſpiciat præcedentem aliqvam viſionem; ab aliis v. *tum vidi*, ut ו ſit relativum temporis, in proximè præcedd. jam definiti) qværitur qvalisnam fuerit viſio? Non hîc attendimus qvæſtionem illam Rabbinicam, an *ſpeculum* viſionis Jſaiæ fuerit *maculatum* ſ. *illucidum*, an v. *clarum & lucidum*? Ad qvam illi reſpondent, ſpeculum Jſaiæ fuiſſe maculatum & illucidum, Moſis v. clarũ & lucidum. Qvod qvidem *comparatè* loqvendo concedimus, *ſimplicitur* v. de Jſaiæ ſpeculo negamus. Vidit enim diſtinctiſſimè lucidiſſimum thronũ inq; eo ſedentem DOMINUM, vidit fimbrias ſedentis &c. Nulla ergo hic macula, nulla obſcuritas in ſignis, ſed omnia lucida & clara. Sed hoc ſaltim qværitur (a) an Jſaias DEUM viderit *immediata intuitione*, an *mediante ſpecie* ſ. ſymbolo? Et reſpond. negando prius, propter Exod. 33. 20.

33.10. ult. affirmando a. posterius: sc. vidit Dominum *intuitione mediata* excellentiori; licet non in tam claro symbolo, in qvali contigit Mosi, tamen excellenter & extraordinariè claro: Certè enim hæc visio fuit qvidem Prophetica; visum tamen *Jsaianum* fuit extraordinarium & inter excellentissima habendum. (β) an visio hæc Prophetica Jsaiana fuerit per ἔκστασιν, an per somnium? Has enim duas species suo sub ambitu complectitur נבואה & מראה h. e. *Prophetia* & *visio* generalius sumta. Nam Prophetia per ἔκστασιν est visio specialiùs dicta & in gradu excellentiori, qvi non est in omni Prophetia. Resp. affirmando prius contra *Mosen Gerund.* in Moreh c. 45. qvi statuit Jsaiam vidisse hîc & semper כחלום per *somnium*. Nulla enim hîc sunt signa somnii s. visionis noctis, uti in visione *Jacobi* Gen. 28. 12. 16. & *Danielis* c. 2. 19. c. 7. 1. Igitur visio hæc Prophetæ nostro non *dormienti*, cessante *naturaliter* sensuum operatione, per somnium accidebat, qvalis fuit visio & Prophetia *Danielis* c. 2. 19. c. 7. 1. sed *vigilanti*, sine vehiculo somnii, cessante *supernaturaliter* sensuum operatione, per ἔκστασιν & qvidē *imaginariam*, cui contradistingvunt visionem per ἔκστασιν *intellectualem* &c. Conf. Num. 12. 6. 7. & suprà locū 1. Jsai. 1. 1.

§. 4. Præcipuè vero hîc (2) qværitur de *Objecto* Trisagii sc. ipso אדני s. Domino, qvi ita visus est Prophetæ & repræsentatus hîc ut *sedens super solium*, veste splendidissimâ indutus, cujus fimbriæ templum implent: qvisnam sc. fuerit qvem Jsaias hîc vidit? Resp. (1) non vidit *Angelum repræsentatorem Domini*, uti qvibusdam Rabbinis videtur: Talem n. excludit hîc (α) vox אדני cum (-) qvæ (uti יהוה) summi Dei proprium nomen est (β) contradistinctio Sraphinorum tanqvam ministrantium & non angelo sed ipsi Domino magna submissione acclamantium: *Sanctus* &c. Resp. 2. non vidit tantùm *fulgorem eximium*, qvod *Grotius* statuit, visionem hanc depravans, perinde ut *Sociniani*, Prophetam non *Christum* hîc sed *gloriam tantùm ejus* vidisse

ad Joh. 12. 41. ogganniunt. Disertè enim Propheta ait, se ipsum vidisse *Dominum* & seq. v. 5. inqvit: *vidi oculis meis Regem Dominum Zbhaoth.* Non ergo tantùm eximium ejus fulgorem. Nec obstat qvod (α) Chaldæus verba illa: *vidi Dominum*, reddat: *vidi gloriam Jhovah*, & (β) interpres Chaldaismi Johannes c. 12. 41. dicat, *Jsaiam* hic *vidisse gloriam Christi* &c. Nam Chaldæus & Johann. non loqvuntur *exclusivè*, qvasi tantùm gloriam vel fulgorem Domini viderit, sed *inclusivè*, ut intelligatur ipsa ὑπόστασις Domini, & ut gloria Domini sit ipse Dominus gloriosus s. Jhovah in tali gloria s. glorioso præsentiæ singularis symbolo. Resp. 3. non vidit *gloriam Christi nondũ existentis* & suo tempore futuri (ut Sociniani locum Joh. 12. 41. detorqvent, nesc. Christum jam ante Mariã tempore Jsaiæ extitisse concedere cogantur) sed gloriam Christi jam tum qvoad naturam divinam existentis; qvod patet ex paralleliſmo Chaldæi & Johannis. Omnino enim sicut gloria Domini, qvam Jsaias juxta Chaldæum vidit, ὑπόστασιν Domini apparentis & præsentis includit; ita & gloria Christi, qvem Jsaiah juxta Joh. 12. 41. vidit, includit ὑπόστασιν. Resp. (4.) non vidit *tantùm Christum*, in qvo ceteroqvi Deus se communiter Patribꝰ, manifestavit, ut alii qvidã putant: Licet enim hic locus Propheticus Joh. 12. 41. de Christo exponatur & speciali ratione filius Dei hic repræsentetur incarnandus olimqve in throno majestatis divinæ qvoad hum. nat. constituendus; non tamen Pater & Spiritus S. excluduntur. Sed Resp. (5) vidit Isaias *Deum Trinunum*, & qvidem illum ipsum, qvem Sraphini mox appellant S. S. S. *Jhovah Zbhaoth*, qvia (1) idem hic Dominus, qvem vidit Isaiah, juxta seqv. v. 8. & 9. est *in numero sing. & plur.* Imperator & ablegator Prophetæ ad specialem functionem dicens: *qvem mittam, qvis ibit* לנו *nobis*? adeoqve summus Deus, unus in essentia & trinus in personis. Qvid? qvod (2) hæc visio de *Christo* exponitur 1. c. Joh. & Apoc. 4. 8. ac de *Spiritu S.* Act. 28, 25.

§. 5. Qv.

§. 5. Qv. (3.) de *throno* super qvem Dominus hic visus est sedens, an prædicata רם ונשא h. e. *altus & excelsus*, ad כסא thronum s. solium, an v. ad ארני s. Dominum sint referenda? Omnes fere Interpp. affirmant prius; sed malumus referre ad ipsum Dominum, ut sit sensus, **ich sahe den Herren/ den hohen und erhabenen/ sitzend auff einem Stuhl.** Ita certè alio loco Isaiano c. 57. 15. Deus disertè dicitur רם ונשא *altus & excelsus*; idem qvoq; poscere accentuatio videtur *B. Varenio* Comment. in Isa. h. l. Qv. (4.) de שוליו s. *fimbriis ejus*, implentibus templum, cujusnam sint, an solii, an v. Domini ipsius? Nonnulli affixum illud שוליו referunt ad solium, ut extremitates solii metaphoricè hic dicantur *fimbriæ* ejus; sed insolens sanè hæc metaphora est. Rectiùs ergo respicit *Dominum*, ut fimbriis Domini per metonymiã subjecti notentur fimbriæ vestimenti ejꝰ splendidissimi. Conf. Jer. 13. 26. Thr. 1. 9. Qv. (5). de ההיכל qvod repletum est *fimbriis* Domini, an vox illa hic notet *regiam* vel *palatium*, qvomodo *Forerius & Anglicani* reddunt, & qvo modo accipitur Prov. 30. 20. & Psal. 45. 9. An v. significer h. l. *templum*, qvomodo Luth. & alii vertunt? Resp. affirm. posterius: nam tota hæc visio conspecta fuit in templo, uti patet ex seqv. v. 4. & 6. ubi mentio fit *altaris* sc. holocaustorum.

§. 6. Tertiò qvoqve post *objectum* s. *Dominum* ipsum occurrunt videndi *Ministri* sc. *Cantores Sraphini* horumq: *status admirabilis*: nam & hic controversiis qvibusdam est obnoxius. Anteqvam v. *statum* hunc Cantorum Sraphinorum exponamus, præmittere qvædam tam de *appellatione Sraphim*, qvàm de illorum *numero* tenemur. Qvær. 1. unde dicantur שרפים h. e. *urentes?* Resp. à R. שרף *ussit*, non qvod sint ex materia ignis & corporei, juxta *Grotium*; sed qvia fulgent splendore omnes flammas vincente & agiles sunt sicut ignis, igneoqve fervore Deo ministrant &c. Hinc & Ps. 104. 4. dicitur: *facis ministros tuos ignem flammantem*. Qvær. 2. *qvot fuerint*

Sraphini? Resp. non fuisse tantũ *duos*, ceu opinatus est *Menochius*, *Sanctius* &c. ex hac ratione, qvod in textu dicitur: *Sexalæ*, *sex* alæ *uni*, item *alter ad alterum clamabat.* Sed ratio est nauci, uti paulò pòst ex dicendis patebit. Nec fuerunt tantũ qvatuor, juxta alios; sed vero similius est in choro hoc Musico plures fuisse.

§. 7. Describuntur v. hi Sraphim. (1.) ut *stantes supernè* &c. (2.) ut *alati* alisq; partim *velantes* tum *facies* tum *pedes*, *partim volantes* (3) ut *clamantes & dicentes.* Qværitur hic (1.) de *stantibus* ממעל לו, an (α) לו respiciat *solium*, an verò *Dominum* ipsum? (β) Si respiciat Dominum ipsum, an Sraphim steterint *super Dominum?* Resp. ad 1. Menochium, Tirinum, Ar. Montanum & Grotium לו ad *solium* referre & ממעל vel per *supra* reddere & exponere *super basin solii*; vel per *juxta*, qvomodo Grotius: melius, inqvit, *juxta illud* sc. *solium.* Alios v. rectius ad ipsum referre *Dominum*, atqve horum qvosdam לו ממעל vertere: *stabant super eum*, ceu Lutherus: Seraphim stunden ũber ihn; qvosdam nempe *Vatablum* &c. qvoniam incongruum putant, servos stare supra Dominum, reddere *juxta ipsum* h.e. adstabantilli. Sed neutram interpretatiõnẽ fons admittit: nam (α) vox ממעל non significat *super* nec *juxta*, sed *de supra* vel *supernè*: (β) particula ל in לו vindicat sibi pronomen affixum ו adeoqve constructioni ejus cum præced. ממעל apertè repugnat (γ) ipsa qvoqve *accentuatio* tali conjunctioni obstat: vox enim ממעל accentum habet distinctivum Paschta; Si v. conjungenda juxta alios esset h. s. stabant *juxta* vel *super illum*, certe vox ממעל conjunctivum Munach haberet & præcedens עמדים h.e. *stantes*, Paschta. Igitur Resp. ad (2.) Sraphim non stetisse super Dominum. Nam juxta fontem talis danda est versio: *Sraphim stantes* (erant) *supernè illi* (*coram illo*) h. e. uti Dominus ipse sedens in solio altus & excelsus: ita illi stabant tanqvam supernates & cœlestes ministri in excelso coram illo.

Suffra-

Suffragatur nobis Chaldæus, qvi voces controversas ממעל expressit per ברומא קדמוהי i.e. *in excelso coram eo.*

§. 8. Qvær. (1.) de *alatis* alisqve partim *velantibus* tum *facies* tum *pedes*, partim *volantibus*, & qvidem (α) qvid sibi velint verba: ששׁ כנפים לאחד ששׁ כנפים h. e. *sex alæ, sex alæ uni* (β) cujus faciem, DEine an suam, & qvare duabus illam alis velarint (γ) cujus *pedes*, DEine an suos, & qvare obtexerint (δ) an facies pedesqve probent, angelos esse corporeos, ceu Origeniani ex h. l. collegerunt, (ε) qvid volatus ipsorum significet? Ad (α) Resp. LXX. reddere: *sex alæ uni, sex alæ uni* h. e. alteri? Ex qva versione & phrasi Ebræa non intellecta error ortus (cujus jam su prà meminimus) qvod duo tantum fuerint Sraphini. Nam Ebraismus Propheticus: *sex alæ, sex alæ uni*, significat, sex alas fuisse unicuiqve s. singulis. Reduplicatio talis notat distributionem. Sic Isai. 28. 29. c. 5. 4. *mane mane* pro unoqvoq; mane. Conf. infr. plura. §. 12. 14. Resp. ad (β) affixum in פניו reddi qvidem posse vel *suam* vel *ejus*; qvomodo & Tirinus ac Menochius reddunt: *Faciem ejus* sc. DEI; alios v. rectius: *faciem suam*: erat enim hoc character tum splendidissimæ majestatis divinæ, qvam sustinere non poterant Sraphim, sicut homines solem contra tueri non audent: tum reverentiæ & modestiæ angelicæ. Similiter ad (γ) Resp. Tirinum qvidem reddere *pedes ejus* sc. Dei cui adstabant; sed alios rectius: *pedes suos*: nam & hoc fuit humilitatis, reverentiæ & modestiæ angelicæ character. Pedes enim hic videntur more Ebræo notare omne id qvod est infra alvum, adeoq; & partes, qvas in hominibus pudor velari jubet. Conf. Deut. 28. 57. Ezec. 16. 25. &c. Qvas etiã partes Sraphim, humana ferè formâ apparentes præ reverentia divini Numinis juxta Sanctiũ, vel ut imperfectionẽ suam respectu Dei testarentur, juxta Annot. Angl. obtexerunt. Conf. Job. 4. 18. c. 15. 15. Similia vide ap. Ezech. 1. 11. Ad (δ) Resp. Uti non seqvitur, Deum habere corpus & vestibus esse indutum,

qvia

qvia in visione hac ita apparuit: ita nec seqvi, Angelos esse corporeos, qvia velare facies pedesq; in visione Prophetæ sunt visi. Sunt enim Spiritus Luc. 24.39. Ad (ε) resp. *volatum* esse charecterem incredibilis celeritatis & promtitudinis Sraphicæ.

§. 9. Tandem 3. hi Cantores apparent *clamantes & dicentes*: dicitur enim וקרא זה אל זה ואמר h.e. *& clamavit hic* (ex Sraphim) *ad hunc* i.e. alter ad alterum, *& dixit*. Ad qvæ verba Rabbini: *qvoniam*, ajunt, *Jsaias cantico præmittit illud: & clamavit alter ad alterum, & postea demum addit cantici signũ sc. & dixit, hinc colligitur, Sraphinos, antequam dicerent Sanctus, Sanctus, Sanctus &c. se invicem allocutos esse, ita ut alter alteri, vel una turma alteri honorem incipiendi Musicam obtulerit, acclamando illi: incipe tu canticum, qvoniam excellentior me es.* Verùm his & similibus nugis (qvibus capiendis pagellarum angustia non est sufficiens) opponimus *positum verborum* וקרא *& clamavit* ואמר *& dixit*: nihil enim aliud inter קרא & אמר memoratur, qvod clamaverint Sraphim qvàm qvod dixerunt; adeoqve clamor ille Sraphim, per וקרא indigitatus, non est alius ab ipso sermone Musico per ואמר significato; sed qvod qvilibet ex Sraphim in illo choro dixit, illud etiam clamavit & qvod clamavit illud qvoqve dixit. Illustratur idem positus verborum qvæstionis per *positum Musicæ* Luc. 2.13. qvi cum nostro pulchrè convenit: nam & illic dicitur, quod Angeli fuerint *laudantes Deum & dicentes*. Sicut v. non aliis ibi verbis Deum laudarunt, qvàm qvæ dixerunt: ita nec hîc aliis verbis clamarunt, qvàm qvæ dixerunt. Qvod v. attinet verba hîc inter קרא & ואמר posita: זה אל זה, hæc innuunt clamorem fuisse conjunctum, ita ut qvod dixit unus ex Sraphim ad alterum, hoc dixerit & alter ad hunc, & qvidem non unus post alterum, sed omnes simul & conjunctim in svavissimo concentu. Qvod etiam patet ex præcedd. actibus angelicis: Sicut enim qvilibet duabus alis velavit faciem & duabus pedes &c. ita & qvilibet clamavit ac dixit. Imò sicut non unus post alium velavit, & volavit, sed simul; ita nec unus post alterum clamavit, sed clamarunt omnes uno ore simul, qvamvis distinctè, ceu probabitur in seqq. in qvibus & reliqva duo capita בעה expedimus.

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
OCTAVA,
exhibens POSTERIOREM De

TRISAGIO SRAPHICO,

TANQVAM LUCULENTO S. TRINITATIS ARGUMENTO
EX JSA. VI. 1.2.3.

Quam
Auspice DEO-Homine,
Pl. Reverenda FCtate THEOL. consenticnte,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S. TH D. EJUSDEMq; PROF. PUBL. ORD. & CONSIST DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,
Ad d. VII. Septemb. hor. mat. 1687.
publicæ collationi Academicæ sistit
DAVID WETZELIUS, Stolpâ Pom.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0113
DFG

CONTINUATIO EXEGESIOS TRISAGII.

Disp. VIII.

§. 10. *Protheoriæ* Trisagii, qvæ circumstantias ejus, nempe *temporis*, *objecti* & *subjecti* in præcedd. præcognovit, jam succedit ejusdē *theoria*, qvæ reliqva duo capita, sc. (4.) spectabile Trisagii *argumentum* s. genuinum ejus *sensum* & (5.) stabile *consectarium* s. *usum* pro instituti ratione tractabit. Circa Trisagii *argumentum* s. *sensum* statim se offert qvæstio principalis de הקדושה המשלשת s. *ternario illo*, qvo Sraphim alto & excelso Domino in throno sedenti acclamaverunt: קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות, an exhibeat luculentum S. Trinitatis argumentum, vel an in uno Jhova Zbhaoth tres hypostases probet? Nos affirmamus; negant v. Jhudæi & Sociniani, Calvinus & assecla qvidam, item Grotius ut & Syncretistæ. Ut v. distinctiùs paulò procedamus, primò *adversas aliorum sententias* de Trisagio recensebimus, deinceps v. *nostram* eamqve *genuinam* probabimus & contrarias simul destruemus. Nam (1) *Jhudæi*, præcipuè *Kimchi*, ut & *Sociniani* qvidam cum *Calvino* Jhudaizante Comment. in h. l. statuunt, ternarium hunc non nisi *indefessam assiduitatem canendi* vocemqve *Sanctus* ingeminandi inferre q. d. *nullum angelicæ melodiæ finem esse in laudibus Dei canendis*. Qvam Calvini sententiam *Paræus* in Calvino orthodoxo p. 133. defendere conatur, eo qvod scriptura hujusmodi iteratione vocis perfectionem vel continuationem vel vehementiam vel emphasin indicare solet. (2.) Alii *Jhudæi*, præcipuè Autor Cosri p. 263. aliiqve *Sociniani* putant, ternario hoc innui *Superlativum & perfectionem sanctitatis*, ut Sanctus, Sanctus, Sanctus sit *sanctissimus*, à qvà certè sententia nec *Buxtorffius* abhorret Thesaur. Gram. l. 2. c. 2. p. 352. nec *Piscator* statuens, Trisagio hoc summùm sanctitatis gradum indicari, qvomodo Græci dicunt τρὶς μάκαρες & Lat. ter maximi. (3) Alii *Jhudæi*, vocem קדוש exponentes per *segregatum* s. *separatum*, qvomodo Israëlitæ passim jubentur esse sancti i. e. נבדלים

נבדלים ſ. *ſegregati* ad impuritatibus populorum, dicunt, in DEO eſſe tres ſanctitatis ſ. ſegregatæ illius eminentiæ gradus, in ordine ad tres creaturarū exercitus ſive ſecula, ſc. (1.) *intelligentiarum*, in qvo eminent angelî: ad. 2. qvi ſit *cæli & ſtellarum*: ad 3. qvi ſit *ſeculum hoc inferius* & in illo homines. Et ad hos *tres gradus ſanctitatis divinæ* Sraphinos reſpexiſſe contendunt. De his v. gradibus plura vid. ap. B. Varenium. ad h. l.) Nonnulli ap. Kimchi & Ben Melech putant, duo priora קדוש exponenda eſſe in *vocativo* iisqve unum inclamaſſe alterum: *Sancte, Sancte, Sanctus eſt Dominus Zbhaoth* (5) *Grotius*, Jhudaica & Sociniana ſæpè chorda oberrans, novam hic gloſſam affert: *Sanctus &c. i.e. juſta ſunt Dei judicia in Regem, Proceres & populum: Trina a. repetitio vehementer affirmat.* Ezech. 21. 27. Jer. 22. 29. (6) *Syncretiſtæ* Jhudaizantes per ternarium hunc aut *ternarii numeri perfectionem* aut *cantus angelici aſſiduitatem* intelligunt, ut ſc. fidem Trinitatis h. l. traditam negent.

§. 11. Contrà Patrum & communi Eccleſiæ Catholicæ orientalis & occidentalis ſuffragio triſagion hoc de SS. Trinitate explicatur & ſpeciatim noſtrates ſtatuunt, ex *ternario* קדוש *luculentum peti S. Trinitatis argumentum*. Qvod prob. qvia (1) nullus idiotiſmus S. lingvæ, voces repetens & argumento Triados hujus ab adverſariis objectus, ad h. l. eſt applicabilis ſive loco noſtro parallelus, bvod inductione probamus. Non enim hic poſitus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* reſpondet (α) idiotiſmo, qvo *adjectivum poſitivum geminatur ad circumſcribendum ſuperlativum*, cum Ebræi terminatione ſuperlativum non habeant e. c. Gen. 25. 30. *fac comedere me nunc* האדם אדם מן *de hoc rufo rufo*. Sunt qvidem qvi h. l. non *ſuperlativū*, ſed *avidum Eſavi appetitum* ſignificari volunt; cū & Num. 3. 9. c. 17. 13. duplicatio vocum נתנים & הקרב non ſuperlativum notet; Sed fruſtra: nam 1. voces illæ non ſunt Nomina Adjectiva: 2. poſſunt tamen per Superlativū exponi. Prov. 20. 14. רע רע *malū malum*. Sic Jud. 11. 25, 2. Sam

25. 1. Sam. 2. 3. Eccl. 7. 25. Conf. Glaſſ. Phil. S. l. 3. tr. 1. can. 16. Ad qvem Ebraiſmum qvidam etiam hoc triſagion tanqvam exemplum perperā referunt: nam in præſenti loco non datur binarius, qvi in citatis per accentus miniſtros conjungitur; ſed ternarius emphaticè & diſtinctè per accentus diſtinctivos (primum enim קדוש habet comitem miminum, 2. Ducem miminum 3. Regem minimum) & in relatione ad Jhovah Zbhaoth enunciativè poſitus & qvidem in Cantico totius Chori Sraphici, in Theatro majeſtatis divinæ, coram throno DEI Trinuni decantato. Neqve de adjectivo ter repetito qvisqvam hactenus ſimile exemplum produxit.

§. 12. Nec (β) reſpondet idiotiſmo, qvo *ſubſtantivum in ſingulari numero* iteratur coq; vel *diſtributio notatur*, ſi ſubſtantivum ſit aptitudinaliter diſtributivum, e. c. Gen. 32. 16. *gregem gregem* i. e. ſingulos greges. Similiter Num. 5. 12. c. 17. 2. c. 28. 21. Glaſſ. Ph. S. l. 3. Tr. 1. can. 5. n. 3. Conf. & ſuprà; §. 8. *ſex alæ, ſex alæ uui*; vel ſi non tale ſit ſubſtantivum, geminatio exprimit *continuationem, vehementiam & certitudinem* e. c. Deut. 2. 27. בדרך בדרך in *via via* i. e. continua, certiſſima. Sic 2. Sam. 18. 33. בני בני *fili mi, fili mi*. Deut. 16. 20. Pſ. 22. 1. 2. Reg. 4. 19. Conf. Glaſſ. l. c. Vox enim *Sanctus* h. l. non eſt ſubſtantivum ſed adjectivum, neqve duplicatum modò ſed & triplicatum, neq; ſimpliciter triplicatum, ſed ita ut Jhova Zbhaoth dicatur eſſe ille S. S. S. ut taceamus in accentuatione ſe omnia hîc aliter habere. Et licet vel maximè vox *ſanctus* h. l. ſignificaret diſtributivè; non tamen id obſtaret, ſed adſtaret myſterio Triados & unamqvamqve perſonam קדוש eſſe Jhovah Zbhaoth ſignificaret. Si v. aſſiduitas ſ. continuatio cantus angelici juxta Calvinum aliosqve repetitione denotari deberet, tum potius vox *canendi* vel *clamandi*, qvam *Sanctus* repetenda fuiſſet. Conf. infr. §. 15.

§. 13. Nec reſpondet (γ) idiotiſmo *ſubſtantivi ter poſi-*

ti, qvo *major* adhuc orationis designatur *evidentia & vehementia* e. c. Jerem. 7. 4. *Templum Domini*, *Templum Domini*, *Templum Domini*, & c. 22. 29. *terrâ*, *terra*, *terra*. Ezech. 21. 27. in fonte 32. *perversitas*, *perversitas*, *perversitas*. Qvanqvam alii trinâ hac repetitione triplicitatem qvandam subinnui judicant: & qvidem Jer. 7. 4. ob additum pluralem המה *ipsi* vel *ipsa*, tres *templi* partes putant designari; Et Jer. 22. 29. R. Salom. tres *terræ* sanctæ partes, sc. Jhudæam, eam qvæ trans Jordanem & Galilæam indigitari addit. Tandem Ezech. 21. 27. triplicem insigniorem Jhudæorum everſionem & cladem, à *Babyloniis*, ab *Antiocho*, *à Romanis* iisdem illatam, subinnui trina repetitione contendunt. Conf. Glass. l. c. n. 1. De cetero nullus hic qvoad loca jam producta datur parallelismus: hîc enim est ternarius adjectivus, ibi saltem binarius substantivus; hic hypostaticus, ibi non hypostaticus, &c.

§. 14. Nec respondet (δ) *idiotismo Substantivi pluralis*, iterati ad denotandam *multitudinem*, uti Gen. 14. 10. בארות בארות *putei putei*. Sic Exod. 8. 14. Jud. 5. 25. 2. Reg. 3. 16. Joel. 3. 14. Conf. Glass. Ph. S. Tr. 1. Can. 5. n. 1. Certe n. illis in locis binarius datur substantivus, hic v. ternarius adjectivus, ibi pluralis, hic singularis. Et si vel maximè iisdem responderet, non tamen obstaret mysterio, sed plures in essentiali sanctitate personas sanctas denotaret. Neqve respondet (ε) idiotismo *nominis Substantivi* ita bis terve positi, ut *ultimum habeat* ו *præfixum*, qvo itidem distributio solet denotari: Ebræi n. adjectivis distributivis carent: ut Esth. 8. 9. מדינה מדינה ומדינת *provinciæ*, *provinciæ & provinciæ* i. e. singulis provinciis: ibid. ועם עם *populo & populo* i. e. cuilibet. Sic 1. Paral. 26. 13. 2. Paral. 19. 5. Esr. 10. 14. Marc. 6. 39. & 40. Vid. Glass. l. c. n. 3. Hoc enim loco non substantivi, nec cum ו fit reiteratio, uti in locis jam allegatis. Conf. qvæ §. 12. sub finem monentur.

§. 15. Neqve respondet (ζ) idiotismo *verbi repetiti*, adsigni

significandam *vehementem & intensam actionem*. ut, Ezech. 3.1. אכול אכול *comede comede &c.* Hoc n. loco nomen Adj. ibi verbum est actionem indicans, h. l. triplicatur, ibi duplicatur saltem. Unde mirari subit, post Socinianos, præeuntibus Jhudæis qvibusdam, præcipuè Kimchio, Calvinum & Paræum suprà §. 10. citatos non puduisse statuere, hoc etiam loco repetitione nominis *Sancti*, indefessam canendi assiduitatem significari. Ubinam v. nominis adjectivi repetitio in scripturis significat indefessam assiduitatem agendi, aut vehementem vel intensam actionem? Et cur præcisè ter & non bis tantum, uti in adductis, vel septies h. l. instituta repetitio? Qvare non tota potius acclamatio est reiterata, qvæ rectius illam assiduitatem significasset?

§. 16. Ex qvibus certè idiotismis longo ordine inductis, nobis non obstantibus, veritas minoris s. subsumtionis nostræ sic satis dispalescit, qvam prætera confessione R. Abarbenelis confirmamus, contra Jhudaizantes, qvos adeo cœciores hic Rabbino magisq; perversos fateri qvivis habebit necessum. Ita v. ille ad h. l. *Alii exponunt, qvod ad majorem sanctitatis eminentiam triplicetur vocabulum Sanctus, cum ita habeat via linguæ in asseveratione rerum nunc duplicare nunc triplicare ea, Pater mi, Pater mi, cecidit cecidit, perversitas, perversitas, perversitas &c. Sed verba illa sunt perversitas, perversitas, perversitas, i. e. perversè applicata præsenti exemplo in Sraphinorum cantico, &c.*

§. 17. Relinqvitur ergo triplicatione illâ קדוש respectum haberi ad aliqvam *Triadem*, qvam & doctiores qvidam Rabbini hic concedunt, uti præced. §. 10. relatum est, sc. statuunt *tres* hic *segregationis gradus s. modos* ternario indigitari, nempe respectu trium seculorum, præ qvibus Deus sit *Sanctus* i. e. נבדל (uti illi vocem קדוש hîc exponunt) h. e. *longe separatus*. Ceterum ulterius probandum nobis est, qvod *nulla alia trias qvàm hypostatica*, qvam nos profitemur, qvamqve alibi scriptura

ptura V. & N.T. tradit, ad *Trisagium sit applicabilis.* Qvod probandum inductione: nam (1) *tres illi modi s. gradus segregationis* à Rabbinis concessi s. secula multiplicata non faciunt in Deo pluralitatem vel Triadem, nec magis Deum ter, qvam sexies vel decies sanctum: tota enim illa relatio ad tria secula, sc. ad 1. Supremum Angelorum 2. medium cœli & stellarum 3. imum hominum, esset extra Deum, siqve illam trinam relationem ad secula intendissent Sraphini potius vocem *seculi* qvam *sancti* reiterassent. Hoc autem loco talis innuitur trias, qvæ intrinserè adeò refertur ad JhovaZbahoth, qvàm ad illam spectat essentiæ unitas. Conf. B. Varen. Comm. h.l. Neq; (2.) *trias* illa, qvam *glossa hic Grotiana involvit*, locum habere potest; dicit a. ternario hoc innui *trinum Dei judicium, adversus triplicem* ordinem, *Regem* sc. *Proceres & populum* q. d. Sanctus &c. *i. e. justa sunt Dei judicia in Regem &c.* conf. suprà §. 10. n. 5. Nam Deus in se sanctus, licet nulli sint, in qvos exerceat judicia, & præterea sanctitas est attributum Dei absolutum, essentiale & æternũ, qvod de judiciis Dei dici neqvit. Igitur nec *Sanctus Jhova* idem est, *qvod justa sunt Dei judicia*, nec adeo *Trias Grotiana* s. trinum illud Dei judicium adversus triplicem ordinem qvicqvam huc qvadrat. Qvid? qvod nec in N. T. ubi trisagion hoc repetitur, sc. Joh. 12. 41. Apoc. 4. 18. ulla judicii Dei adversus triplicem ordinem mentio habetur. Longè aliam ergo rationem hujus ṗṗṗ subesse oportet, qvàm Grotiana proponit glossa: scilicet eam, qvam Spiritus S. in N.T. luculentius exponit, dum non tantum Dei Patris gloriam & sanctitatem (de qvo non dubitatur) sed & Filii & Sp.S. celebratam testatur Joh. 12. 41. Act. 28. 26. Conf. B. Calov. Bibl. illustr. h.l. Neqve (3.) *trias essentiarum* nec *attributorum* ad ternarium hunc positum ṗṗṗ est applicabilis: nam Deus in essentia est unus & pluralitas attributorum longè superat ternarium. Cum ergo nulla alia Trias præter hypostaticam ternario ṗṗṗ applicari possit, ceu hactenus probatum

batum, seqvitur illam qvoqve à Sraphinis esse intentam adeoqve h.l.S. Trin. mysterii argumentum exhiberi luculentum.

§. 18. Præterea v. & qvidem(3)id ipsum inde probamus, quod ille ארני, qvi in throno sedens Prophetæ videtur & ex throno loqvens auditur eundem mittens, non una sola est hypostasis, sed revera plures & qvidem juxta alia scripturæ loca in personis Trinus, & qvod hic ipse ארני sic visus & auditus idē est Jhova S.S.S. cui à Sraphinis hoc Trisagio fuit acclamatum. Minorem hujus argumenti qvoad 1. membrum jam suprà in protheoria §. 4. resp. 5. probavimus, qvod sc. ארני hìc à Prophetа visus & auditus non sit una sola hypostasis sed plures, qvum ארני ille v. seq. 8. non tantum in sing. dicat: *qvem mittam*, sed & in plurali subjungat: *& qvis ibit* לנו Nobis? Ubi frustra sunt *Judæi & Sociniani*, dum contra illud לנו i.e. nobis, (1) ita excipiunt: illud qvod præcedit est singulare (sc. qvem mittam) E. & illud qvod seqvitur sensu tale est. Qvæ enim conseqventia? Et ubi exemplum in scriptura, qvo propositio talis pluralis supponat singulariter? Sicut Gen. 1. 26. ubi Deus in prima persona pluraliter dicit: *faciamus hominem* &c. & Gen. 3, 22. Ecce Adam כאחד ממנו *sicut unus ex nobis*, & alibi, orator non est intelligendus singulariter sed verè pluraliter: ita & h. l. Deus in personis trinus per pluralem: *qvis ibit nobis*, notatur, qvi jam in præced. qvæstione singulari numero: *qvem mittam*? ceù unus in essentia designatus est. Frustra qvoq; (2) est *Grotius*, Jhudæos & Socianos secutus, cum ait, *Deum in plurali hic loqvi tanqvam de sententia consilii Angelorum*. Deus enim nuspiam consultat Angelos, nec qvemqvā ex creaturis in consilium advocat Isai. 40. 13. Nec Prophetæ sunt Angelorum sed Dei solius legati Conf. *B. Calov. Bibl. illustr. h.l.* Prob. (2) minor, cùm alibi qvoqve in scripturìs, præter loca Genesios jam citata, disertè hæc pluralitas personarū divinarū insinuetur, ut Jhos. 24, 19. יהוה אלהים קדשים הוא *Jhovah Elohim sancti ipse est*. h. e. personæ divinæ

næ ejusdem essentiæ sunt sanctæ. Hos vero *Elohim* קדשים s. *personas sanctas* Sraphim h. l, ternario numero restringunt, dicentes: קדוש &c. ut adeo locꝰ ille Jhosuæ cũ nostro egregiè conveniat. Prob. (3.) qvia, ut suprà jam eodem §. 4. sub fin. diximus, visio præsens & visus Adonai etiam de *Filio Dei* Joh. 12. & de *Sp. S.* Act. 28. 25. exponitur, ut adeo Propheta hic videns אדני Trinunum omnino vidisse intelligatur. Prob. (4) qvia neqve plures neqve pauciores Scriptura agnoscit, qvibus essentiale Dei nomen יהוה & attributa divina conveniunt, qvàm has tres personas אביר (5) qvia idem Isaias alibi docet, *Jhovam exercituum* esse *Patrem Fil. & Sp. S.* ut c. 64. 10. 11. mentionem facit trium: *DEI* sc. *& Angeli faciei*, tanqvam ductoris & Redemtoris populi Israël & *Sp. S.* item c. 48. 16. ubi *Jhovah Filius Dei* per totum caput loqvens inqvit; *accedite ad me & audite; Jhovah Zbhaoth misit me & Spiritus ejus.* Seqvitur c. Sraphinos ternario hoc positu קדוש inter se distincto & ad ipsummet Jhovah Zbhaoth relato ad Triadem hypostaticam respexisse.

§. 19. Tandem pro affirmativa qvæstionis principalis producimus *Confessionem Synagogæ Jhudaicæ antiqvæ*, qvæ in hoc ternario mysterium S. Trin. hypostaticæ agnovit, teste *Targum Jonathan*, ap. qvẽ olim talis lecta est paraphrasis; *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus S.* vid. *Galatin.* l. 2. de A. C. V. c. 1. ubi testatur se ipsum in qvodam exemplari talem paraphrasin legisse. item *Weidnerus* locis fid. Christ. tract. 1. *B. Calov.* Bibl. illustr. h. l. *B. Varen.* h. l. p. 160. ubi & similem *Simeonis* paraphrasin adducit.

§. 20. Probato sic Trisagii *argumento*, superest (5) ejusdem *Consectarium*, qvod paucis proponere lineis cogimur: scilicet ex argumento Trisagii luculento conseqvitur & contra Syncretistas frigidam sententiæ Jhudæorum, Socinianorum & Cryphto-Socinianorum suffundentes colligimus: (1) mysterium S. Trinitatis, fundamentalem fidei articulum, ex V. T. absq; admiculo novi solidè probari: adeoq; (2) idem mysterium fidelibus V. T. ex Mosis & Prophetarum scriptis, citra specialem revelationem, innotuisse.

Præstantissimo DN. WETZELIO;
Domestico meo & in Collegiis Theologicis Auditori
perqvam industrio
De
Tremendo SS. TRINIT. Mysterio
ex
TRISAGIO SERAPHICO
publicitùs Responsuro
FELICITER!

ARtificem verum qvoniam facit *usus*, eundem
Tu qvoqve mox studiis jungis, Amice, Tuis.
Uris maturè, qvia vis urtica manere:
UTILE † sic USU vas ES erisqve magis,
Præcipuè si sic, velut incipis, usqve probabis
In studiis * ZELUM, qvi decet assiduum.
ZELUS is, oro, JUVET studium, qvod perficit USUS;
USUM fœcundet ZELUS, hic astra petat.
Astutrumqve TRIAS SANCTISSIMA prosperet, ut mox
USUS is & ZELUS, commoda multa ferant!

† *VVETZELIUS* Anagr. 1. Z in ts resol. *Utile est Usu.*
* 2. Z retento: *Zelus juvet.* LMq;

A. D. HABICHHORST, D.

GNaviter hic studiis incumbis, Amice, *quod ipsum*
Spe citius nobis publicitusqve probas.
Sic Commilitibus laudando nonne præibis
Exemplo, Patrem lætificasque Tuum?
Gratulor hos Tibi conatus stimulosque benigni
Hospitis atque Ducis, faustaque cuncta precor.
Patronos Tibi præcipuè precor usque faventes,
Ut referas studii præmia grata tui.

In honorem eruditissimi Wetzelii, Auditoris hactenus sui in Colleg. Metaph. ob industriam commendatissimi, Amici æstimatissimi, scr.

M. JACOBUS Burgmann

Gratulor ex animo Tibi, Conterranee Wetzel,
Demonstraturo, Te studuisse sacra.
Pergas & faciles nolis fallentibus aures
Pandere. Propositum JHOVA juvabit opus.

Ludwig Erdmann Schwartzkopff/
Palæo-Sed. Pom.

CUm solet Athletes tese exercere Palæstra,
Extentis palmis arma coruscа rapit:
Sic qvoquè WETZELIUS dum publica pulpita scandit,
Tentat idem, sed non Marte sed arte fabrâ.
Ergo labor prosit, nec Lis, Dis, Sorsqve siniſtra
Unqvam summoveant Te studio hocce tuo.
Gratulor, his cœptis benedicat JHOVA benignus,
Qvæ sint grata Patri qvæ Patriæ atqve Tibi,

Hæc stylo Laconico & germano animo Domino
Commensali debebam

GEORGIUS WESTPHAL Warenâ Mekl.

REcht so mein Hertzens-Freund/ so wiltu jetzt darlegen
Die erste Fleißes Prob/ der Himmel geb dir Seegen
Zu diesem deinem Werck; Fahr ferner also fort/
Der Höchste sey dein Schild/ dein Helffer und dein Hort.

Also hat seinem Vielwehrtem Brüderlichen Freunde und
Tischgenossen dieses wenige wollmeinend
auffsetzen wollen als sollen

David Rasch / von Rügenwald.

TEr sanctum Jhovæ Numen tentamine primo
Dum celebras studii, *Sympatriota*, tui,
Apprecor ut porro Tua cetera cæpta secundet
Ter Sanctum Numen Terqve colenda Trias.

Ita pereximio & literatissimo Dn. Respondenti Conterraneo atqve Commensali longe xstimatissimo animitus gratulatur

D. FLATOVIUS Sed. Pom:

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
NONA
De

VIRGINEO
CONCEPTU PARTUq;

Quo

JMMANUEL In lucem prodiit.

EX JSA. VII. 14.
Alioq; Eiusdem VII cap. LOCO,
Quam
Auspice DEO-Homine,
Pl. Reverenda FCtate THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S.TH D. EJUSDEMq; PROF. PUBL. ORD. & CONSIST. DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,
Ad d. XXIV. Septemb. hor. mat. 1687.
publicæ collationi Academicæ sistit
LUCAS Beselin / Rostochiensis
PHILOSOPHIÆ CANDIDATUS.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr

LOCUS VI. JSAI. VII. 9.

Disp. IX.

De

Achaſi & domus Davidicæ incredulitate.

POſt decretum indurationis nationalis Jhudaicæ (ad cujus concionem Jſaias ſpecialiterab ipſo DOMINO in throno ſedente, præcedente cap. 6. vocabatur) jam ſeqv. c. 7. gratioſum conſervationis domus Davidicæ ad usqve tempora Meſſiæ filii virginis privilegium promittit Deus, ejusqve præludium liberationem obſeſſæ urbis Jruſchalem trepidanti Regi Achaſo domuiq; Davidis per Jſaiam prædicit, juncta qvadam incredulitatis reprehenſione, his comprehenſa verbis: אם לא תאמינו כי לא תאמנו, qvæ verba cum non tantum variè reddantur, ſed à Pontificiis quoq; aliorſũ trahantur, qvin paucis exponamus ejusq; ſenſum primò genuinum evolvamus & hoc fine tam varias ejus verſiones ac ſententias recenſeamus, qvàm genuinam ſtabiliamus; dehine v. abuſum loci detegamus, facere profectò non poſſumus.

§. 2. Inter verſiones (1) occurrit LXX. Viralis: *Si non credideritis non intelligetis*, quam certè multi ex Patribus & Pontificiis fontem non attendentibus amplectuntur. (2) Pagnini, Vatabli, Ariæ Mont. & Menochii: *Si non credatis* (ſc. verbis meis, id fit, vel exinde eſt) *qvia non conſtantes* (firmi, veraces) *eſtis* (3) Symmachi & Paraphr. Jonathanis, qvos ſeqvuntur Vulgatus & Lutherus: *Niſi credideritis*, *non permanebitis* ſc. in terra veſtra, ſed abducemini. Eidem faventHakſpanius, D. Smidius, B. Varenius & alii, conferentes locum parallelum 2. Chron. 20. 20. והאמינו ביהוה אלהיכם ותאמנו. Eodem tendit Calvinus reddens: *Si non credetis*, *non ſtabitis*: ut & Piſcator, Forerius & Anglicani vertentes: *non confirmabimini* (*ſuffulciemini* i. e. non proſperabimini (4) Junii & Trem. *Annon creditis*, *qvod non confirmamini?* ſc. hac promiſſione Dei. Qvam ſeqvitur *Grotius* qvi-

us, qvi congruentiùs, inqvit, ſenſui Ebræum ſic verti poſſe videtur: *an ideo non creditis, qvia non confirmamini?* ſc. ſigno qvodam conſpicuo. Eandem amplectitur D. *Pfeifferus* in Dub. vex. *annon credetis* (ſc. hactenus dictis) *niſi confirmemini* ſc. aliqvo ſigno?

§. 3. Qværitur autem, qvænam ex his verſionibus præſtet ſenſumqve genuinum exponat? Paucis: *Prima τῶν* LXX. à fonte longiùs abit, dum 1. vocem ultimam תאמנו, qvæ eſt 2. plur. Maſc. Niphal à R. אמן, reddit *intelligetis*, qvam ſignificationem אמן non admittit. (2.) particulam כי *qvia qvod*, in exilium mittit. *Secunda* qvidem illud כי rectè attendit, nihilominus tamen bis peccat: 1. minus rectè ſubintelligit voces: *id fit* vel *exinde eſt*: non n. hîc Propheta inqvirit, unde fiat qvod non credant; ſed indicat, qvid futurum ſit, ſi non credant. Et 2. qvomodo hic verborum ſenſus congruit: *Si non credatis, exinde eſt, qvod non conſtantes eſtis?* Annon potiùs ex fide fluit conſtantia? annon fides præreqviritur, ut conſtantes in adverſis ſtabilesqve ſimus? *Tertia* benè ſe haberet, ſi modo particulam כי i. e. *qvia, qvod*, cum LXX non negligeret. Qvod ſi v. juxta Anglicanos illud כי per *profectò* ſ. *certè* poſſet exponi h. m.: *Si non creditis, profectò non permanebitis*, ſtabilis foret verſio; ceterum acceptio talis particulæ כי non ſatis liqvet. Anglicani qvidem citant loca Gen. 3. 1. Exod. 3. 12. ſed prior planè alienus, poſterior incertus eſt. Tandem *qvarta* hæc: *annon credetis, qvia non* (niſi) *confirmamini*, magis cum fonte convenit; nam 1. particulam illam כי obſervat. 2. verbum נאמן in Niphal, unde hîc ultimũ תאמנו, ſignificat non tantùm *ſtare, firmum, veracem, conſtantem* eſſe, ſed & *confirmari* in veritate, *ſtabiliri*. 3. prima vocula אם vulgo ſignificans SI, aliqvando *interrogativè* accipitur pro *an*, ceu docet Glaſſ. in Phil. S. l. 3. Tr. 7. can. 6. idqve patet ex locis Iſa. 66. 9. Job. 6. 5. 6. 12. c. 7. 12. c. 10. 4. 5. Thr. 5. ult. Unde & אם Job. 6. 13. cum ה interrogativo conjungitur & ſignifi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0128
DFG

gnificat *an*. Hinc & τὸ εἰ *si* in N.T. ad imitationẽ τοῦ אם interrogative sumitur Matth. 12, 10. c. 19. 3. εἰ ἔξεστι, *an* licet. (4.) Favet contextus; nam in antecedd. Achasum trepidantem dehortatur Propheta v. 4. & trepidationi opponit promissionem de frustranea hostium insultatione v. 7. 8. 9. huic dehortationi & promissioni subjungit dicto v. 9. clausulam his verbis, Achasi & populi incredulitatẽ reprehendentibus: *annnon credetis* (promissis) *qvia non* (nisi) *confirmamini* sc. signo aliqvo? Favent conseqq. nam seq. v. 10. & 11. datur potestas petendi signum, & v. 14. signum ab ipso DEO exhibetur.

§. 4. Frustra ergo *Pontificii* sunt, qvando hunc locum, vel potius versionem LXX. primo jam numero in exilium missam, ad stabiliendũ dogma suum planè insulsum, qvo notitiam à fide salvifica rejiciunt & fidem melius per ignorantiam definiri putant, obtorto qvasi collo trahunt & detorqvent: Ita enim Bellarm. l. 1. de justif. c. 1. arg. 1. §. 2. *Probatur*, inqvit, *fidem non esse notitiam sed assensum; nam inprimis Isaias c. 7. apertè protestatur: nisi credideritis non intelligetis. Ibi videmus, fidem non esse intelligentiam, sed viam & gradum ad intelligentiam.* Et sub finem cap. scribit: *mysteria fidei, qvæ rationem superant, credimus non intelligimus: ast per hoc fides distinguitur contra scientiam & melius per ignorantiam, qvàm per notitiam definitur.* Facilè enim hîc *abusus* loci detegitur, si ad fontem, ceu decet, recurritur, ex qvò certè tum sensus loci, tum error versionis, qvam Pontificii hîc non sine crimine seqvuntur, elucescit. Cur enim non vulgatam potiùs suam seqvuntur, qvæ tolerabilior h. l, (ceu ostensũ suprà) qvàm LXX? Cur non anathematis fulmine retrahuntur, qvo ipsis à Tridentino prohibitũ Concilio, ne qvocunq; prætextu à vulgata descedant? Qvomodo verò admissâ etiã versione illâ non probetur, notitiã esse fidei conseqvens, non v. partem vel primùm ejus gradum, ut ostendamus, pagellæ non patiuntur. Ostendimus illud Dissertatiunculâ XIV.

ad Art. XIII. Aug. Confeſſ. de *Uſu Sacramentorum*, A. 1675. ſuperh. l. ventilata. Conf. Prukn. Vindic. h. l. & alios.

LOCUS VII. JSA. VII 14.

De

Virgineo conceptu partuq, qvo Immanuel in lucem prodiit.

LOci hujus longè controverſiſſimi, de *Virgine Meſſiæ Matre*, (qvam ante Jſaiam neminî, qvantum qvidem ex ſcripturis indubitatò conſtat, innotuiſſe putamus) aliqvalem exegeſin inſtituere volentibus plura qvidem occurrunt tractatu digniſſima; poſſemus enim pluribus exponere 1. Virgineam conceptionem 2. concepti Meſſiæ nativitatem 3. nati appellationem 4. appellati educationem; ſed pagellarum & inſtituti rationem habituri ſeqq. ſaltim dabimus (1) *Philologicam controverſarum vocum expoſitionem*, præcipuæ loci hujus qvæſtioni ſerviturum (2) ipſius *qvæſtionis Theologicæ*, ad exegeſin loci præcipuè ſpectantis, *enodationem*, an ſc. hæc Prophetia in *Jeſu Chriſto, ex Virgine Maria* nato, ſit impleta? 3. brevem *Uſus* loci in Theol. controverſa *annotationem*.

§. 2. Inter voces enim controverſas occurrit 1. העלמה de qva qværitur, utrum ſit *ſtatus* an *ætatis* nomen, vel an præciſè *Virginem* ſignificet *intactam* ſ. *illibatam*, an vero *juvenculam qvamcunqve* ſ. *nupta* fuerit ſ. *innupta*, ſ. experta virum, ſ. ignara Viri; Poſterius Jhudæi, prius nos affirmamus. Sive enim vocis *originationem* ſive *uſum* ejus in ſcripturis reſpiciamus, deprehendimus ſanè, vocabulum illud nulli competere jure, quâ qvæ illæſam ſervavit virginitatem domiq; latens matrimonium non contraxit. Apud omnes enim in confeſſo eſt, עלמות fæmin. eſſe, à maſc. עלם qvod notat *adoleſcentem* ſ. *juvenem adhuc celibem & mulieribus abſconditum*, conf. 1. Sam. 17. 56. c. 20. 22. & à Rad. עלם qvæ in Niphal. ſignificat *latitare*, *abſconditum* eſſe, *ignorari*, ut adeo עלמה i. e. *virgo*, dicatur, qvæ viro non patuit, ſed abſcondita, non detecta, viri ignara, nondum

dum cognita est &c. Qvod *usum* vocis attinet, sexies illa (qvoad substratam materiam) extra h. l. in scripturis occurrit, modò in singulari numero, ut Gen: 24. 43. Exod: 2. 8. Prov: 30. 19. modò in plurali עלמות ut Ps. 68. 26. Cant. 1, 3. c. 6. 8. Semper vero in sexillis locis Virginem vel virgines notat illibatas. Cur e. non hoc etiam loco talem designaret? Unum tamen è sex illis Scripturæ locis, sc. Prov. 30. de דרך גבר בעלמה h. e. *via viri ad Virginem*, excipiunt Jhudæi, in eoq; vocē hanc non *Virginem* sed *meretricem* significare contendunt, ne illam & hoc loco illibatam denotare virginem concedere cogantur. Sed exceptio est nauci; Sapiens enim vir h. l. per *viam viri ad virginem* intelligit occultas maximeqve mirabiles artes & insidias ad animos virginum devinciendos adhiberi solitas. An vero omnis via viri ad עלמה meretricia & fædæ libidinis est? Ponam9 verò talem esse viam libidinosi, an ideo statim omnis, in qvam fertur desiderium viri impurum, meretrix est? Et qvid porro admirandi habet via viri ad scortum? an illa Sapienti inexplicabilis? Et qvid opus est insidiis viri, si scortum? Ast dicunt: seqvente statim vers. 20. conjungitur *adultera*, E. עלמה v. 19. meretrix est. Sed qvalis hæc conseqventia? Potiùs e. nos invertimus argumentum: nam oppositio versus 20. docet per עלמה designari virginem. Conf. Helvic, Disp. Giess. Tom. 4. Calov. Bibl. illustr. Isa. 7, 14. p. 35. 36. Stat igitur sententia, עלמה de homine acceptum semper notare virginem: Igitur & h. l. Et certe nisi עלמה virginem hic notaret, partus עלמה signum haut foret miraculosum, qvod cum qvovis s. in cœlo s. in terra dato contendere qviret v. 11. (tale enim Rex postulare jussus fuit) qvodqve Deus ipse daturus erat, qvod certè levius esse non potuit, qvàm qvod Achas petere dubitabat. An vero signum est miraculosum, si juvencula nuptui data & ex cohibatione maritali imprægnata, parit? Suffragantur LXX. & Sp. S. in N. T. qvi עלמה per παρθένον reddunt, qvæ vox innuptam notat viriq; ignaram, quod omnes testantur Græci. Conf. Matth. 1. 23. §. 3.

§.3. Deinceps vox occurrit controversa הרה, de qva qværitur an sit *participium*, an verbum *præteriti temporis*, an v. *nomen verbale* fœm-generis, atqve adeo an dicatur hîc *virgo prægnans est* in præsenti, vel in præterito *concepit*; an *virgo prægnans erit* in futuro? *B. Calovius* Bibl. illustr. ad h.l. p. 36. dicit, sermonem esse non de virgine, qvæ conceptura sit postqvam marito juncta fuerit, sed *qvæ & virgo & jam prægnans* sit, simulqve rationem hanc subjungit: *verbum n.* הרה *præteriti temporis est non futuri: vel certè est participium, uti seqvens* יולדת *ut ita designetur virgo qvæ sit virgo & prægnans.* Hactenus ille. Ceterum qvomodo illi qvi הרה *participium* esse dicunt, irregularem punctationem tueri velint, non videmus. Siqvidem R. הָרָה in particip. præs. Kal. masc. habet הוֹרֶה qvod extat Gen. 49. 26. unde fœminimum הוֹרָה qvod legitur Hos. 2. 7. & Cant. 3. 4. qvæ v. differentia inter הרה qvod h.l. est, & הורה? Qvi v. (2.) *præteritum* esse putant, nonne in persona errant? הרה qvidem 3. pers. præteriti masculina esse potest; sed qvomodo masculinum הרה cum præced. fœm. עלמה construetur? Nonne, si præteritum esse deberet, dicendum fuisset הרתה? Neq; est qvod Enallagen generis hîc confingant; qvid enim irregularitatibus & ambagibus hismet opus, cum planiùs statuatur, הרה esse h.l. nomin *verbale* & exponendũ per *prægnans* s. *gravida*, subintellecto verbo substantivo *est*, cujus, ellipsi nihil in fonte Ebræo freqventius, vel *erit*: si quidem ipse Sp. S. & LXX. הרה per futurũ exponunt. Matt. 1. 23. Neqve novum est Radicem cum nomine coincidere: Ecce n. à R. קָשָׁה *durus fuit* est קָשֶׁה *durus* & קָשָׁה *dura*, *à R.* יָפָה *pulcher fuit* est יָפֶה *pulcher* & יָפָה *pulchra* &c. Qvod verò etiam nomen tale à R. הרה detur, illud usus probat biblicus. Cum enim Exod. 21. 22. dicitur ונגפו אשה הרה *& percusserunt fœminam gravidam*, clarè patet vocem הָרָה esse nomen verbale: hinc & in fœm. plur. legitur הרות *gravidæ* Amos. 1. v. antep. & cum affixo ההריותיה *gravidas ejus* 2. Reg. 15. 16. Neqve obstat seqvens participium ויולדת *& pariens*, qvod pe-

per ו arctissimè cum הרה cohæret: nam 1. copula ו non infert הרה esse participium, cum forma vocis reclamet. 2. potius dixerimus participium יולדת (ut alia solent) degenerare in nomen: neqve 3. insolens est participium cum nomine conjungi. Qvid? qvod sensus loci nihilominus satis orthodoxè ex mente B. Calovii in principio hujus §. citata, fluit, & Virgo indigitatur, quæ & virgo & prægnans s. gravida & pariens sit.

§. 4. Seqvitur verbum aliud controversum וקראת de qvo controversantur, an sit 3. persona fæm. præteriti Kal, pro וְקָרְאָה i.e. *& vocabit*? an verò 2. persona fæm. præteriti Kal. ut significet: *& vocabis*? Certè qvi prius statuunt, juxta illos ה affor-mativa fæm in. 3. pers. præteriti in ת mutatur & א rejicit suum (ֶ) ad præced. literam Schvatam, ut ipsa qviescat. Licet a. hujusmodi anomalia non adeo sit insolita; exempla vid. ap. Dn. *D. Wasm. Hebr. Restit.* R. 35. licet qvoqve sensus sic commodus fluat h.m. *Ecce Virgo prægnans est & pariens filium & vocabit &c.* faciliùs tamen eorum fluere videtur interpretatio, qvi vocem illam censent esse secundam fæm. præteriti Kal. ad formam מָצְאָת pro מָצָאתְ Nec obstat *Piscatoris* objectio, qvi propterea וקראת non posse hic pro 2. fæm. Præter Kal. haberi putat, qvia ת non sit schvatum. Qvomodo enim Schva expressum sub ultima lit. mobili ת locum habebit regulariter, cum penultima qvoqve א hic non habeat Schva, sed in præced. (ֶ) qviescat? Qvod vero loca qvædam occurrunt, in qvibus Schva in fine est expressum, licet penultima non habuerit schva, ut וּבָאתְ *& ingredieris* 2. Sam. 14. 3. &c. illud planè irregulariter accidit, adeoq; regulam non infringit. vid. D. Wasm. l. c. Reg. 2. in fin. pag. Qvid? qvod sic qvoq; sensus non fuerit incommodus: verba enim: *& vocabis nomen ejus*, commodè referentur, si non ad *Domum Davidicam* (qvoniam קראת fœminini, sed vox בית generis masc. est. vid. Deut. 22. 8. חרש בית) ad qvam ceteroqvi sermo hic præcipuè directus conspicitur: vid.

præ-

præced. v. 13. tamen ad virginem matrem s. ad עדה Ecclesiam vel Synagogam Judaicam. Ceterum quoniam (1) hæc vox cum proximè præcedd. הרה ויולדת (in quibus tertia persona *est* vel *erit* subintelligitur) cohæret. 2. Ipse Spiritus S. Matth. 1. 23. in tertia persona, licet numero mutato, reddit: καλέσουσι *vocabunt*: nam *domus* pro familia, s. *Ecclesia* nomen collectivum est, adeoque & cum verbo sing. (quale hic Propheta habet) & pluralis numeri (quale Matt. 1. 23. adhibetur) construi potest. (3.) omnes ferè versiones vocem hanc in tertia persona reddiderunt, exceptâ LXX. quæ habet κλήσεις *vocabis*, at sæpissimè errat &c. neq; nos illis repugnamus, qvi pro tertia persona vocem illam habent. Sententiam illorum, qvi קראת *participiũ* dicunt, ceu planè vocis flexioni repugnantem, scientes præterimus? Præterea de significatione verbi קרא notari meretur, qvod h. l. non tam de externa nominis impositione, qvàm de verâ subjecti qvalitate sit accipiendum, adeoqve non tam *vocari* qvàm *esse* significet, qvomodo suprà Isaiæ 1. 26. Deus de urbe Jrusalem dicit: *Vocaberis urbs fidelis* & Zach. 8. 2. *vocabitur civitas veritatis* h. e. talis futura est, ut merito ita vocari posset. Verùm de controversis loci vocibus Philologicè sic satis! Progredimur ad qvæstionem Theologico-Exegeticã.

§. 5. Qværitur enim, an per העלמה s. *virginem hanc*, solum individuum MARIÆ semper-Virginis & per *Filium* IMMANUELEM solus JESUS Ἰησοῦς, ejusqve adeo ex Spiritu S. conceptio & ex Virgine Maria nativitas hîc unicè prædicatur, adeoq; Prophetia hæc in Domino nostro JESU CHRISTO ex MARIA virgine nato sit impleta? Jhudæi id negant; Christiani vero omnes, quantum novimus, excepto tamen Grotio Jhudaizante, cum præeuntib9 Socinianis quibusdam & seqvacibus, Episcopio aliisq; rectius nobiscum affirmant. Quod ut magis pateat, breviter sententias Adversantium adducemus 2. nostram genuinam stabiliemus, & 3. quæ obstare videntur retun-

fundem 9. Sed paucis. Jhudæi hîc in diversa abeunt, quod primo statim intuitu nobis indicio fuerit, qvàm parùm ipsimet suæ fidant causæ. Qvidã enim hoc vaticinũ de *Chiskia filio Achasi* vel de alio ipsius filio ex altera conjuge; alii de *nepote* ex filia ipsius prognato; alii de *uxore* filioqve Prophetæ nostri exponunt. Nullam v. ex his Jhudæorum sententiis qvadrare, probat *generatim* cum Prophetæ *scopus & intentio*, qva populo Jhudaico maximam solicitudinem adimere voluit: qvapropter sublimiori consolationis argumento, qvàm Jhudæi confingunt opus hîc erat: tum *promissi* à DEO *signi* planè miraculosi *qvalitas*, tum *matris virginis* conditio. Speciatim vero sententiam de *uxore Achasi filioqve* ejus *Chiskia* ex Chronologia partus, prophetiæ & ætatis filii refutant R. Jarchi, Aben Esra & Abarbenel, Conf. 2. Reg. 16. 2. c. 18. 2. Sententiæ qvoqve *Abarbenelis* de *alio Achasi* ex alia Conjuge filio, vel etiam de *nepote Achasi* eædem rationes majori parte obstant, qvæ priori sententiæ, sc. *Mater virgo*, *eminentia signi*, *filii nomenclatura*: præterea qve incertum, an Achas aliam duxerit conjugem & nepotem ex filia habuerit. Tandem quoqve sententiam *R. Lipmanni* aliorumq; de ipsius *Prophetæ conjuge* filioqve *Schar-jasubo* vel alio, unde cunqve refutari qvis non videt? Qvid? qvod *Kimchi* & *Abarbenel* eandem hac ratione refutant, qvod Propheta eam, qvam vocat העלמה rectiùs dixisset נביאה i.e. *Prophetissam*, prout c. 8. 3. vocatur.

§. 6. Post Jhudæorum deliria, vel ex ipso sententiarum divortio dignoscenda, paucis qvoqve *Grotii* & seqvacium opinio dispicienda occurrit. Ille vero *literaliter* locum de *alio Jsaiæ filio*, qvem duplici nomine vult insignitum; de *Christo* vero tantùm *mysticè* intelligendum statuit, ceu pluribus mentem suam ad Matth. 1. 23. aperuit, eamqve fusius exposuit B. Calovius in Bibl. illustr. h. l. p. 32. Cum vero ovum non tam simile sit ovo, qvàm Grotiana hæc glossa commentis hismet Jhu-

daicis jam refutatis, certe nec specialem ipsa refutatione meretur. Neq; v. Grotium excusat, qvod *mystice* locum de *Christo* interpretetur; Si enim Jhudæis conceditur, juxta sensum literalem ac nativum primoq; obvium, uti Gotius loqvitur, agi h. l. (1) de virgine non innupta sed virum experta. 2. de nativitate non miraculosa sed communi 3. de homine simplici & mero, non θεανθρώπῳ, qvo qvæso jure modoq; locus urgebitur amplius contra Jhudæos, pro Christo DEO-Homine ex Maria virgine nato, vel Christianis mysterium liqvidò, ut ait ille, apparebit? Ecqvis enim sub virgine virum experta, mystico sensu virginem subesse illibatam viri ignaram? qvis sub partu ordinario ex cohabitatione maritali prodeunte partum virginalem? qvis sub homine nudo Deum-Hominem intelliget aut persvaderi sibimet patietur? Conf. Calov. Bibl. illustr. h.l. p. 33.

3. 7. Missis ergo jam refutatis tam Jhudæorum qvàm Jhudaizantium deliriis, *nostra Christianorum sententia* paucis erit confirmanda: non enim operosa indigemus deductione ostensuri, qvod de solo *Jesu Nazareno* locus sit intelligendus; qvicqvid n. hic prædictum, in eodem ipso ad amussim reperitur. Nam 1. *mater* dicitur *virgo intacta*. Nonne talis Maria mater Christi, teste Angelo Matth. 1. & historia N. T? 2. *Virgo* dicitur *conceptura*; E. absqve viro conceperit necesse est. Concepit ita *mater Jesu* teste Angelo Matt. 1. 20. 23. & Luc. 1. 27. 31. 34. 35. (3. *Conceptio* illa vocatur *signum miraculosum*. Qvid vero magis meretur signum & miraculum dici, qvam Christum à Maria virgine sine virili semine conceptum & natum esse? (4). *Filius* ex virgine nascicurus *Immanuel* dicitur vel potiùs est, conf. supr. §. 4. Cui v. nominis id rectiùs, qvam Christo tribueretur, qvi *Immanuel* i. e. *Deus nobiscum* s. Deus & homo in una existens persona & cui illud, quà rem ipsam ὄντως καὶ ἀληθῶς competit? Conf. Jsa. 8. 8. c. 9. 10. licet id nominis impositum ipsi non fuerit. Conf. Isa. 9. 6. (5) Testem interpretationis

onis nostræ habemus Angelum omni exceptione majorem, qvi certè legatus Dominiad Josephum Mariæ sponsum, consilio ejus de repudio tacitè, sine paradigmate, i virgini Mariæ jam prægnanti mittendo opponit argumentum ex præsenti vaticinio probatum Matt. 1. 23. Qvid? qvod *Archangelus Gabriel* in annunciatione conceptionis hujus virginalis Luc. 1. 31. digito velut exserto Mariam esse Virginem illam, qvam designavit hîc Propheta demonstrat, & vaticinii hujus verba ad Mariam mutatâ saltem personâ applicat: qvod enim Propheta dixit: *ecce virgo concepit* (vel prægnans) *& pariet* (vel pariens est) *filium & vocabit nomen ejus Immanuel*, id angelus ita interpretatur: *ecce, tu virgo, concipies & paries filium & vocabis nomen ejus Jesum*. Quid jam evidentius, qvàm Prophetam locutum esse non de virgine nupta, sed de Virgine qvæ non agnovit virum, uti Maria de se loqvitur Luc. 1. atq; ita vocem עלמה exponit. Qvis jam glossæ Sociniano-Grotianæ locus, qvod Propheta, qvoad sensum literalem primoq; obvium, non de virgine pura & innupta, adeoq; nec de virgine Maria; sed de conjuge Isaiæ, non de Jesu virginis filio, sed de filio Isaiæ loqvatur? De differentia & convenientia nominis *Immanuelis* & *Jesu* conf. *B. Calov. Bibl. illustr.* h. l. p. 39. Qvid? qvod *Immanuel* non nomen *nudæ impositionis* sed *naturæ* est & verè Christo proprium. uti jam dictum

§. 7. Qvod attinet Jhudæorum exceptiones & objectiones, nec illis suam tueri sententiam, nec nostram falsitatis convincere possunt. Agmen v. inter illas hæc ducit, qvod *nativitas Jesu ex Maria, post aliqvot secula demum futura, præsentis ab hostibus liberationis signum haut esse potuerit*. Sed Resp. dist. inter signum prognosticon, & confirmativum promissi, qvale non semper tempore complementum rei signatæ vel promissæ antecedit Conf. Exod. 3. 12. 1. Sam. 2. 4. 1. Reg. 22. 25. 28. 2. Reg. 6. 35. Jsai. 38. 20. Qvid? qvod hoc Virginei partus signo certissimi erant, non expugnatū iri regnū Jhudæ; nā puer ille Immanuel nasci-

naſciturus erat ex domo David, E. domus David non deſtruenda à duobus illis Regibus erat, qvam diu virgo non concep erat.

§. 8. Nec obſtat, qvod juxta v. 16. anteqvam הנער *hic puer*, filius Virginis ſcivit malum reprobare &c. derelinqvenda ſit terra à facie duorum Regum ſuorum, qvod biennio poſt hoc vaticinium ſit factum; hoc a. non qvadret in Jeſum Mariæ filium, qui aliqvot ſeculis pòſt demum eſt natus. Reſp. multi explicant etiam hæc verba de Chriſto h. ſ. priusqvam naſcetur & adoleſcet filius virginis, *jamdudum* illi Reges non amplius in regnis ſuis (qvos tamen adeo metuis) dominabuntur &c. vel anteqvam Meſſias, ſi jam natus eſſet, ſciverit &c. Minus v. coacta & probabiliori illorum explicatio eſt, qvi verſum 16. de alio ſubjecto intelligunt, ſumto hîc ה in הנער non ἐξοχικῶς de *Meſſia* virginis filio, ſed vel δεικτικῶς & *individualiter* de *filio Jſaiæ* Schar-jaſchub, qvem manu gerebat, vel *ſpecificè* & *indefinitè* de qvovis, qvi tum ætate puer erat. Conf. Jſa. 3, 5. Non enim Propheta dicit הנער הזה, quod qvidem videtur dicturus fuiſſe, ſi eundem virginis filium deſignaſſet; ſed tantum הנער. Nec obſtat ה emphaticum vulgo dictum: eſt enim articulus, qvi etiã alibi, ſcil. Num 2. 27 cum eadem voce הנער indefinitè ſumtur: & currebat הנער ein Knabe & nunciabat Moſi &c. Neq; obſtat particula כי qvà *Maſculus* verſum. 16. præcedentib9 dicit annecti: Non n. illa ſimpliciter redditiva eſt, ſed vel *perveruntamen* conf. Ilai. 66. 8. vel per *imò* reddi poteſt, ut connectatur hæc *ſpecialis* promiſſio v. 16. cum priori *generali* q. d. *veruntamen* ſ. *imò* ut & propius confirmemini, accipite & hoc à me: anteqvam puer, qvem manu gero, ſciverit &c. Neq; obſtat *Epiſcopii* exceptio: hoc non eſſe ſignum dare, ſed tantum tempus indicare &c. Non enim ſpeciale ſignum ſed ſpecialius promiſſum generali additum v. 16. cenſemus. Conf. *Calov.* h. l. *Glaſſ.* Exeg. Ev. & Ep. Fer. Annunc. De reliqvis alibi.

§. 9. Tandem (3) *uſus* loci ita expoſiti in Theologia controverſa dogmatica maximè inſignis eſt. Nam confirmatur inde contra varios hæreticos veteres & novos, (1.) *Mariæ Matris Jeſu virginitas* (2.) conceptionis Chriſti abſq; virili ſemine ſingularitas (3.) Mariæ θεοτόκου dignitas (4) vera & integra Chriſti humanitas (5) Ejusdem Deitas (6) perſonalis naturarum in Chriſto unionis ſublimitas. Qvæ alibi fuſius tractantur.

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
DECIMA
De

LEGE ET TESTIMONIO

SCRIPTURARUM CANONICARUM,
TANQVAM NORMA & LUCIS FONTE,
IN OMNIBUS RELIGIONIS CAPITIBUS,
UNICE CONSULENDO,
Ex Isa. VIII. 20.

Quam
Auspice DEO-Homine,
Pl. Reverenda FCtate THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S.TH.D.EJUSDEMq; PROFESS.PUBL.ORD. & CONSIST.
DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,
Ad d. XXVI. Novembr. hor. mat. 1687.
publicæ collationi Academicæ sistit
DANIEL MERIAN, WittstochioMarch.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0139
DFG

LOCUS VIII. JSAI. VIII. 20.

De Disp. X.

Lege & testimonio Scripturarum Canonicarum, in omnibus Religionis capitibus, tanqvam unica norma & illuminationis fonte, consulendo.

AUreolum hoc Propheticum, qvod nobis revelat, jam tempore Isaiæ in Ecclesiam irrepsisse perversam illam de Scripturis deserendis & alio cognitionis principio consulendo sententiam, tum propter discordantes Interpretum expositiones, tum propter insignem ejus in Theologia usum, paulò pleniùs considerari meretur. Igitur primò *sensus* ejusdem indagandus, 2. *usus* qvoqve evolvendus est ac defendendus. Pro *sensu* loci indagando (1.) respicienda paucis est *occasio* loci, in præced. v. *19.* proposita. 2. pluribus discutienda veniunt ipsa aureoli hujus momenta: illa enim commendant nobis doctrinā ventilatione dignissimam, qvippe hodienum à multis non modò neglectam, sed & valdè impugnatam, scilicet de *Scripturis Canonicis unicè in omnibus Religionis capitibus tanqvam norma consulendis.*

§. 2. Qvod attinet (1.) *occasionem* v. *19.* propositam, ita habet: Tempore Isaiæ nonnulli apostatæ & impii (uti in angustiis ejvmodi homines sveverunt, conf. 1. Sam. 28. 7. 2. Reg. 1. 2.) perversè in capitibus religionis & quæstionibus divini cultus, deserto sc. verbo Dei scripto, consulebant & svadebant aliis ut recurrerent (1.) ad *Satanicas revelationes* (2.) ad *rationis humanæ disqvisitiones.* Ex Satanicis revelationibus Propheta speciem hic allegat *responsa pythonum & ariolorum.* Verba Prophetæ sic habent: *Et cum dixerint ad vos: qværite Pythonas & ariolos*: i. e. cum svaserint vobis ut consulatis pythonicos &c. Ubi quæritur (1.) qvinam sint dicentes s. svadentes? Resp. Ebraismum hic esse, & vel verbum activum sine nominativo

positum reddendum passivè & impersonaliter: wenn man zu euch sagen wird: vel subintelligendum esse participium *dicentes* s. *quidam* sc. impii s. infideles: pii enim non dixerint, qvæ sequntur: דרשו אל האובות ואל הידעונים i. e. *consulite Pythones & ariolos.* Qv. (1.) qvinam אובות Resp. vox אוב notat *Pythonem* s. *Spiritum* s. Dæmonem, Ponitur a. אובות pro בעלי i. e. *Dominis* s. *habentibus* s. *possessoribus* pythonum s. spirituum, prout exponitur 1. Sam. 28. 7. ubi habetur בעלת אוב i. e. *Dominus* s. *Possessor Spiritus*, & Lev. 20. ult. ubi dicitur: *Vir aut mulier, in qvibus erit* אוב i. e. *pytho* s. *Spiritus*: qvomodo & alibi vox πνεῦμα s. *Spiritus* ponitur pro *spiritualibus* donis & pro *habentibus illa* 1. Cor. 14. 12, 32. 1. Joh. 4. 1. Semel a. vox illa אוב *utrem* s. *lagunculam* notat Job. 32. 19. Hinc LXX. אובות reddunt ἐγγαστριμύθους i. e. *ventriloqvos.* Unde qvibusdam Pythonici videntur vocari אובות quod obscura voce (ore clauso) ex ventre tanqvam ex utre aut lagena, s. ex ventre magis quàm ore loqvi viderentur, vel qvod Spiritus malus eosdem replens turgidos & tumentes tanqvam utres redderet. Hinc à Propheta h. l. dicuntur המצפצפים i. e. *mussitantes, pipientes, murmurantes*, qui fractâ voce sua pronunciant vaticinia, qvi non clara voce, uti nos prophetæ, enunciant, sed pipiunt ut pulli avium, vel mussant, ut Sibylla ex tripode, ceu Junius exponit. Nam Radix צפף notat *pipire, garrire avium more.* Qv. (3.) qvinam הידעונים Resp. vi etymi vox illa notat illud hominum genus, qvod prædictionibus inhiabat & insignem scientiam rerum abditarum venditabat: est enim à R. ידע *scivit.* Hinc qvidam vertunt γνῶσας, *sciolos*, LXX. ἐπαοιδούς. Rabb. ab animali id deducunt, quod *Jaddua* vocant, cujus ossibus inter dentes sumtis divinaculos illos futura prædixisse volunt. Qvicquid a. sit de originatione vocum harummet, illud certè Satanicæ divinationis genus h. l. per אובות & ידעונים notatur, quod

Lev.

Lev. 19. 31. & c. 20. 6. & 30. iisdem planè verbis nominatur & severissime prohibetur: אל תפנו אל האובות ואל הידעונים *ne respiciatis ad Pythonicos & ariolos*: Sub nomine v. Pythonicorum & ariolorum qvivis intelliguntur veritatis divinæ hostes, qui adornatis fraudibus cognitionem divinam adulterabant. Non verò tantum svadebant apostatici, ut recurrerent ad Satanicas revelationes, de quibus jam actum; sed etiam (2.) ad *rationis humanæ disqvisitiones & speculationes*, qvæ Propheta subinnuere videtur *participiis* illis, quibus Pythonicorum & ariolorum actiones describit sc. המצפצפים & המהגים De priori jam ante dictum: posterior est à R. הגה *meditatus* est, adeoqve notat eos qvi meditando, ad se ipsos loqvendo, speculando, disputando, garriendo, ex sapientia humana rerum veritatem aperire satagunt. Commodissimè e. vi vocabulorum intelligi possunt heterodoxi, qvi de divinis garrire & ex rationis suæ liripipio disputare & subtiliter s. stultè potius distinguere solent, ita ut singularem sibi sapientiam & subtilitatem qvidem tribuant, sed revera phantastæ sint insignes, αὐτοσχεδιασταὶ, propriis phantasiis & imaginationibus excellentes, sive (quod conjugatio Hiphil svadet) qui faciunt discipulos & Auditores suos phantastas, inculcando illis subtiles h. e. stultas suas speculationes & scripturarum perversiones, uti ferè vocem המהגים exponit *B. Varenius* Comm. h. l. p. 195.

§. 3. Ceterum huic apostatico seductorum consilio, ita Jhudæi respondere, divinitus eodem versu præced. 19. jubentur: (danda enim hic ellipsis est vocis *respondete* vel *dicite*, uti Ps. 27. 8. &c. conf. *Glass. Phil. S.* l. 4. Tr. 2. Obs. 1. & seqq. qvam & Lutherus rectè interseruit h. m. Es sagt) הלא עם אלהיו ידרש *annon populus* (Iraëliticus κατ' ἐξοχὴν talis, alii: *homines*) *Deum suum reqvireret* (consuleret, ad eum in rebus divini cultus recurreret?) בעד החיים אל המתים *pro vivis mortuos*? ubi repetendum ex præcedd. *num reqvire-*

rè pro vivis mortuos? Qvorum verborum sensus hic esse censetur: num populus Israeliticus relicto Deo vivo ejusque Prophetis, Sancto Vitæ Spiritu ductis, recurrerent ad mortuos, ad Dæmones æternæ morti addictos, s. ad mortua vel idola vel idololatras malo mortis Spiritu ductos, vel homines defunctos: mortuorum enim umbræ s. manes à Pythonibus evocari putabantur Conf. 1. Sam. 28. 8. 12. Ubi non possumus non, anteqvàm *occasionem* hanc dimittamus exponendā, Pontificios, verborum horum metsensum detorqventes, notare. Nam 1. *Tannerus* in Compend. relat. Colloq. Ratisb. p. 9. & *Gretserus* in Coll. Ratisb. sess. 2. p. 55. dicunt, per *vivos* hic non intelligi *Deum viventem*, cum aliàs plures Deos vivos qvam unum habeamus; sed *sacerdotes*, à quibus potius veritas inqvirenda sit, quàm à mortuis. Sed Resp. 1. per instantiam: etiam Moses Deut. 5. 26. plurali utitur dicendo: *quæ fuit unqvam caro, qvæ audivit verba* אלהים חיים i. e. *Deorum viventium*? Num igitur & Moses jam plures habuit Deos vivos qvàm unum? (2) Dicendum e. Isaiam cum Mose plurali numero ad pluritatem Personarum in una essentia divina respexisse. (3.) Non ad Sacerdotes hîc populo ablegatur, qvi cæci erant Isai 56. 10. cæci v. ductores sunt deserendi Matth. 15. 14. sed ad Deum vivum per legem & testimonium loqventem, uti ex seqv. v. 20. patet. (4) Etsi vel maximè includuntur hîc *sacerdotes*, tamen illi non jubentur audiri *præter* vel *contra*, sed *juxta verbum* legis & *testimonii* pronunciantes, quod itidem ex seqv. v. 20. patescit. (2.) *Petrus Cluniacensis* Abbas l. 1. Epist. contra Petrobrus. fol. 32. ex hismet verbis concluſit, esse *purgatorium post hanc vitam*, quia Deus sit consulendus *pro mortuis* i. e. orandus pro salute mortuorum. Sed Resp. 1. imponit Abbati vulgatus qui habet: *pro vivis & mortuis.* Fontem v. aliter habere ex dictis constat. 2. aliis qvoqve imponit Abbas, cum pro iisdem habet, *consulere Deum vivum pro mortuis & orare Deum pro salute mortuorum*.

§. 4.

§. 4. Tantùm de occasione, cujus expositio lucem fœneratur loco nostro, qvi immediatè seq. v. 20. subjungitur: *Ad legem &c.* Qvorum & seqq. verborum sensus ut magis pateat, post occasionẽ modò visam, singula loci verba & qvatuor præcipuè capita s. qvæstiones, qvas aureolum hoc involvit, pro instituti pagellarumqve ratione expendemus, & qvidem (1.) *Quid* consulendum s. *ad qvid* recurrendum? sc. ad *legem & testimonium*, quæ qvid sint simul disqviretur. (2.) *Qvomodo* lex & testimoniũ sit respiciendum sc. tanqvam unica fidei *norma*. 3. *à qvibus* ad legem & testimonium sit recurrendum & secundum illud pronunciandum sc. omnibus 4. *cur* sive qvo *fine*, ne sc. auroram divinæ lucis amittamus. Qvæ omnia cum fuerint breviter evoluta, sensus *loci* genuinus eluceseet, *usuq;* ejus in Theol. controversa coruscabit.

§. 5. Ad 1. qvæstionem sc. QVID consulendum s. AD QVID recurrendum, duabus hic vocibus divinum respondet oraculum: לתורה ולתעודה *ad legem & testimonium*, ubi ex Præcedentibus supplendum: sc. recurrant, revocentur, remittantur, qvotqvot ad Pythones remittuntur. Præterea qve hic tria rursus occurrunt exponenda: 1. qvid per תורה s. legem 2. qvid per תעודה s. *testimonium* intelligatur? 3. qvomodo particula ל duabus his vocibus præfixa sit accipienda? Quod attinet (1.) vocem תורה s. *legis* multipliciter à Christianis & Judæis sumitur, & variè etiam h. l. explicatur, aliter à nobis, aliter à Pontificiis. Nam (1.) notat *ordinationem* s *dispositionem* alicujus rei 2. Sam. 7. 19. (2) *doctrinam & institutionem* Prov. 13. 14. idqve vi etymi: est enim à R. ירה jecit, in Hiphil *docuit*, instituit (3.) *Pentateuchum* Mosis (4) *Omnes V. T. libros* (5) strictè & speciatim *Legem Mosaicam*, qvatenus opponitur Evangelio Joh. 1. 17. (6) *omnem revelationem divinam* literis divinis consignatam s. *verbum Dei scriptum* de voluntate ejus nos instruens Ps. 119. &c. Postremam v. acceptionem hujus esse

loci arguit (1.) *Concomitans vocabuli* testimonii *conjunctio*, de qvo deinceps (2.) *subsequens vocabuli legis per τὸ* verbum *expositio*. Nam lex illa in immediatè subseqventibus appellatur *verbum* his verbis: *nisi dixerint* כדבר הזה *secundum verbum hoc* sc. *legem & testimonium*, ad qvod recurrendum: *secundum verbum* inqvã, qvod sc. tanquam norma & forma luci publicæ erat expositum & tanqvam certum aliqvod oraculum singuli adire poterant. Tale v. est verbum Dei scriptum, quippe quod in custodia sanctuarii fuit, magnaqve cura describebatur. Vid. *Schkard. de jure Reg.* (3.) *præcedens testimonii ligatio & legis obsignatio*. Eadem enim lex hic v. 20. intelligitur, qvæ præced. v. 16. *discipulis Domini obsignanda* dicitur; illa v. est scripta, id qvod Jesuita *Salmeron*, ex dicto v. 16. *scripturarum S. obscuritatem* probare conatus, fatetur Tom. 1. Comment. ad N. T. quem tamen, quod obscuritatem attinet, alius Jesuita refellit, nempe *Sanctius* Comment h. l. his verbis: *per obsignationem piis non occultatur, sed solum separatim servatur lex Dominica*. Ita ergo lex, ad qvam recurrendum, h. l. notat *Verbum Dei scriptum*. Negant v. id Pontificii, & qvidem *Becanus lib. de jud. controvers. relig. Christ. p. 139.* dicit, Jhudæos hic remitti ad *legem specialem Deut. 18. 9. contra Pythonas & ariolos latam*. Sed perperam! nam (1.) vox *legis* absolutè sic posita & vocabulo *testimonii* stipata, universam Dei legem & verbum scriptum notat, conf. Ps. 78. 5. Ps. 119. 1, 2. 34. 36. &c. Jer. 44. 23. Nehem. 19. 34. &c. (2.) talia sunt subjecta, qvalia permittuntur à prædicatis. Jam verò nemo non intelligit, ex una illa lege contra Pythones lata non posse voluntatem sententiamqve Dei in omnibus dubiis cognosci, qvod tamen Deus de *lege & testimonio* suo hic asseverat.

§. 6. Deinde vocabulum העדה s. *testimonii* (qvod est à R. עוד *testari*, & alibi sæpius exponitur per עדה ejusqve plurale עדות h. e. *testimonia*) ter occurrit sc. h. l. & seq. v. *16.* ut & Ruth. 4. 7. Uti v. præcedens vocabulum *legis*, ita & *testimonii*

nii vox (cum de divinis accipitur testimoniis) variè sumitur 1. *generatim* pro *universa Dei doctrina*, qvæ Legem & Evangelium comprehendit literisq; sacris consignata est, qvippe quæ testimoniũ est voluntatis divinæ, vel de eadẽ nobis testatur. 2. *specialiter* pro *Legibus Mosaicis* tam moralibus qvàm cerem. & forensibus, quæ cum corona Regibus tradi solebant 2. Reg. 11, 12. (3.) *specialiùs* pro *Decalogo* duabus incluso tabulis, & propter Delogũ pro *arca fœderis* & propter hanc pro *tabernaculo* (4) *Specialissimè* juxta nonnullos pro *Evangelio*, cum à lege distinguitur. Qværitur quæ significatio h. l. obtineat? Resp. *primam*; qvanqvàm aliis, qvi *qvartam* amant (conf. *Gerh. Exeg. de Trin.* §. 146. *Calov.* h. l. & *D. Pfeiff.* h. l.) dicã scribere nõ velimus. Contrà *Pontificii*, ut vim argumenti, ex hoc aureolo desumti, declinent, longè aliter interpretantur. *Cornelius* enim *à Lap.* Comment. h. l. *testimonium* accipit pro *arca fœderis*, qvia legem s. tabulas Decalogi continebat. Sed frustra: nam 1. vox *testimonii* cum *lege* hic conjungitur, adeoqve more Prophetarum Isaias posteriori voce priorem exponit, ut idem utraq; significet ac verbum Dei notet (ita *Genebrardus* ad Ps. 119.) vel per Ebraismum ita commodè exponi verba possint: *ad legem testificantem* s. quæ continet testimonium divinæ erga nos voluntatis. 2. testimonium hoc in immed. seqq. exponitur per דבר *verbum*, qvod nunqvam pro arca & propitiatorio sumitur. 3. in præced. v. 16. *testimonium* dicitur *ligandum*; hæc v. ligatio non arcæ sed volumini legis convenit, cujus membranæ olim convolvebantur &, ne disjicerentur, ligari solebant 4. ad arcam & propitiatorium non nisi S. Sacerdotibus semel quotannis ingredi licebat; sed lex & testimonium h. l. producitur non ut semel qvotannis, sed ut semper patens, qvale est verbum Dei scriptũ. 5. Propheta Psalmographi studiosissimus modum loqvendi ex Psalmis desumsisse videtur, in qvibus *e. c. Ps.* 19. 8. Lex & testimonium sumuntur pro verbo Dei scripto, 6. Suffragantur Patres aliiqve

aliiqve ex Pontificiis, qvi idem exprimi utraqve voce legis & testimonii censent. A *Cornelio Lapidensi* hic abit *Becanus* l. c. qui quemadmodum legem de *speciali lege* contra Pythonas lata Deut. 18. (uti supra jam relatum) ita *testimonium* de *Prophetarum viventium testimonio, qvi de futuris eventibus prædicere solebant*, intelligit Deumq; hoc velle dicit, *ut, si Judæi de futuris eventibo malint certiores fieri, non consulant Pythonissas, sed Prophetas Domini.* Ceterum ubi qvæso vox *testimonii* s. seorsim & absolutè posita, s. cum voce legis conjuncta, significat testimonium Prophetarum futuros eventus prædicentium? Opponimus ipsi fundamenta jam exposita. Malè e. Jesuita, qvod generatim de lege s. verbo Dei scripto dicitur, ad legem specialem & futuros tantum eventus trahit, modò vim hujus loci infringat. Taceamus jam βραχυτόφιλοι quorundam commentum, qvi *formulam juramenti* hic statuunt q.d. *adjuro vos per legem & testimonium adeoqve per Deum, nisi dixeritis &c.* Taceamus quoq; glossam & depravationem *Grotii*, qvippe qva per *legem* intelligi præsentem Prophetiam, & per testimonium speciale hanc testificationem respici contendit. Unde enim illud constat? nonne precariò & citra probationem illud assumunt? Recte ergo *legem & testimonium* propriè & famosiori sensu de verbo Dei generatim interpretamur, qvod Lege & Evangelio absolvitur & in Mosen & Prophetas dividi consvevit, uti Luc. 16. 29. dicitur: *Habent Mosen & Prophetas, illos audiant*: qvi certe locus parallelus nostro est.

§. 7. Tandem de particula ל utrique voci præfixa quæritur. Respondemus, variè illam exponi, prout quidem variis gaudet acceptionibus, quas exponit Glassius in Phil. S. l. 4. Tr. 1. obs. 6. (1) Frequentiùs hic redditur per אל *ad* (quæ particula in præcedd. habetur) ut sit sensus, populus voluntatem Dei desiderans, relictis Pythonicis aliisq; ad legem & testimonium scripturarum revocetur s. remittatur s. recurrat 2. Aliis per præpos. *in*, h. s. Deum suum in lege & testimonio requirat. 3. aliis per *notam accus.* h. m. non Pythonas nec mortuos consulat; sed Deum, & reqvirendo Deum consulat legem & testimonium. Primam præstare censemus. §. 8.

§. 8. Qværitur 1. qvoad prædicatum qvæstionis, QVOMODO *Lex & testimonium* (qvæ hactenus ut subjectum qvæstionis sunt exposita) sint consulenda & respicienda? Resp. tanqvam *unica quæstionum fidei & cultus divini norma*, id qvod seqq. important verba: אם־לא יאמרו כדבר הזה *Si non dixerint secundum verbum hoc.* Quod ut magis elucescat, seqventes evolvere qvæstiones circa hæc verba non pigramur. 1. an voculæ אם־לא *si non*, à seqventibus sint disjungendæ, an vero conjungendæ? 2. Quid per דבר הזה s. *verbum hoc* sit intelligendum? an Lex & testimonium, an aliud? 3. an particula כ in כדבר inferat, verbum hoc, qvod consulendum, esse *normam*? Ad qv. 1. respond. voculas אם־לא *si non*, minimè à seqq. divellendas esse. Contrariũ verò statuunt *Piscator*, *Glassius*, *Sixt.* ab Amama, & *Prükn.* qui qvasi hîc detur *permissio indignantis & comminantis*, easdem reddunt: *sin minus*, h. s. si nolint legem & testimonium consulere, *dicant secundum verbum istud, cui non est aurora* i. e. amplectantur verbum Pythonicorũ & Pseudoprophetarum, qvod non exhilarat mentes, ut aurora hominum oculos svevit q. d. credant suo damno, qvia sic volunt. Verùm huic interpretationi obstat accentuatio. Voces enim אם־לא *si non*, habent accentum conjunctivum, sc. servum *Mahpach* (non subdistinctivum Ducem *Ithiph*, ut opinatur ad h. l. *B. Dorscheus*, formâ haut dubiè seductus; eâdem enim formâ uterqve gaudet. Qvomodo vero dignoscendi sint vid. ap. *D. Wasmut.* Gram. Ebr. p. 23. & Instit. Acc. not. ad Tab. 1. lit. *d*. Igitur voces illæ per accentum *Mahpach* cum seqq. rectissimè conjunguntur h. m. *Si non dixerint secundum verbum hoc.* Ita Lutherus rectè conjunxit: **werden sie das nicht sagen**; qvanqvam emphasin seqq. vocũ כדבר הזה i. e. *secundum verbum hoc*, non expressit, de qua in proximè seqq. Qv. n. (2.) qvid per VERBUM HOC sit intelligendum? Certè qui proximè præeedd. voces אם־לא ab his divellunt

vellunt, illi per *verbum hoc* intelligunt *verbum pseudo-Prophetarum & Pythonicorum* q. d. si non velint ad divinum recurrere verbum, ad legem & testimonium, credant suo damno Pseudo-Prophetarum & Pythonicorum verbo. Sed fundamentum ejus sententiæ, quod est disjunctio vocularum אם־לא, jam. jam destructum. *Sanctius* verò & *Cornelius à Lap.* Jesuitæ licet rectè præcedd. voculas nobiscum conjungant; in diversum tamen circa designationem *verbi hujus* abire gestiunt, ut depravatione sua eximium loci hujus argumentum avertant: per verbum enim hoc intelligunt versus præcedentis 19. *propositionem de non qværendis Pythonibus &c.* Sed coactè: cur enim *demonstrativum* הדבר הזה i. e. *verbum hoc ipsum*, respiceret ad remotū, quod est propositio de non qværendis Pythonibus? An propositio illa, de non audiendis Pythonibus, est sufficiens dicendorum s. respondendorum s. pronunciandorum norma? nonne *Lex & testimonium* est proximum? Quid? quod illi, qvi svadent Pythones esse consulendos, non tantum propterea reprehenduntur, quod dicunt Pythones esse audiendos, sed & quod homines à Deo ejusqne verbi amplexu abducunt. Igitur *Lex & testimonium* est id, ad quod הזה respicit, est *verbum illud*, secundum quod dicendum s. pronunciandum. Jam v. lex est Scriptura S. uti suprà ostensum §. 5. 6. Tandem (3.) quæritur, *quid particula* כ in voce כדבר sibi velit? Resp. particula hæc communiter Ebræis vocatur כף הדמיון *caph similitudinis* significans *sicut*; sæpius tamen significat *juxta*, *secundum*, ut normam vel exemplar respiciat, Gen. 1. 26. Deut. 25. 2. &c. vid. *Glass.* Ph. S. l. 4. Tr. 1. obs. 3. Licet autem quandoque (uti Græca ὡς Joh. 1. 14. Luc. 22. 44. &c.) redundet & *veritatem rei* denotet, ut Hos. 4. 4. Num 11. 1. &c. vid. *Glass. Phil. S. l. 3. Tr. 5. can.* 28. hoc tamen loco non redundat adeoqve nec negligenda, sed commodè & emphaticè per *juxta* s. *secundum* exprimenda est, ut ita כ h. l. designet *normativam Scripturæ S.*

ex-

facultatem adeoq; Sp. S. ſicut alibi, e.c. Gal. 6.16. his verbis: ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι, ita & hoc præſertim loco ad verbū legis & teſtimonii, tanqvam ad *normam* & *canonem* nos ableget, ſecundum qvam non in *quibusdam* ſaltem, nec *parti aliter*, ita ut juxta unam alteramq; ſolùm verbi divini legem dicatur, vel ut Scriptura S. ſit *partialis norma*, cui ceu imperfectæ alia coordinetur deficientem perficiens (ita enim non diceretur ſine limitatione ulla: *niſi dixerint ſecundum hoc ipſum verbum*) ſed *in omnibus* religionis capitibus *ſolū* (nam comminatio hæc vim *excluſivæ* habet) juxta verbum hoc pronunciandum eſt, ut inter dicta & verbum hoc exquiſita ſit harmonia, adeoqve verbum Dei ſcriptum ſit *unica*, *totalis & perpetua* fidei norma.

§. 9. Qv. III. A QVIBUS lex & teſtimonium ſit conſulendum & juxta verbum illud dicendum, vel *qvinam* ſint אמרים *dicentes*, notati verbis: *ſi non dixerint* &c. Interpretes hic iterum diſputant. Non nulli *Pythonicos & ariolos* intelligunt. Alii illos, qvorum prædicatum verſu præced. 19. erat יאמרו *dixerint*, nempe apoſtatas, PſeudoProphetas. Qvidam, ut *Sanctus & Corn. à Lap. ad Jhudæos* referunt h. ſ. qui non reſponderint illis qvi dicunt conſulendos eſſe Pythonas, juxta verbum hoc à *me* præſcriptum, ſc. reqvirendum eſſe oraculum à DEO vivo &c. illis non orietur aurora. Simpliciùs rectiusqve in voce יאמרו *dixerint*, ſtatuitur *Ebraismus*, qvalis in præced. verſu. 19. in eadem voce יאמרו h. ſ. *ſi non dicetur ab aliquo, quicunq; ille ſit* ſ. Sacerdos ſ. populus. &c. **So man nicht nach dieſem Wort wird ſprechen.** Conf. ſupr. §. 2.

§ 10. Qv. IV. CUR ſ. *quo fine* conſulendum &c? Revelabit hoc ultimorum verborum אשר אין־לו שחר maximè controverſorum expoſitio. Quidam enim לו ad *doctrinam*, & quidem Pythonicorum, referunt, ſc. illi qvi voculas præcedd. אם־לא à ſeqq. divellunt. conf. præced. §. 8. qv. 1. Alii verò rectiùs ad *perſonam*; ſed hi rurſus diſputant: quidam ad *Dea-*

ſtrum

strum; alii ad illos qui ad Pythonicos remittebantur: atque hi illud לן per Enallagen numeri pro להם positum censent. Aliis, qui de quovis homine, non juxta verbum pronunciante, accipiunt, τὸ אשר redundat. Nobis v. rectiùs, sine Evallage & pleonasmo, vox לן censetur ad præcedens nomen עם referenda & τὸ אשר per *qvod* reddendum q. d. *qvod non erit* לעם *populo illi aurora*, qui Deum in verbo suo loquentem non consulit. Pro commodiori verò interpretationis hujus declaratione, *Ellipsis* qvædam ante hæc verba est statuenda. Quæritur cujus vocis? *Anglicani*, *Vatablus* & alii subintelligunt voces: *hoc ideo fit*, vel *hocinde est*, quia nulla est in iis lux: Alii vocem *sciatis*. Nos cum aliis ejusdem vocis *dicite* vel *respondete*, qvæ præced. v. 19. occurrebat, ellipsin repetimus h. s. *si non dixerint secundum hoc verbum*, dicite so sagt/ אשר *quod non* erit *illi* (populo) *aurora*. Conf. Neh. 2. 7. 8. Gen. 6. 4. 1. Reg. 15. 13. ubi אשר usurpatur pro *quod*, *qvia*. Sed quæritur tandē de re ipsa, quid per שחר *auroram* (pro qvo LXX. perperam legunt שחד *munus*) sit intelligendum? Resp. breviter: uti *propriè* notat *lucem in nubibus promicantem & diei præludentem*, ita *impropriè* s. in Metaphorico & quidem spirituali sensu varia denotat *beneficia cœlestia*. Conf. Jsa. 58. 8. Hos. 6. 3. &c. Hoc v. loco *Grotius*, *Bootius* & alii *per auroram* intelligunt *omnem prosperitatem* & quidem (ut apparet) *temporalem*. Sed cum orthodoxis rectius *auroram* exponimus de *felicitate spirituali* & *æterna*, cujus privationem Deus primario minatur verbi contemtoribus, sub qva privatio *gratiæ & illuminationis* comprehenditur. Verbum n. divinum primariò ad lucem vitæ spiritualis & æternæ excitandam ordinatum est. conf. 2. Pet. 1. 19. (quem nostro parallelum censemus: qvid n. ibi διαύγασμα ἡμέρας aliud quàm *aurora*?) Et quis Diaboli & Pythonicorum *scopus*? nonne inprimis lucts spiritualis & æternæ felicitatis amissio &c.

§. 11. Ex dictis *Usus* loci *Didascalico-Elencticus* contra *Pontificios* in Loco de *scriptura S.* sic satis clarescit, quod scilicet *Scriptura S. Canonica sit unica à Deo ordinata fidei & divini cultus norma, ita ut traditionibus dogmaticis* in causa religionis non sit opus. Conf. Prükn. Vind. h. l.

Præstantissimo Dn. MERIANO,
Domestico meo & in gemino Collegio Theologico Disputatorio, super Theologiam Positivam Köningianam & Augustanam Confessionem Auditori solertissimo,
Jam in Collegio publico Exegetico-Prophetico
De
LEGE & TESTIMONIO SCRIPTURARUM
In rebus fidei unicè consulendo,
Ex JSA. VIII. 20.
RESPONSURO
FELICITER!

ECce **marem* simul atque *Virum* Te nomen honorat:
Ergo *marem* præstes Te simul atque *Virum*.
Nec dubito, quin præstiteris, quia cetera præstans
Conspiceris. Studium prosperet, opto, Deus!
*MERIANUS Anagr. EN MAS VIR.

LMq.
A. D. HABICHHORST, D.

NUminis augusti verbum defendere doctè
Vafrorum poscit noxia calliditas.
Ergo sollicitat mentem dilecta voluptas,
Quam Studium sanctum contrahit absque dolo.
Ut prosit studium fervens precor adsit IHOVA,
Protegat ii gressus protegat omne genus.
In honorem Dn: Respondentis scribebat
CHRISTIANUS HILTEBRANDUS,
Prof: Duc: Ordin: Publ. & FCtis
Philos: Senior.

WEr ihm hat vorgesetzt dem Zeugniß nachzustreben
Und dem Gesetze will sich gantz und gar ergeben/

Deñ

Den halt ich Lobens-werth/ weil er kriegt großen Lohn
Von GOtt/und auch von uns die schönste Ehren-Krohn.
Diß thut mein Werther auch/ seht wie er hinzu eilet
Und jetzt das Zeugniß lobt/ nichts ist das Jhn verweilet.
So/so fahr ferner fort/mein Freund/ spahr keinen Fleiß/
Denn dir steht schon bereit dafür ein hoher Preiß.

M. CAROLUS CZIRLINSKI, Gedanens.

ES ist kein schlechtes Werck/wenn man zu Tag will legen/
Und denn auch jederman zu glauben recht bewegen /
Daß Warheit bleibe stets die Gottes Wort betrifft /
Ob gleich sie feinde an des Neiders kühner Gifft.
Ein Mensch der irdisch ist/ kan dieses nicht beginnen/
Er ist hierin zu schwach mit allen seinen Sinnen:
Der gute Geist ist es/ der diese Kräffte giebt
Mit Gaben reichlich ziert/und machet wollgeübt.
Weil du nun/werther Freund/hast auch dich unternommen
Die Warheit darzuthun; damit es möge frommen
Zu GOttes Ehr und Ruhm/ ist dies mein Wunsch allein
Daß dieser werthe Geist auch möge bey dir sein.

Dieses wenige wolte seinem liebsten Freunde wollmeinend setzen

Thomas Sommerfeld N. Rupp. M.
S.S. Theologiæ Studiosus.

UNica norma DEi Verbum est & regula, quam nos
Consulere in rebus fidei dubiisq; jubemur;
De quo publicitus dum dissertabis, *Amice*,
GratVLor eX anIMo hIs, aVsVs fortVna seCVnDet!

Hæc Amico olim in Scholis nunc in Acad. conjunctissimo f.

JOACHIMUS DAVID MULLER, Perleb. March. S. S. Th. Stud.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0154
DFG

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
UNDECIMA
De

MAGNI LUMINIS GAUDIIQVE

INTER SEDENTES IN TENEBRIS
JHUDÆOS & GENTILES,
PRIMUMQVE ZEBULONITAS & NAPHTHALITAS
NATO ac DOCENTE CHRISTO
FACTA, MANIFESTATIONE,
Ex JSA. IX. 1. 2. 3.

Quam
Auspice DEO-Homine, *Pl. Reverenda FCtate THEOL. consentiente,*
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S.TH.D. EJUSDEMq; PROFESS. PUBL. ORD. & CONSIST. DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,
Ad d. VII. Jan. hor. mat. 1688.
publicæ collationi Academicæ sistit
JOACHIMUS DAVID Müller/
Perlebergâ Marchicus,

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0155
DFG

LOC. IX. ISAI. IX. 1.

Disp. XI.

De

Loco, qvem Lux Evangelii præconio Messiæ primùm collustrare debuit, olim tenebris & angustiis presso & vilipenso, novissimis v. temporibus glorioſè illustrando.

Circa ſenſum & ordinationem obſcurioris hujusce verſus, qvi juxta qvosdam caput 8. claudit, juxta alios v. caput 9. orditur, valde ſe torqvent & digladiantur Interpretes. Nos ut eidem aliqvam fœneremur lucem, qvem verſiones qvædam obſcurarunt, tres præcipuè qvæſtiones paucis expediemus. Nam (1) qværitur, qvis *nexus* loci hujus cum præcedd. & ſeqq. (2) qvis ejusdem *ſenſus*, an comminationem de tenebris & anguſtiis continuet, an conſolationem auſpicetur? (3). an hic verſus claudat cap. 8. an verò nonum ordiatur? vel an priora ejus verba ad cap. 8. poſteriora v. ad 9. ſint referenda, & an diviſionem illam probet allegatio ap. Matth. 4. 15. facta? Qvod (1) qvæſtionem de *nexu* attinet, is certè arguitur particula ו in frontiſpicio verſus hujus occurrens, de qva diſceptatur, an h. l. *cauſaliter* (uti communiter) ſignificet, notans *qvia*; an v. *adverſativè* accipienda notet *qvamvis*, *ſed*, uti accipitur Gen. 48. 14. Deut. 11. 7. &c. Conf. Glaſſ. Phil. S. l. 3. Tr. 7. can. 11. & 13. Nos *adverſativè* illam interpretramur. Qvalis enim foret connexio hujus cum præced. verſu, ſi cauſaliter hic acciperetur? Id qvod ex dicendis patebit. Scilicet in præcedd. & qvidem loco proximè expoſito, Iſa. 8. 20. minatus fuerat Propheta cultoribus Pythonum & contemtoribus legis ac teſtimonii divini *amiſſionem auroræ* h. e. inprimis gratiæ & lucis ſpiritualis privationem; uno verbo: *cæcitatem*: conf. Diſp. præced. eamq; comminationem v. 22. exaggeraverat his verbis: *ſuſpiciet ſurſum & deorſum in terram & ecce anguſtia & tenebris, obſcuritate coarctationis & caligine impul-*

ſus erit. Jam ſeqvitur locus præſens, qvi certè ab adverſativa כי incipiens, minas in conſolationem convertit his verbis: כי לא מועף לאשר מוצק לה *ſed non erit obſcuratum illi* vel: *ſed non* (erit, afferetur) *obſcuratio* (ſc. omnimoda, perpetua) *illi* (populo) *cui coarctatio in illa* (terra) q.d. licet Deus terram Iſraelis graviſſimis hactenus tenebris & anguſtiis affecerit vel affecturus ſit; non tamen permittet illam penitus & perpetuo obſcurari, ſed eandem olim obſcuratam dehinc illuſtrabit. Nexus ergo identitatem topicã earundem terrarum & olim afflictiſſimarũ & noviſſimis temporibus glorioſe illuſtrandarũ infert.

§. 2. Sed jam (2) de iſto loci *ſenſu* pluribus diſqvirendum, an ſc. ille *continuationem comminationis*, an v. *conſolationis* & promiſſionis Evangelicæ *auſpicium* complectatur? vel an *ſenſu* comparativo major adhuc futura ſit anguſtia & obtenebratio terræ Iſraelis, qvàm hactenus paſſa eſt; an v. *ſenſu negativo* promittatur, non penitus obſcurandam eſſe terram illam, ſed noviſſimis temporibus per lumen magnum (de qvo in v. ſeq.) illuſtrandam? Priori ſenſu *Grotius*, latino & Græco textui adhærens, locum interpretatur, cui is meras continet minas. Ita n. prævia vulgatâ ad h. l. commentatur: *Prius leviter affligetur terra Zebulon &c. nempe per Theglath Phalaſarem, qvi paucos tranſtulit ex illis locis, multos reliqvit 2. Reg. 15. 29. poſt v. gravius via maris &c. affligetur deportatione per Salmanaſſarem facta 2. Reg. 17. & 18.* Hactenus ille. Sed poſteriorem ſenſum fons Ebræus inſinuat, qvo certè Propheta promiſſionis, de magno Lumine Meſſiæ in his terris tantopere hactenus obſcuratis orituro, facit auſpicium. Ita enim ſenſus loci hujus commodè ſatis ex fonte fluit: *Sed non* erit *obſcuratio* (omnimoda, perpetua) *illi* (populo: conf. præced. Diſp. v. 19. 20) *cui coarctatio in illa* (terra) q.d. populus & terra Iſraelis licet tot anguſtiis & tenebris juxta minas præcedd. preſſa, non penitus perpetuoq; obſcurabitur; (qvin potius Deus) *ſicut tempore priori* (perperã hic Vulg. &

& Grotius particulam כ in voce עת negligunt) *velipendit terram Zebulon & terram Naphthali* (vel: populum illum versus terram Zebulon &c. *ita posteriori* (tempore) *honore affecit: viâ* (in via, per viam, ellipsis τοῦ כ) *maris trans Jordanem, Galilæa gentium* (populosa) Sensum hunc probat (1.) *negatio diserta*: כי לא מועף *sed non obscuratio* (omnimoda) *erit illi &c.* qva negatur continuand9 obscuritatis status. Vox מועף an sit à R. יעף *defatigat9* est; an v. à R. עוף *volavit* &c. disputāt. Forma vocis utramq; significationē admittit: Uti n. à R. ישב in Particip. Hophal est מושב: ita à R. קום est in Particip. Hophal מוקם. Priorem intendisse videtur Lutherus. Cum v. in præced. versu freqvens *tenebrarum & obscuritatis*, (quæ ibidem inter alia qvoq; cognatâ voce מעוף notatur) & *caliginis* fiat mentio, præcipueqve copula obscuritatis & angustiæ ferè ter ibi legatur, hinc significationem *obscurandi* hic obtinere putamus (2) favet usus verborū הקל & הכביד, qvæ in seqq. h. l. opponuntur. Nam הקל (in Hiph. à R. קלל *levis fuit, levitate præcelluit*) non significat *leviter afflicta est* (ut Grotius interpretatur); sed *vilipendit, despexit*. Proferatur pro Grotio unus locus. Nos v. producimus Ezech. 22. 7. *patrem & matrem* הקלו *vilipenderunt* & 1. Sam. 19. ult. הקלותני *vilipendistime*. Contrà seqvens verbum הכביד à R. כבד *gravis fuit*, unde כבוד *honor, gloria*) non significat *graviter afflicta est* (uti Grotius commentatur) sed *honore, gloriâ affecit*. Sic Jer. 30. 19. והכבדתים *& glorificabo illos*: q. d. Sicut olim regionem Galilææ (qvam tenuerunt duæ tribus *Zebulon & Naphthali*, quam alluit mare Genezareth) bellicis calamitatibus vilissimè tractavit, prætereaqve ipsa vilis fuit, nec re militari, nec nobilitate, nec scientia nec artibus claruit; unde illud: *ex Galilæa nullus Propheta, nihil boni* &c. Joh. 7. Sic novissimis temporibus eandem Deus illustrabit & qvidem *magno lumine*, præsentiâ, habitatione, doctrinâ & miraculis Messiæ, & plurimi inde erunt discipuli, gentium Doctores, uti seq. versus & collatio Matt. 4. 15. evincit. Quod כ *simili*

militudinis in כעת pro particula ἀποδοτικῇ *copulam* habeat ו, qvæ h.l. seqvitur in voce והאחרון exponenda hic per *ita* (*ita posteriori* tempore *glorificavit*) obscurum esse neqvit. Sic in Orat. Dom. ὡς ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Conf. *Calov. in Bibl illustr. p. 53. & Lud. de Dieu* h.l. (3) Sufragatur *clarissima loci allegatio*, ap. Matt. 4. 15. 16. qvæ manifestò probat, *terram Zebulon & Naphthali* &c. priori tempore vilissimè habitam, non penitus obscurandam, sed novissimo tempore *per lucem Evangelii* ipsiusq; Christi tanqvam *magni luminis* præsentiam, doctrinam & miracula *fuisse gloriosè illustrandam*, adeoq; h. l. locum esse designatum, in qvo præconii Evangelici lux primùm oriri & in qvo populus in tenebris ambulans *magnum lumen* Messiam videre debuit. Conf. seqv. loci Exegesis (4) Consentiunt, si non in omnibus, tamen in plurimis, *Brentius*, *Osiander*, *Calovius* in Bibl. illustr. h.l. *Batavi* in recenti sua versione Belgica, qvam *B. Varenius* in Comm. in Isai. h. l. p. 199. singulariter laudat, qvi tamen ead. pag. & præced. 197. adversari nobis qvodammodo videtur, litet rationes adversitatis non satis exponat. Qvamvis a. *Lutheri* qvoq; versio & *Vinariensium* paraphrasis Grotio favere nobisq; repugnare videantur, vaticinium tamen de Messia integrum relinqvunt &c. Conf. Calov. l. c. p. 52.

§. 3. Qv. (2) an versus hic jam expositus *claudat octavum*, an v. *ordiatur nonum caput*? vel an saltem hic versus sit dividendus, ita ut priora ejus verba ad cap. 8. reliqva v. ad principium capitis 9. sint referenda? Grotius certè latinum Græcosq; secutus Interpretes, versum hunc ad cap. 8. refert; sed falsa nititur hypothesi, qvod sc. comminatio præcedentis cap. 8. hoc versu continuetur, qvod suprà est refutatum. Et licet Autores, superiori seculo s. metaphrasticè l. paraphrasticè Biblia tractantes, dicto jam modo versum hunc diviserint; minimè tamen probandos esse putamus: Nec juvat ipsos LXX. viralis versio, quæ sex priores versus voces planè omittit nonumq;

caput

caput sic orditur: χώρα ζάβυλον: Notum enim est, qvàm illa sit mendosa hodieq; corrupta. Nec obstat nobis allegatio loci Matt. 4. 15. ubi relictis prioribus versus hujus verbis, allegationi versûs seqventis Isaiani de *magno lumine* agentis, *præmittitur* χωρογραφία *de terra Zebulon* &c. ex hoc versu desumta. Aliud enim est totum versum allegare & interpretari, aliud ex versu præcedente subjectum versus seqventis, qvod in præced. versu explicitè expositũ, ἐξηγητικῶς assumere & in seq. versu explicare. Non illud, sed hoc tantùm Evangelistæ fuit propositum, ceu patebit exegesin loci seqventis conferenti. Conf. qvoq; *B. Varen.* l.c. p. 198.

LOC. X. JSAI. IX. 2.

Populus in tenebris magnum lumen videns &c.

ETiam hic locus immediatè seqvens à Jhudæis & Jhudaizante *Grotio* disputatur. Qværitur v. an per *populum in tenebris ambulantem* hic intelligatur *populus Hierosolymitanus, in gravissimis constitutus periculis, qvæ tenebrarum nomine appellant Ebræi: & videre lumen magnum* idem sit qvod *experiri egregiam liberationem cæso Sennacheribi valido exercitu*? An v. locus hic agat de *illustri Messiæ Dei incarnati, inter Jhudæos & Gentiles, primumq; & præ aliis inter Zebulonitas & Naphthalitas manifestatione*? Prius est glossa Grotiana; Similiter ferè hunc locum interpretantur Jhudæi & Pontificii non omnino nulli; Nos contrà cum Christianis Orthodoxis posteriorem tuemur sententiam. Qvod ut pateat, 1. *Subjectum* loci *geminum* 2. *lumen magnum* in prædicato paucis visuri sumus.

§. 2. *Subjectum prioris* membri sc. העם s. *is populus*, respicit præced. versum jamjam expositum & quidem nomina locorum ibi designata, terram sc. *Zebulon & Naphthali* &c. in qua sitæ erant Civitates *Capernaum Bethsaida* &c. prædicatione Christi illustratæ; *posterioris* v. membri *subjectum* sc. *habitantes in regione umbræ mortis*, non determinatur ut prioris, adeoq; omnes respicit gentiles. Id qvod arguit tum *articulus* in solo priori subjecto

&to *repetitus* העם ההלכים, qui certè illum indigitat *populum*, qui regiones jam dictas & præced. versu expressas inhabitavit: tum *immediata connexio* citra particulam s. copulativam s. adversativam facta: non n. dicitur ועם *& populus* s. *sed populus*, sed העם *populus ille*, ut sc. denotetur *appositio* inter *populum hunc* v. 2. & *incolas terræ Zebulon* v. 1. tũ deniq; laudata superiùs *allegatio hujus & præced. loci* ap. Matt. 4. 14. 15. 16. cujus vel solius autoritate inducti locũ de Christo interpretamur. Nec dubium, qvin *Zacharias* ad h. l. respexerit Luc. 1. 79. Qvid? qvod contextus Jsaianus de Messia agit seq. v. 6. 7.

§. 3. Qvis v. dubitaret *lumen magnum* esse *Christum?* Anne *magnum* is *gentium lumen* vocatur Jsai. 42. 7. c. 49. 6. Luc. 2. 32. imò tale *lumen*, qvod Jsai. 60. 1. 2. diserte vocatur יהוה Qvod enim v. 1. dicitur *lumen*, id statim eodem versu exponitur per כבוד יהוה i. e. *gloriam Domini*, & seqv. v. 2. per יהוה, *super te oritur* יהוה *Dominus*, *Deus* se. in unita sibi personaliter carne. Conf. Joh. 1. 8. & annon is lumen est *ratione divinæ naturæ*, lumen de lumine, splendor gloriæ patris? Ebr. 1. 3. annon lumen *ratione doctrinæ*, qvâ certè rectiùs cognita nobis aurora & phosphorus oriri dicitur? Jsai. 8. 20. 2. Pet. 1. 19.

§. 4. Et qvis deniq; commentis adversantium haberet fidem? Populus hic de solis intelligi Hierosolymitanis neqvit, cum digerta hic terræ Zebulonis &c. habeatur mentio. Anne v. interrum est illos excludere, qvorum diserta fit mentio; hos v. ntelligere, qvorum nulla prorsus mentio habetur? Et ubi ubi calamitatis & liberationis sub Chiskia in textu vestigium? Falsum v. vestigium est, per *puerum nobis natum* seq. v. 6. Chiskiam intelligi; prædicata enim pueri illius, sc. Deus fortis, Pater æternitatis, princeps Pacis, commentũ illud refellunt, quod proximè ad locum illum ostendemus,

Decadis

DECADIS III.

Loc. I. ISA. IX. 3.

De

GAUDIO multiplicatis gentibus conversis amplificato.

QVisnam genuinus sit loci hujus sensus, non immeritò disqviritur, cum variam ille interpretationem sit passus dubiosq; hîc interpretes fluctuare videamus. Nos super illo qvoq; dubio mentem aperturi nostram, 1. *gentem multiplicatam* 2. *gaudii amplificationem*, cum qvæstionibus dubiisve hic occurrentibus, paucis exposituri sumus. *Prius* s. *multiplicatio gentium* prioribus describitur verbis: הרבית הגוי i.e. *multiplicasti gentem.* Ubî statim qværitur, qvænam גוי s. *gens multiplicata* hic intelligatur? Certè enim (1.) R. *Jarchi*, *Kimchi* & alii *Paraphrastam Jonathanem* secuti de solis intelligunt *Israelitis* s. *Jhudæis*: Jonathan n. vocem גוי exponit per עמא בית ישראל i. e. *populum domum Israel.* In qvo licet insigniter errent, observandum tamen, illos vocabulum illud גוי de Jhudæis qvoq; usurpare, adeoq; ab illo recentiorum qvorundam Jhudæorum somnio segreges fieri, qvi certè illud גוי solis competere gentibus putant: Unde & nobismet Christianis, ex gentibus oriundis, non sine grandi s. malitiâ s. inscitia illud tribuunt, qvippe qvos in plur. גוים in sing. v. de uno loqventes Christiano גוי appellant. Etenim vox גוי in singulari semper collectivum esse, nemo nisi cœcus negabit Jhudæus, imò & Jhudæos in scripturis appellari גוי non dubitabit, cui conferre libuerit loca Hos. 3. 17. c. 4. 1. c. s. 6. 8. Gen. 18. 18. Conf. *B. Varen.* h. l. (2.) *Grotius* seqvens sententiam *Raschi*, *Kimchii*, item *Pontificiorum* qvorundam, per *Gentem hanc* pro lubitu intelligit *exercitum Regis Assyrii Sennacheribi* & pro obtinendo hoc commento in eodem commate fingit *apostrophen* modò ad Assyrium, modo ad Deum, h. m. *O tu, Assyrie, magnũ*

qvi.

qvidem exercitum contraxisti ad 15. millia, sed non eo magis gaudebis. Lætabuntur coram te Hierosolymitani: hic ad Deum iterum se vertit Isaias. Hactenus ille. Sed qvomodo hæc interpretatio convenit cum seqq. & ubinam ullum de Sennacheribi vel de Chiskiæ temporibus vestigium? Falsò supponitur per *puerum* nobis *natum* seqv. v. 9. non Messiam, sed Chiskiam esse intelligendum, de qvo inferius suo dicetur loco. Nos igitur præcedentem respicientes versûm, per הגוי s. *gentem hanc* intelligimus illos, qvi eodem dicuntur *ambulantes in tenebris vidisse lumen magnum*, item *habitantes in terra umbræ lethalis splendorem luminis illius percepisse*. Illos v. esse Jhudæos & gentes, ex præcedd. constat. E & hic גוי, atq; adeo *illuminati* & ad Christum conversi tum ex *natione* העם s. populi illius *Jhudaici* in tenebris ambulantis, tum ex nationibus *Gentium* indefinitè sub descriptione sedentium in umbra mortis expressorum, sunt חגוי.

§. 2. Præprimis v. h. l. circa *gaudium* ex gentium multiplicatione ortum & *amplificatum*, contentionis serram reciprocant. Et qvidem circa *existentiã gaudii amplificati* disqviritur potissimùm, an sc. vocula לא circello Masoretico notata in verbis לא הגדלת השמחה sit *negativè* pro *non*; an v. *affirmativè* pro לו *ei*; an v. *interrogativè* pro הלא *annon* accipienda? Nam (1.) *negativè* accipiunt Patres *Hieronymus*, *Cyrillus*, *Basilius*, qvorum verba B. *Calovius* laudat in *Bibl. illustr.* h. l. p. 58. item *Vulgatus*, *Vatablus*, *Pagninus*, *Ar. Montanus*, *Osiander*, *Brentius*, *Corn. à Lapide*, *Menochius*, *Paraphrastæ Vinarienses*, *Calovius*, &c. ut sit sensus: *Multiplicasti gentem, hoc ipso non magnificasti gaudium*, idq; vel ad condolentiam Apostolorum, qvoniam pauci Christum recepturi sunt, vel ad Zelum Jhudæorum referunt, cum gentium vocatio Jhudæos ægrè haberet: ita n. *Brentius* exponit: *gens est multa, sed non erat magna eorum lætitia, qvia pauci credunt Evangelio.* Imò & *Lutherus negativè* red-

reddit; damit machestu der Freuden nicht viel. Et hanc Lutheri Patrumq; sententiam laudatus jam *Calovius in Bibl. illustr. p. 59.* omnibus omnino præfert; Sed *Grotii*, qvi *negativè* qvidem, sed alio planè sensu reddit (conf. præced. §. 1.) pessimam dicit p. 58. Contrà (2.) alii *marginalem Masoretarum* lectionem seqventes *affirmativè* exponunt, h. m. *multiplicasti gentem, propterea EI magnificasti gaudium.* Ita *Syrus*, qvi disertè habet ולה *& ei.* Lectionem v. לו antiqvissimam esse, docere nos potest *Targum Jonathan*, qvi paraphrasin suam ante Christi tempora adornavit & τὸ קרי s. lectum לו h. l. cum Syro jam laudato expressit. Eidem sententiæ favet *B. Varenius* Comment. h. l. p. 205. ita scribens: *Nos* τῷ קרי *h. l. insistimus & regulam generalem damus: ubicunq; in Scriptura* כתיב *habet* לא *&* קרי *habet* לו, *ibi semper* קרי *est explicatio illius* כתיב. *Sic hoc in loco* לא *est* לו *ei.* Et post pauca dicit, *Scripturam per* לא *veram esse & antiqvissimam & ipsius Isaiæ*; Sed addit: *in lingua Ebraica freqvens est literarum* א *&* ו *item* י *&* ה *permutatio: priori modo à Scriptoribus sacris est scriptum, posteriori* intelligendum, *qvod propterea annotavit Mosara.* Eosdem seqvitur Dn. *D. Wasmutus*, in Vind. Ebr. p. 227. ubi dicit, *solam versionem Syriacam rectè transtulisse: Multiplicasti gentem eiq; magnificasti lætitiam, & cum eodem rectè facere Chaldaicam paraphrasin.* Eandem quoqve sententiam affirmativè לא pro לו accipientium reliqvis præfert Dn. D. *Pfeifferus in dub. script. S. vexatis h. l.* (3) Alii utrumq; tam כתיב s. scriptum לא quàm marginale קרי s. lectum לו sed diversimodè conjungũt. Et *Munsterus* qvidẽ conjungit *uno eodemq; respectu*, reddens: *eidem non magnificasti lætitiam*; Sed *R. Kimchi* & alii conjungunt ea *diverso respectu*, ita ut geminum hic à Sp. S. intentum esse vel sensum vel respectum statuant, h. m. *ipsi* הגוי *genti s. Jhudæis multiplicasti lætitiam, & hostibus ejus non auxisti, sed diminusti eam.* Priorem qvidem conjunctionem *Münsteri* improbat jamjam laudatus *D. Wasmutus* l. c. p. 228. hac

ratione, qvod *talis conjunctio sit contra tenorem talium notarum Masoreticarum, qvæ non conjunctim cum textuali voce in interpretatione sint admittendæ, sed lectio adeoq; interpretatio juxta* קרי *s. lectum sit instituenda*; Posteriorem v. conjunctionem קרי ׳ & כתיב idem probat p. seq. 229. dicens: *per* ἀντιστοιχίαν τȣ̃ א pro ו *marginali illi Kri s. lectioni affirmativæ subordinatus est alter arcanior sensus negativus, qvod sc. gentibus qvidem illa lætitia omnino amplissima esset futura, neqvaqvam v. Jhudæis Messiam rejecturis.* Eidem præivisse videtur *B. Varenius*, qvi postqvam l. c. p. 206. circa hanc controversiam sibi ita objecisset: *Sed, dicat aliqvis, ergo Prophetæ aliter scripserunt, aliter intellexerunt*, mox in responsione hanc *Kimchianam conjunctionem* sensusq; subordinationem laudat his verbis: *Liceret hic egregiè accommodare R. Kimchii & aliorum* (indigitat *R. Haggaon*, qvem p. præced. citaverat) *hac de re sententiam, qvi omnes geminum hic à S. S. intentum esse vel sensum vel respectum dicunt: sic hoc in loco* לא הגדלת השמחה *liceret dicere, utrumq; esse à Propheta vocis* לא *scriptione per* א *involutum, & MAGNUM & NON MAGNUM fore illud gaudium: MAGNUM respectu illorum, qvi multiplicantur, NON MAGNUM resp. illorum qvi excluduntur s. impiorum. Sed qvicqvid hac de re sit, dico, illud ipsum per* לא *intellexerunt* (Prophetæ) *qvod Masoretæ legendum tradiderunt* &c. Hactenus ille. Ex qvibus tn. ultimis ejus verbis colligimus, non plenè ipsum hanc sententiam probasse, sed in medio reliqvisse. Nobis v. hæc sententia non videtur periculo carere: aliàs enim in aliis qvoq; locis geminus dari posset sensus literalis, qvem tamen Nostrates unicū statuunt: aliàs & in aliis hujus cemodi locis, inqvibus scriptum est לא sed lectum לו tam affirmativ9 qvàm negativus obtineret sensus. Qvid v. tum de duobus fieret *Isaianis? c. 49. 6.* וישראל לא יאסף *& Israël ei colligatur* & c. 63. 9. בכל־צרתם לא צר *in omni angustia ipsorum IPSI angustia.* Nonne v. laudatus *Dn. Wasmutius prioris loci* expositionem *affirmativam* dicit

dicit rectiorem & tum seq. v. 6, tum & locis N. T. Matth. 15. 24. Joh. 11. 52. Rom. 15. 8. multò conformiorem; *posterioris* v. *negativam* (*in tribulatione eorum NON est tribulatus*, qvæ vulgati, Vatabli & Ariæ Montani est,) prorsus alienam à Spiritus S. intentione & talem, quæ fontem consolationis penitus obstruat, pluribus l. c. p. 230. & 231, contendit? (4) Alii v. conciliaturi suprà dictos Interpretes, (ut *Ludovicus de Dieu* in *animadv. ad V. T.* p. 474, cui prævit *Zwinglius* h. l. לא pro הלא *annon* accipiunt & *interrogativè* interpretantur, in forma retinentes לא כתיב *negans*; in sensu v. defendentes לו קרי affirmans h. m. *multiplicasti gentem, annon amplificasses gaudium?* ita ut responsum seqvatur in verbis: *gavisi sunt coram eo secundum lætitiam in messe*. Qvamvis a. hæc sententia proximè accedat vel æqvipolleat affirmationi: qvid enim aliud est dicere, *annon amplificasses gaudium*, qvàm: *omnino amplificasti*; eidem tamen omnium locorum similium à Masoretis annotatorum expositio & accentuationes ratio, de qva inferiùs, repugnat.

§. 3. Ex his v. sententiis variantibus nos *secundam* probamus, quæ לו קרי s. marginalem lectionem לא כתיב s. scripto textuali præfert, adeoq; *orationem* hic *affirmativam* esse censet. Lectionem v. marginalem esse commodiorem evincunt (1) sensus ipse sic satis commodus: *multiplicasti gentem* (sc. ad lucem Evangelii ex Jhudæis & Gentilibus conversam) *& illi ipsi amplificasti gaudium*. (2) verba immediatè subjecta & versus subseqventes; alioqvi enim primum hoc membrum (*non magnificasti gaudium*) videretur tollere posterius (*lætabuntur coram te &c.*) Et qvomodo negetur amplificatio gaudii de iis, qvi statim in seqq. dicuntur *lætati coram Domino secundum lætitiam* messis. (3) *Similia variatæ lectionis* לא & לו *exempla*, in qvibus certè ex usu linguæ permutatio literarum א & ו observatur & לא exponitur affirmativè per לו. Hujusmodi v. loca

ea dantur 15. ex qvibus in Isaia nostro adhuc duo extant paulò antè §. 2. n. 3. citata. Sic Ps. 100. 3. *ipse nos fecit* ולא אנחנו *& EJUS nos (sumus)* Job. 13. 15. הן יקטלני לא איחל *etiamsi occiderit me, in IPSO sperabo.* Qvamvis a. Lutherus utrobiqve לא (non attento קרי) secundum כתיב reddiderit *negativè*: und nicht wir selbst. Siehe er wird mich doch erwürgen/und ich kans nicht erwarten; contextus tamen & constantia Jobi tantopere laudata Jac. 5. 11. Job. 42. 7. 8. 9. affirmativæ lectioni לו favere deprehenduntur. Conf. *D. Wasm. l. c. p. 231. & in addendis ad p. 230.* (4) hanc sententiam comprobare videtur *Accentuatio.* Ita n. *B. Varenius* in Comment. h. l. p. 204. *Pro* קרי *s. lecto pronunciat accentuatio Tipcha: cum aliàs adverbium negandi cum verbo nectatur accentu.* Clariùs *D. Wasmutus* l. c. p. 228. *manifestò*, inqvit, *omnibus Interpretibus negativè & interrogativè hunc locum reddentibus obstat accentus distinctivus Tipcha in voculâ* לא, *qvi evincit, eam hic neutiqvam explicari posse per NON vel ANNON; siqvidem in ea significatione necessariò requisivisset accentum conjunctivum.* De לא pro הלא conf. Job. 2. 10. Idem in Instit. Accent. Reg. 2. Annot. 4. p. 56. docet, *qvod* לא *qvando est Adverbium negandi, perpetuo per accentũ servum sequenti verbo, conjungatur.* Et hæc qvidem *ratio* ab *accentuatione* petita in hoc & qvibusdam aliis variatæ lectionis locis procedit: Sic 2. Reg. 8. 10. Qvid v. de aliis fiet locis, in qvibus illud לא, juxta lectionem marginalem affirmativè per לו exponendum, non habet distinctivum *Tipcha* vel similem, sed conjunctivum *Munach* vel *Merca*, nempe Ps. 100. 3. 5. Isai. 49. 6. c. 63. 9. 2. Sam. 16. 18. &c. Nimirum colligimus hinc qvod, licet לא, cum est Adverbiũ, semper habeat accentum conjunctivum, juxta regulam paulò antè laudatam; non tamen idem לא, qvando conjunctivum habet accentum, semper sit negandi Adverbium: aliàs enim loca similia jam jam citata, in qvibus לא habet accentum conjunctivum, non juxta קרי affirmativè per לו reddi possent; sed negative per *non* reddenda necessariò essent,

RESPONDENTIS תוספות
de
NATIVITATE CHRISTI.

1. *Subjectum Qvod natum non est nudus homo, sed Deus-Homo.*
2. *Subjectum ex Qvo totale est Maria semper Virgo, in qva & ex qva Christus antea per ἐπέλευσιν Spiritus S. conceptus erat: unde & verus ac naturalis homo est; partiale uterus matris.*
3. *An vero Maria clauso Virginali claustro, an eodem rupto pepererit disceptatur. Nos eorum sententiæ, qvi posterius affirmant, & prius negant, favemus. Hoc ipso tamen neq; Virginitatem Matris in dubium vocamq, neq; miraculosam nativitatem negamus.*

Ad
Eximiè doctum
DN. JOACH. DAV. MüLLERUM, *Perleb.*
Post privata ingenii, industriæ & eruditionis specimina,
In altero Collegio nostro Theologico disputatorio
Super Theologiam Köningianam edita,
Jam in Collegio publico Exegetico-Isaiano
De
MAGNO LUMINE & GAUDIO &c.
Ex Isai. 9. v. 1. 2. 3.
In ipso recentis anni auspicio Responsurum.

MUSARUM † DECUS es, quod & ILLI jugiter AUDIS,
Cui vigor ingenii cognitus ille Tui.
Gratulor hanc laudem! Sed jam, rogo publica scandens
Pulpita fac, omnes Te DECUS esse canant.
Gaudia qvæ tractas & *Magnum Lumen*, AMICE,
Illustrent mentem, *gaudia magna ferat*,
Atqve *novum* Tibi, qvo primus sacra pulpita scandis,
Annum fortunet propositumq; beet!

† *Joachimus David Mullerus*
Anagr. asp. exsp.
Musarum Decus illi audio,

LMq;
A. D. HABICHORST, D.

DUm Tibi materies est magnum lumen, Jesus
Nate conveniens temporis usus habet!
Gaudia planè imis animi concepta medullis,
Tu facis ut resonēt publica rostra Scholæ.
Pectoris egregii fervorem fausta secundent,
Omnia fausta volo; cùm novus annus adest.

Doctissimo Dno. Respondenti, Amico perdilecto
Lmq; scrib.
M. GOTOFREDUS Weiß/
Gr. L. P. P. Facult. suæ h. t. Decanus,
& ad S. Nicolai Ecclesiastes.

SIc, MÖLLERE, novo nova cœpta parabis in anno?
Et DOMINO strenam nunc dabis atq; bonis?
Gratulor egregiam promisso carmine mentem,
Quam novus insigni laude sequatur honos.
Accendens lumen magno de lumine magnum
Tute loco strenæ lumen & ipse feras!
Præsidis haud tantùm multo splendore coruscans
Ast etiam splendens luce subinde tuâ,
Sic tenebras Verbi præclarâ luce fugabis,
Tempore sic fies lumen & ipse suo!

M. JOHANNES MAURICIUS POLTZIUS,
ad S. Johannis Ecclesiastes.

DJe Kälte nimt fast zu/ die Sonne giebet Strahlen:
Wer will den großen Fleiß der Musen Söhn' abmahlen?
Und Er/ Herr Müller/ hat zur Tugend seine Lust:
Drüm Er der Heiden Licht und Freud' uns macht bewust.

M. ERICUS HORNINGIUS, Prust.

GAudia dum celebras & *magnum lumen* honoras,
Illustras nomen, *gaudia* multa meres

Suavissimo Conterraneo & Contubernali suo
THOMAS Sommerfeld Neo-Rupp. March.

(o)

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANDUM
DUODECIMA
De

ADMIRABILI PUERO NOBIS NATO,

Ex ISA. IX. 5.

Quam

Auspice DEO-Homine, *Pl. Reverenda FCtate THEOL. consentiente,*
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,
S. TH. D. EJUSDEMq; PROF. PUBL. ORD. & CONSIST. DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,

In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,
Ad d. XXV. Febr. 1688. hor. pom.
publicæ collationi Academicæ sistit

CHRISTIANUS BESENIUS,
Kirizensis Marchicus.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0171
DFG

Plurimum Reverendo nec non Doctissimo

DOMINO DN. JOHANNI GEORGIO BESENIO,

Pastori Sacrobustensi & Techoviensi in Marchia Brandeb. dignissimo, meritissimoqve,

Parenti meo summi honoris & amoris cultu perpetuò colendo,

IN

Gratissimi animi & observantiæ filialis debitæ
τεκμήριον

Hanc Dissertationem Exegetico Theologicam cum voto sanctissimi æterniq; in PUERO NOBIS NATO *gaudii,*

Obsequiosissimè

D. D. D.

CHRISTIANUS BESENIUS.

LOCUS II. ISAI. IX. 5.

Disp. XII.

De Puero nobis nato Deo-Homine.

DE Puero nobis nato, post festum nativitatis ejus ex sequenti Prophetæ Loco, ceteroqvi satis qvidem noto, sed ulteriori tamen tractatione dignissimo, nonnulla commentaturis, tria præcipuè occurrunt paucis evolvenda, sc. Loci *Sensus, usus, & abusus*. Qvoad *Sensum* rectiùs indagandum duo præcipuè veniunt disqvirenda, 1. *Subjectum* vaticinii s. *Qvis* natus? 2. *Adjunctum* tam *principatus* nati, qvã *nomenclaturæ* ejus. *Subjectum s. qvis* ille sit *puer nobis natus*, valde disputatur. Certè enim si de illo Rabbini interrogantur, omnes conspirant unoqve ore calamoq; respondent, esse *Chiskiam* Jhudææ Regem. Ast v. somnium illud ipse Propheta refutat, dum puero huic magnifica planè imò & divina tribuit nomina: Deus fortis &c. non nisi de Messia jure intelligenda. Contrà v. ne fortè nominalibus his characteribus convincantur Ihudæi, illorum plurimos Deo denominatori, ultimum v. qvo dicitur שר־שלום tantùm puero hic denominando major Rabbinorum pars assignat, adeoqve solum hunc ultimum esse accusativi casus, præcedentes verò omnes esse casus Nominativi censent. Qvidam omnia referunt ad denominandum. Alii v. nominum horum eminentiam penitiùs inspicientes, cum R. *Abarbenele* dubio incedunt pede nec audent decidere, an tituli hi Deo denominatori, an verò puero *Chiskiæ* denominando sint tribuendi? Ceterùm de nominibus his non denominatori sed denominando, non Chiskiæ sed Messiæ convenientibus agetur inferiùs, ubi circa *adjunctum nomenclaturæ* Jhudæorum nugæ refellentur.

§. 2. A Jhudæorum tamen partibus stare deprehenduntur Jhudaizantes qvidam, qvorum antesignanus facilè *Grotius*, uti hactenus observatum. Ipse enim vaticinium de

Ezechiâ qvoq; ſ. *Chiskia, Patri Achaſo multùm diſſimili*, ceu loqvitur, juxta literalem ſenſum interpretatur. Licet enim ſubjungat, *ſic per puerum hunc intelligi Chiskiam, ut multò excellentiùs hæc ad Meſſiam pertinere non Chriſtiani tantùm ſed & Chaldæus h. l. agnoſcant*; non tamen vel ἐπάκρισιν ſuam addit, vel calculo ſuo illam Chriſtianorum & Chaldæi expoſitionem probat. Et ſi vel maximè *ſenſu myſtico* locum de Chriſto ſe intelligere dixerit, qvem *literali ſenſu* de Chiskia intelligendum ſtatuit; non tamen ipſi vel ullus Chriſtianorum vel Paraphraſta Chaldæus ſuffragatur. Non enim illi tantùm ſed & hic vaticinium de Meſſia tantùm, non de Chiskia ſimul, exponere amant. Neqve geminus ille ſenſus conſiſtere poteſt: Neq; poſſunt verba vaticinii de Chiskia exponi, neq; ullum de iſto verbum in præcedentibus huc usq́; ab Iſaia eſt prolatum. Egit enim hactenus Propheta de *lumine magno*, *Napbthalitis* & *Zebulonitis*, in tenebris ambulantibus, exorituro v. 1. qvod non niſi de Chriſto intelligendum eſſe Diſputatione præced. docuimus & ex Matth. 4. 14. 15. 16. probavimus: Egit qvoq; de *gaudio coram Domino*, v. 2. qvod non niſi ſpirituale converſorũ fidelium in Meſſia gaudiũ eſt: Egit item de *liberatione à ſpirituali jugo* v. 3. qvæ non Chiskiæ ſed Meſſiæ beneficio tribuenda erit: Egit deniqve de *conatu hoſtium irrito victoriaq́; ſpirituali pacifica* v. 4. qvæ non niſi tempore Meſſiæ futura erat. Hoc igitur loco (ſeqv. ſc. verſu 5.) ipſe Autor *lucis* hujus *magnæ* & multi *gaudii* & *liberationis* magnificæ & *victoriæ* pacificæ præclarè deſcribitur ejusqve nativitas promittitur his verbis: כי ילד. ילד לנו h. e. *qvia puer nobis natus* &c. qvæ adeò cum hiſce argumentis ab antecedentium συνεχείᾳ deſumtis ſuaqve luce radiantibus, mediante particula cauſali כי *qvia*, connectuntur. Scilicet redditur cauſa, cur *lux* orta eſt *populo in tenebris*, cur *gaudium* coram Domino *multiplicatum*, cur jugum

tyran-

tyranni excussum. &c. sc. qvia *filius virginis natus est*. Qvid? qvod denuo Propheta tam illustri hoc vaticinio fidelibus signum suprà c. 7. 14. promissum confirmare, pleniusqve illos, qvid de IMMANUELE *Virginis filio* credituri essent, informare voluisse vero simile est.

§. 3. Neqve v. *catena* modò *præcedentium*, sed & ipsa loci hujus *contenta* plurimos nobis pro Messia contra Chiskiam characteres subministrant. Non tamen magnoperè hic priora loci verba s. *duplicationem enunciati* urgemus: *puer natus est nobis, filius datus est nobis*, qvibus utiqve subjectum vaticinii simul *puer* ac *filius* eo fine, juxta veterum observationem, describitur, ut voce *pueri* humana ejus natura, voce a. *filii* divina designetur: siqvidem *puer* hic ex Virgine natus juxta Prophetam est *Immanuel*. h. e. *Deus nobiscum*, & interprete Angelo Luc. 1. 32. 35. verè est *Dei filius*. Ideoqve ponendus jam est *filius* aliqvis propriè dictus, verè existens, verè filius anteqvam ילד ילד h. e. *puer natus est*, cujus mysterii resolutio clarior ad N. spectat Testamentum. Nam in V. qvoqve T. res nota & celebris erat (qvicqvid Syncretistæ cum hodierna Jhudæorum fece ogganniant) Messiam fore DEI filium: alias certè Propheta illum neptè hic filium simpliciter vocasset. Sed præprimis h. *characteres* urgemus *nominales* s. *nomina*, qvibus hic puer in aureolo hoc insignitur: hæc enim tanta sunt (uti loqvitur *B. Calovius* in *illustr. Bibl.* h. l. p. 63. ut neutiqvam ulli Regum mortalium conveniant, neq; ad Chiskiam nisi per insignem στρεβλότητα transferri possint. Imò transcendentalia sunt & ad thronum divinæ majestatis ascendentia, uti B. *Varenius* Comment. in Isai. h. l. p. 225. censuit, ipsiq; agnoverunt Rabbini veteres inferiùs laudandi. Unde & tandem divinæ hujus veritatis radii adeo perstrinxerunt oculos non tantùm *Grotii* Jhudaizantis, sed ipsorum qvoqve Jhudæorum, ceteroqvi in Chiskiam hæc suo convenire modo

ſtatuentium, ut ille conſteatur: *in Chriſto & hæc & qvæ præcedunt habent ſignificationem multò ut auguſtiorum ita & planiorem*; hi v. negare non poſſint, Prophetam hîc principaliter ad promiſſum Iſraëlis Meſſiam reſpexiſſe. Sed audiamus ex multis *Abarbenelem*. Hic certè locum de Chiskia qvidem expoſuerat, ac ſi ipſe hic deſcriberetur tanqvam בעל שמונה שמות h.e. *Dominus octo nominum*; at v. paulò pòſt ita concludit: *in Chiskia non adimplentur perfectiones illæ*, (nempe nominibus his deſignatæ) *ſed illa omnia in futuro tempore in Rege Meſſia, filio Davidis fuerunt adimplendæ*.

§. 4. Eodem qvoq; collimant *ſubſeqventia*, qvæ certè talem hic puerum & principem & principatum notant, qvi eſt cum *pace infinita* & ipſe adeo *infinitus*: vel, quæ Angelo interprete Luc. 1. 32 33. pueri hujus *æternum in throno Davidis principatum & pacem infinitam* deſcribunt, planumqve adeoqve faciunt, non Chiskiam illum eſſe puerum ſed Meſſiam. Angelum v. ad hoc vaticinium reſpexiſſe illudq; de Chriſto eam in ſententiam expoſuiſſe, ut Chiskiæ illud convenire non poſſit, ipſe agnovit diſſentiens *Grotius* ad Matth. 22. 42. ubi fatetur, *à Jhudæis ex hoc Jſaiæ 9. vaticinio agnitum eſſe, Chriſtum fore Davidis filium eodemq; tanqvam apertiſſimo uſum ad Mariam eſſe Angelum Gabrielem Luc. 1.* Si. e. *apertiſſimum* hoc eſt de Chriſto vaticinium, cur illud literali ſenſu non de Meſſia ſed Chiskia fuerit intelligendum?

§. 5. Accedunt deniqve *judicia* veterum tam *Jhudæorum* qvàm *Chriſtianorum*. Sicut enim *veteres Jhudæi* cum Paraphraſta *Jonathane*, cujus autoritas ap. Ihudæos magna eſt, de Rege Meſſia locum hunc exponunt, qvorum verba videantur citata ap. *Galatinum* de A.C.V. l. 3. c. 19. ap. *B. Varen.* in Comm. ſuper Iſa. h.l. p. 224. ap. B. *Scherzerum* Diſp. ſuper h.l. p. 8. ita & *Chriſtiani* Interpretes tam *veteres* ap. *B. Calov.* in Bibl. illuſtr. p. 64.

p.64 &ap. *B. Schertz.* l.c. laudati, qvàm recentiores in interpretatione loci de Christo conspirant. Neq; *Sociniani*, hostes ceteroqui DEitatis Christi, nobis hîc refragantur.

§. 6. *Subjecto* igitur vaticinii sic satis jam elucescente, *Adjunctum* quoque cùm *Principatus* tum *Nomenclaturæ* pueri nobis nati videndum sese offert. Notamus primò *singularitatem principatus* על שכמו Qvomodo enim משרה cum שכם, *principatus* cum *bajulatione super humeris* conveniat, disqviritur. Non placet R. *Abarbenelis* sententia, dicentis hîc notari מלכות בלי השתעבדות i. e. *regnum sine servili obligatione.* Nam 1. principatus Messiæ non debuit esse sine servili obligatione vel sine servi forma, quippe qui Isai. 43. 23. notanter clamitat: *revera servire me fecisti propter peccata tua.* Conf. Isa. 53. per totum. 2. Falsum quoqve Chiskiæ regnum sine ulla fuisse servili obligatione. Serviit certè Sennacheribo Regi Assyrio aliqvantisper. Conf. 2. Reg. 18. 7. 14. 15. 16. Deinde nec arridet jejuna admodum *Grotii* sententia, *principatum* hunc ita exponentis: *Erit ille* προφυρογέννητος: *ab ipsis cunis purpuram feret regiam, ut in regnum natus. Ezech. 28. 13.* Annon enim omnibus Ihudæ Regibus inde à Davide id commune fuit, qvi omnes hæreditarii Reges fuerunt? Nihil ergo singulare hic Chiskias præ aliis haberet. Rectiùs verò, si phrasis hæc eum statuatur signare, qvi principatum ab ipsis gessit cunis, puero Messiæ conveniret, idq; vi originis suæ, propter hypostaticam divinæ naturæ cum humana unionem: nam puer hic *Deus est fortis & Pater æternitatis* adeoqve humeros habebat oneri ferendo pares. Conf. Calov. Bibl. ill. h.l. p. 64. Dicitur a. *principatus* hic *super humerum* vel (1) *ad distinctionem* aliorum Principum, qvi maximam regiminis partem officialium suorum humeris imponunt: Christus n. talis est Rex, qvi solus populum suum adversus Satanam defendit &c. vel (2) ad *crucem Christi* respicitur, qvam humeris bajulavit, qvæq; insigne principa-

tus ejus erat. Neq; n. principatus Christi operosior fuit, qvàm spinea sub corona & qvando totus ipse cruentus crucisq; bajulus suæ portâ exiret; per crucem n. & hostes superavit & suos redemit ejusq; virtute suos gubernat & conservat. Adeoq; verè est נשיא, qvomodo *dux* s. *princeps* ap. Ebræos dicitur, à R. נשא *tulit* h.e. bajulus sui populi, currus atq; auriga; vel (3) *respectu nostri*: Super humeros n. nostros erat סבול & שכמם משה i.e. *servitutis jugum & virga humeri*, conf. præced. v. 4. h.e. omnes eramus æternæ servitutis damnates; hic v. puer nobis natus non sic; sed principatus super humerum ejus. Serviit qvidem nobis, non tamen ex natura culpave sua; sed ex vicariatus gratia. Plures de hoc principatu sententiæ videantur ap. Interpretes. Qværitur v. qvænam genuina? Respondet B. Calovius l. c. p. 65. *Possunt hæ conjungi sententiæ, qvia subordinatæ sunt, & ad regnum Christi omnes faciunt.* Sed plo qvàm cogitabamus de principatu.

§. 7. Supereſt *Nomenclatura*, de qva, non qvantum meretur, sed qvantum pagellæ patiuntur. Qværitur a. (1.) qvis *Nomenclator*, qvi denominavit puerum nobis natum, & an nomina priora פלא יועץ אל גבור אבי־עד sint nomenclatoris, ultimum v. שר־שלום pueri nati denominandi, an v. omnia sint pueri jam dicti? (2) an phrasi ויקרא שמו notetur *vera & formalis nomenclatura*; an v. *magnifica nominis & principatus ejus proclamatio?* (3) an nomina pueri sint octo, an v. 5. an 6. an qvatuor? (4) an nomina sint soli Deo appropriata, nulliq; mero homini, adeoq; nec Chiskiæ sed Messiæ competentia? Qvod (1) attinet sc. *Nomenclatorem* &c., Jhudæi qvidem statuunt, illum esse DEum, qvem adeo nominibus, qvæ immediatè post verba ויקרא שמו leguntur, designari putant, hoc sensu: *ille qvi est admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, vocabit nomen ejus* (pueri) *princeps pacis*: Jhudæis adstipulantur eatenus *Sociniani*, ut argumentum divinitatis

tatis Christi ex h. l. petitum elidant. vid. *Socin. contra Bellarm. & Wiekum c. 6. class. 4. argumentorum.* Verùm huic depravationi, qvæ studio spoliandi Messiam divinitate efficta est, obstat Regula: *omnis positus* קרא שם *s.* קרא *concretus cum objecto s. principali s. per affixum repræsentato* (uti hic in שמו) *nomenclaturam infert veram & formalem, ita ut qvicqvid sequitur nominum sit illius qvi denominatur, non v. illius qvi denominat. Conf. B. Varen. l. c. p. 215. & 229.* Qvàm certè regulam *inductio exemplorum Biblicorum* confirmat, in qvibus nomen vel nomina phrasi ויקרא שמו (sive verbum קרא activè s. passivè adhibeatur) post. posita non sunt denominantis (nisi accentuatio aliud suadeat, ut Jud. 6. 24. conf. Disp. nostr. de *Altari Gideonis*) sed denominati. Sic Gen. 4. 25. c. 5. 2. 3. c. 25. 25. & 29. c. 38. 30. & alibi. Ita & h. l. nomenclatura sanè complexa non est nominantis sed nominati, ejus sc. qvi est ילד (2) obstat *Accentuatio nominum*, quæ non patitur penultimum nomen אבי—עד ab ultimo שר—שלום separari: si enim ultimum (*princeps pacis*) tantùm esset nomen pueri, præcedens v. (*Deus fortis*) nomen nomenclatoris Dei, certè major distinctio in penultimo, *Pater ætern.* (qva majori distinctione denominantis nomina disjungerentur à nomine pueri denominandi) qvàm in præced. antepenultimo (*Deus fortis*) fuisset reqvisita. Jam v. cum major sit Accentus in præced. penultimo (Deus fortis) lc. Sakephkaton, qvàm in ultimo (pater æternitatis) certè nomen seqvens (princeps pacis) à præcedente (pater ætern.) non est divellendum, adeoqve si qvintum nomen (*princeps pacis*) juxta Jhudæos spectat ad Messiam, E. & quartum (*pater ætern.*) juxta accentuationem ad eandem est referendum. Et si qvartum, qvare non etiam 1, 2. & 3.? Obstat (3). *tum multitudo tum series nominum*: qvid enim opus fuisset, Deum tot epithetis insigniri, si id tantùm Prophetæ voluisset, nomen à Deo fuisse Messiæ impo-

impositum? Neqve conveniens fuisset *series*: non n. nomen DEI inter nomina medium, sed primum potius locum obtinere debuisset, h.m. & *vocabit eum Deus fortis admirabilis, consiliarius, pater æternitatis.* Accedit (4) *Ebraismus* in phrasi ויקרא שמי latens & in scripturis freqvens, qvo verba activa tertiæ personæ tam præsentis qvàm futuri (præprimis verbum קרא) cum fine nomine præcedaneo subjectum exprimente adhibentur, impersonaliter accipiuntur, vel nominativo *qvis &c. hic* vel *ille* vel *participium* subintelligitur: cujus exempla hactenus non pauca in hoc ipso Propheta observavimus. Sic præced. v. 2. hujus cap. dicitur כאשר יגילו wie man sich freuet. Vid. *Glass. Phil. Sacr.* l. 1. Tr. 1. p. 102. ita & h. l. impersonaliter verba sine mentione nomenclatoris sunt reddenda: und man wird ihn nennen. vel man hat ihn genant. Fallax igitur divisio est, qvæ *Admirabilem, Consiliarium, Deum fortem, Patrem æternitatis* divellit à *Principe pacis*, ita ut alius sit *Pater æternus*, alius verò *princeps pacis*, ille nomenclator, hic denominandus. Nec obstat, nomina hæc Christo in tempore non fuisse attributa. Id enim nostram non infringit sententiam: Nam & Chiskias iisdem non fuit nominatus. Neq; *nomina* hæc *meræ* sunt *impositionis*, sed *officii* & *naturæ* Siquidem Isaias non tam voluit indigitare, qvomodo Christus esset nominandus, qvàm qvalis is qvoad personam & officium esset futurus: Nec enim scripturæ insolens est, ponere verbum קרא *vocare* pro *esse*. Conf. supr. Disp. ad locum Isai. 7.14 §. 4. fin.

§. 8. Viderunt illam *divisionis fallaciam* non omnino nulli Jhudæorum Magistri: observarunt qvoqve, in alterius Sociorum partis sententia grande absurdum esse, nomina hæc tam eminentia ad Chiskiam applicare. Igitur aliam sed pessimam interpretationem phraseos hujus ויקרא שמו excogitarunt, negantes hic *veram & formalem dari nomenclaturam* pueri

pueri nati, adeoqve nullum hic esse nomen nati; & contrà *magnificam nominis & principatus ejus proclamationem* fingentes, h. l. *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, pater æternitatis, princeps pacis* יקרא *magnificabit* (i. e. *magnifice proclamabit*) *nomen illio, illius sc. qvi multiplicabit principatum & cujus pacis haut erit finis.* Qværitur ergo, jam (1) qvid statuendum de isthac sententiæ prioris correctione sc. *proclamatione nominis?* Resp. Eandem certè *regulâ & exemplorum inductione* præced. §. 7. n. 1. citatâ retundi. Scilicet *omnis positus* קרא שם i. *concretus cum objecto s. principali s. per affixum repræsentato* (uti hic in שמו) *nomenclaturam infert veram & formalem &c.* Exempla vide suprà & adde Gen. 11. 9. c. 16. 14. c. 21. 31. Exod. 15. 23. Jos. 7. 26. &c. Frustra objicitur locus Ruth. 4. 11. וקרא שמם בבית לחם Non enim apparet ibi positus nomenclaturæ concretus nec qvicqvã nominis imponendi seqvitur: qvin aliud est *fama nominis* quæ l. c. vovetur, dicendo: *& vocator* (*proclametur*) *nomen in Bethlechem;* aliud *formalis nomenclatura,* qvæ h. l. infertur, qvalis ibid. v. 17. c. 4. *Ruthæ* conferenda est.

§. 9. Evicta igitur nomenclaturâ formali, jam (2) qværitur de *numero* nominum Messiæ, an octo hic dentur, an qvinqve, an v. sex, an tantùm qvatuor? Certè à Talmudistis numerantur octo, qvos & alii seqvuntur, præprimis Abarbenel, à qvo propterea Chiskias suprà dicebatur *Dominus octo nominum.* Juxta hos igitur nomen 1. est פלא, 2. יועץ, 3. אל 4. גבור 5. אבי, 6. שר, 7. שר 8. שלום *pax.* *Hieronymus* aliiq; interpretes numerant *sex: mirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater æternus, princeps pacis.* Similiter & *Lutherus* sex numerare vîdetur, dum אל גבור reddit Krafft/Held. Grotius v. tantùm 3. vel *qvatuor* recenset, dum secundum & tertium *consiliarius, Deus fortis,* in unum contrahit vertens: *consultator DEI fortis.* LXX. Interpretes majestate nominum perterritos credit Hie-

ronymus, cum non auderent de puero hoc dicere, quod Deus apertè sit appellatus, adeoq; pro sex illis nominibus ponerent *hoc: magni consilii angelus* &c. Contrà v. nos Ebræum sequentes fontem, *quinq;* nomina Messiæ hic meritò numeramus, ceu ex dicendis constabit. Quod v. (1) *octonarium Talmudico-Rabbinicum* attinet, obstat illi non tantū in nomine tertio אל גבור nexus *Munachatus*, sed & vel maximè in duobus ultimis שר־שלום & אבי־עד nexus *Maccaphatus*, ut adeo minimè ex *tribus* his nominibus ita compositis & copulatis *sex* facere & arctissimè connexa divellere reliceat. Non ergo solum illud *Deus*, nec *fortis*, sed totum illud אל גבור est nomen unum & ordine tertium, qvomodo & alibi in nominibus אל קנא & קריה ארבע & מריב בעל & similibus accentus conjunctivus *Munach* vel *Merca* duas voces ad unum nomen compositū nectit. Conf. Disp. noſtr. de *Alt. Gideon.* Sect. 2. m. 1. §. 5. Neqve solum illud אבי neqve solum עד; sed totum illud complexum אבי־עד est nomen perfectum & ordine qvartū, qvomodo & passim in nominibus compositis lineola Maccaph duas voces ad unum nomen compositum connectere svevit, ut in מלכי־צדק &c. Similiter & voces שר־שלום per eandem lineolam maccaph ligatæ unum & qvidem qvintum pueri nomen constituunt. Dubii v. qvod h. l. circa accentuationem vocis אל in qvarto nomine moveri posset, ex Isai. 1, 1. ubi *Achas* & *Chiskias* & ex Dan. 1, 12. ubi *Daniel* & *Chaniah* (distincta adeo distinctarum personarum nomina) per eundem accentum copulantur, quo אל copulatum hîc est cum גבור, solutionē angustia pagellarum non permittit. Fusiùs de illo agit B. *Varen.* qvi conferri meretur l. c. p. 230. De cetero hic notandum, tot esse nomina pueri, qvot in sanctissimâ hac nomenclaturâ sunt accentus Regii, scil. qvinqve, ut adeo qvilibet accentus distinct vus sit nominis cujuslibet discretivus. In nomencla-

tura

tura enim regia Reges qvoq; dominari mirum haut esse debet. Ex his v. colligere est, qvid (2) de aliorum interpp. arithmetica, præprimis de *qvaternario Grotii numero* sit habendum, qvo nomina priora in unum h.m. conflavit: *admirabilis consultator Dei fortis*, i.e. qvi *in omnibus* (ceu ipse exponit) *negotiis consilia à Deo poscet, per Prophetas scilicet, ut jam sequetur.* Insignis sanè depravatio! Nam (1) hæc Ebræo יועץ non convenit: illud enim non consultatorem h.e. *precatorem consilii*, sed consiliarium h. e. illum qvi consilium dat vel consulit alicui designat. Si v. hic loci dandus est *Consiliarius Dei fortis*, certè is qvoad statum formalem se habebit, ut *Consiliarius Davidis* 2. Sam. 15. 12. adeoqve ex hypothesi Grotiana Chiskias consilia Deo forti suppeditavit; quod v. per loca Isai. 40. 13. & Rom. 11. 34. absurdum est. Conf. *Calov.* l.c. p. 66. (2) novam hanc depravationem *accentuatio Regia* paulò ante laudata refringit. Conf. *B. Varen.* l.c. p. 232. & seqq. ubi & dubium qvoddam de nominum horummet accentuatione solvit. Deniq; ad *Lutheri* versionem numerumqve *senarium* qvod attinet, illam *B. Varen.* excusat l.c. p. 230.

§. 10. Ostenso ita *numero* nominum *qvinario*, restat jam (4.) paucis notanda qvæstio, an *nomina hæc soli Deo sint appropriata &c.* Hanc Jhudæi & Grotius negāt, nos affirmamus. Grotius enim, ut Chiskiæ hæc nomina possit applicare, admodum jejunè illa exponit, ceu videre est ap. *Calov.* l.c. p. 63. 65. Ceterùm hæc nomina non homini nudo applicabilia, sed soli Deo adeoqve & Messiæ θεανθρώπῳ appropriata esse, paucis indicandum est: neq; enim jam nobis licet esse prolixioribus. (1) Nomen פלא s. *admirabilis* jam antè sibi proprium vendicavit Dei filius, angelus ille mediator Jud. 13. 18. 19. Imò & vox illa de admirabilibus planeq; stupendis usurpatur. Sic solus quoq; Deus dicitur עושה פלאות Exod. 15. 18. Ps. 77. 15. qvi imme-

immediatè hic etiam nominatur *Consiliarius* adeoqve idem est, qvi seq. c. 28. Isai. v. 29. vocatur פלא יועץ i. e. *mirificans consilio* h. e. ipse JHOVAH. (2) nomen qvoqve *Consiliarii* absolutè dicti & qvidem activi non passivi Deo soli competit, qvi *mirificans* est *consilio*, juxta l. c. Isai. 28. 29. qui *nullius indiget consilio* Isa. 40. 13. Rom. 11. 34. qviq; *consilio* gaudet *infrustrabili* Isai. 8. 10. imò absolutissimus atqve ita consiliarius est, ut ab utroqve latere characteres habeat verè divinos, cum *admirabilis sit Deusqve fortis &c.* De (3) nomine *Deus fortis* longè minus est dubium, siqvidem id seq. c. 10. 21. DEO tribuitur, imò & אל sive *absolutè s. cum addito* positum, in scripturis verum designat Deum. Sic *El eljon* Gen. 14. 29. *El schaddai* c. 17. 1. &c. Qvod v. B. Lutherus hîc Arianizare putatur, dum ferè solus vocem אל reddit Krafft / calumnia est *Parei*, *Corn. à Lapide* &c. Ipse n. Luth. Tom. Jen. Germ. f. 145. de ult. verb. Dav. se excusat ibiq; reddit Gott / Held. Similiter & qvartum *Pater æternitatis*, quintrumq; nomen, *princeps pacis*, omnium principum terrenorum coronas transcendit. Sed abrumpere jubemur. De his conf. *B. Varenius*, qvi fusiùs hæc nomina & hanc qvæstionem tractat l. c. p. 145. seqq.

§. 11. *Usus* loci hujus in Articulo de *Christi vera humanitate* & *divinitate*, item de *Deo incarnato*, valdè est conspicuus. Præprimis v. *æternam* ejus *Deitatem* probant nomina jam expositа soliqve Dei appropriata.

§. 12. *Abutuntur* h. l. Pontificii & *fontem Ebræum* esse *corruptum*, ex eodem probare nituntur, prætendentes puncta vocis ויקרא à Jhudæis esse depravata proq; passivo *& vocabitur*, (quod versiones habent) positum esse activum *& vocabit*, ne sc. nominibus his cogerentur fateri, Messiã esse Deum, legendo scil. passivè, *& vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis* &c. Nec Lutherus aliter qvondam censuit. Sed nullam esse necessitatem, ut fraudis hic postulemus Jhudæos, repetenti ea, qvæ superiùs §. 7. de *Ebraismo* in phrasi ויקרא שמו latente monuimus & Masorethas ad Gen. 35. 8. conferenti sic satis patebit.

Præstantissimo DN. BESENIO,
Domestico meo solertissimo,
In Collegio Isaiano-Exegetico
DE
PUERO NOBIS NATO
Ex Isa. IX. 5.
Publicitus RESPONSURO FELICETER!

COrpore parvus adhuc, sed magnus mente cathedram
Scandis, & hinc SENIBUS CHARUS, (ut opto) NITES.*

* *Anag. CHRISTIANUS BESENIUS.*

LMq;
Inter occup.
A. D. HABICHHORST. D.

DAß ihr / Geliebter Freund / frühzeitig jetz besteiget
Die Pindus Spitzen hier und von denselben zeiget
Wer dz gebohrne Kind u. der gegebne Sohn /
Wie dessen Nahmen hoch uñ zeigen Gottes Thron /
Ist Lobens werth. Fahrt fort / ihr werdet schon erfahren
Für Fleiß den Preiß / wenn ihr nicht werdet Mühe sparen;
Ich sehe wie Euch schier bereitet sey der Lohn.
Ju dessen stehʼ euch bey der uns gegebne Sohn.

M. CAROLUS CZERLINSKI, *Dantisc.*

SIc illud:
Sat citò, si sat benè,
Dulcis Amice, Tibi Sat non est.
Incipis nempè mature,
Ut cito maturus fias,
putasqve
Sat bene esse, si sat cito sit:
Hinc maturè maturas,
& feres fructus,
nteqvam maturitatem, hoc est, annos debitos,
In qvibus maturus esse deberes,
Consecutus es.
Hem! bona & matura spes Patriæ
Urit scilicet maturè, qvod vult utrica manere.
& incipit sat benè,
Qvi maturè incipit,
Ut cito maturus esse qveat.
Et sicuti
Urticam Te fore tuum maturum urere testatur
Ita urendum tibi ulterius esse credito

Si

Si vis urticâ manere:
Sublatâ enim ustione, & urtica tollitur.
Amant alii illud:
Sat citò, si sat benè,
Et secretâ æstimatione pensitant,
Fruges etiam maturitatem statuto
tempore expectare
Tu invertis & iputas
Sat bene esse, si sat cito maturare incipias
Incipis igitur sine maturitate maturus
esse,

& ascendis Cathedram,
Anteqvam qvis Te ascensurum illam
putarat.
Eja! gratulor ascensioni,
& precor,
Ut descensio prospera fiat;
Ascensio est sat citò,
Modò descensio sat bene sit.
Nunc itaq; matura:
Nam qvò maturius incipis
Eò citiùs maturus eris.

FRIDERICUS PAMPIUS, S. S. Th. St.

WEr in der Jugend Blüht den Künsten sich ergiebet
Und die mit Gottes Furcht und allem fleiß aus übet/
Dem ist der Himmel hold/ er lencket seinen Sinn
Von dieser Nichtigkeit/ zur vollen Weißheit hin.
Diß mercket man an dir/ mein Freund/ der du erkohren
Zur Disputation das Kind/ daß uns zum heil gebohren/
Vom Vater vorgezeugt von aller Ewigkeit/
Dem Menschlichen Geschlecht geschencket in der Zeit.
Du Davids Sohn ach gib auch deines Geistes Gaben
Vom Himmels Thron/ auff daß mein Freund ietzt möge haben
Glück/ Gnade/ Seegen/ Heil zu diesem seinen fleiß/
Das er gereiche wol zu deines Nahmens Preiß.

THOMAS Sommerfeld Neo. Rupp:
Marchicus S. Th. Stud.

BEseni CANIS † aliqvando TUIS ad honores
EXaltatus ERIS NUBES, mihi crede, serena
Si proporro tuis studiis sic tempora dedas,
Educat & doctum te fons Israelis alumnum.
Nunc qvem proponis, *Puer admirabilis* audit
Ingenio, factis: simul *& Pater & Puer ille.*
Unqvam præceptum est rogo mirabilius nllum?
Sit præsto tibi jam *Puer admirabilis* opto

†CHRISTIANUS BESENIUS
Anagr: asp: exspir.
TUIS CANIS ERIS NUBES

Hæc Conterraneo suo suavissimo
gratulab. fecit
JOACHIMUS DAVID MULLER
Perlebergâ Marchicus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0186
DFG

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
DECIMA TERTIA
De
NOMENCLATURA MESSIÆ DIVINA,
Ex ISAI. IX. 5.

Quam
AUSPICE DEO-HOMINE, Pl. Rev. FCte THEOL. consentiente,
PRÆSIDE
ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,
S. TH. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.
EJUSDEMq; FACULT. n. t. DECANO, & CONSIST. DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberrimæ Univers. Roſtoch. Aud. Majori,
Ad d. 29. Auguſt. 1688. hor. mat.
publicè ventilandam proponit
JOH. ERNESTUS CHRYSANDER,
Hertzberg. Saxo.

ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0187
DFG

CONTINUATIO INCOMPARABILIS AUREOLI
Disp. XIII.

ISAI. IX. 5.

DIVINAM MESSIÆ NOMENCLATURAM *pleniùs expendens.*

REvocat nos *Puer nobis natus* nominum planè divinorum ſplendore ſic ſatis illectos. Cum enim tangere illummet nuper nobis ſpatio excluſis vix liceret, filum certè tunc abruptum jam reaſſumere pertexendum, priusqvam aliud ordiamur, adlubeſcit. Qvæſtio erat, an *nomina pueri* in aureolo hoc Prophetico ſint *ſoli DEO appropriata? Jhudæi* & *Grotius* negabant; nos verò affirmabamus. Grotius enim Jhudaizans (ut Jhudæos jam tranſeamus) nomina hæc nudo homini & qvidem Chiskiæ applicaturus, ita exponit: 1. *Admirabilis* ſc. ob ſummas, qvæ in Chiskia erant, virtutes. 2. *Conſultator DEI fortis*, i. e. qvi in omnibus negotiis conſilia â DEO poſcit per Prophetas. 3. *Pater ſeculi futuri* i. e. qvi multos poſt ſe relicturus ſit poſteros & in longum tempus. 4. *Princeps pacis* i. e. pacificus & in pace victurus. Jejunam verò planèq; deteſtandam hanc eſſe interpretationem oſtendendum paucis ſimulqve *divinitas nominum* horummet pluribus declaranda eſt.

§. 2. Annon enim, qvod 1. *Admirabilis* nomen attinet, alii qvoqve Reges virtutibus ſingulariter refulgebant? qvomodo igitur nomen Chiskiæ proprium fuerit? Rectiùs vero Meſſiæ id ipſum competit, qvi immediatè ſtatim hîc vocatur יועץ *Conſiliarius*, ut ſcilicet hoc ipſo puer ille vendicetur eſſe idem, qvi ſeqv. c. 28. Iſai. v. 29. appellatur מפליא עצה i. e. *mirificans conſilio*, ſc. *ipſummet Jhovah*; qvorſum & ſine dubio reſpexit *Targ. Jonathan*, dum eodem modo voces has Iſaianas יועץ פלא ſcil. per מפליא עצה expreſſit. Qvid? qvod idem nomen פלא jam antè ſibi Meſſias tribuit, nempe tem-

pore *Manoach* Judic. 13. 18. 19. ubi Messias, Angelus increatus & mediator (qvem LXX. hîc ap. Isaiam *Angelum magni Consilii* vocant, vel confundendo illud פלא cum מלאך, vel recogitando Angelum illum Jhovah Oratorem in historia Samsonis appellari פלאי) ita se vocat פלאי s. *admirabilem*, ut simul dicatur מפלא לעשות s. *mirificans operando* i. e. faciens supra captum humanum: Nullius enim creati nomen est ineffabile s. tale, qvod explicare & qværere non licet, uti Angeli istius nomen. Vindicias loci Jud. 13. de פלאי vide ap. *B. Varen.* in Comment. super Isai. h. l. Manet ergo Angelus ibi increatus & hîc Messias, qvi verè *admirabilis* ratione 1. *Personæ*, in qva magnum illud mysterium duarum est naturarum, divinæ & humanæ harumqve unionis personalis, 2. *Officii triplicis*, Prophetici, Sacerdotalis & Regii. 3. *Status duplicis*, Exinanitionis & exaltationis hujusqve *actuum*, nativitatis, passionis, mortis, descensus ad inferos, resurrectionis, adscensionis, in qvibus certè omnibus stupenda occurrunt miracula. Et qvid qvæso mirabilius esse potest, qvàm qvod Messias est puer & Consiliarius, puer & DEUS fortis, puer & Pater æternitatis?

§. 3. Similis imò & major est depravatio seqventium nominum (*Consiliarius*, *DEUS fortis*,) qvippe qvæ in unum sic conflavit Grotius: *Consultator DEI fortis*. Ceterùm hanc depravationem jam suprà discussimus §. 9. ubi de numero istorum nominum fuit actum. Hîc tamen adhuc addimus, Grotianam hanc depravationem superare Jhudaicam: agnoverunt enim Jhudæorum Magistri nominum horum distinctionem, agnoverunt ipsorum divinitatem, ideoqve ne vel Messiæ vel Chiskiæ tam augusta largirentur nomina, DEUM Patrem illismet describi, qvi puerum hunc nominaturus sit *Principem Pacis*, judicarunt. conf. Disp. præced. §. 7. n. 1.

Præ-

Præterea qvid hoc miri, consilia poscere à DEO per Prophetas, ceu Grotius nomina hæc (*Consultator DEI fortis*) interpretatur? annon hac ratione qvàm plurimi jure potiori in scripturis dicerentur Consiliarii? Neqve enim Chiskias in omnibus DEUM per Prophetas consuluisse legitur: An enim, cum Regios is thesauros Babylonicis ostentaret Legatis, DEUM consuluit? nonne propterea per Prophetas graviter est reprehensus & gravissimo in filiis supplicio affectus? Isai. 39. 5. seqq. Contrà vero Messiæ hic titulus *Consiliarii* tributus convenit cum loco Prov. 8. 14. ubi filius DEI de se ipso dicit לי עצה–ותושיה *meum est consilium & sapientia.* Rationes vero nominis *Consiliarii* passim ap. Commentatores legere licet. Falsas vero videas ap. *Oleastrum*, qvi Comment. in h. l. statuit, *Consiliarium dici Christum, qvia Consilia mundo dedit de paupertate, de castitate servanda & qvod omnia propter DEUM sint relinqvenda.* Qvod vero *divinitatem* nominum *consiliarii* & *DEI fortis* attinet, de illa jam superiori Disp. §. 10. n. 2. & 3. nonnihil dictum. Hîc autem præterea ad vocem אל, qvam omnes ferè vertunt *DEUS*, Lutherus vero **Krafft/** notamus, rectius illam reddi *DEUS*, qvàm *fortis* vel *fortitudo*: Qvò minùs enim per adjectivum *fortis* reddatur, obstat seqvens vox גבור *fortis*, cum qva אל per accentum conjunctivum connectitur. Uti ergo אל עליון rectè redditur *DEUS excelsus* Gen. 14. 18. 19. & אל רחום *DEUS misericors* Exod. 34. 6. & אל גדול *DEUS magnus*, Jer. 32. 18. ita & אל גבור *DEUS fortis.* Qvid? qvod hæc versio nostram de Messia *DEO-Homine* fidem clariùs confirmat: rectè enim hinc argumentamur: Puer Isaianus nobis natus Messias est *DEUS fortis*, ergo est verus & æternus DEUS, adeoqve θεάνθρωπος idemqve *Immanuel* Isaianus. Pro consequentia majoris conferantur loca Isai. 10. 21. Jer. 32. 18. Nehem. 9. 32.

Deut. 10. 17. ubi idem nomen אל *DEUS* cum eodem adjectivo גבור *fortis, verum æternumqve DEUM* designat.

§. 4. Ceterùm ad *versionem Lutheri*, vocem אל *abstractivè* per Krafft transferentis, superiori qvoqve Disp. §. 10. n. 3. monuimus, ut ipsius *Lutheri Tomus 8. Jenens. Germ. de ult. verb. Dav.* conferretur: ibi enim rationem versionis hujus reddit simulqve voces *El gibbor* per GOtt/ Held vertit. Unde calumniam suprà non immeritò diximus imputationem *Cornelii à Lapide* aliorumqve (sc. *Tanneri, Foreri, Velteri, Gretseri* &c.) qvâ Lutherus hîc Arianizare putatur: Ita enim *Cornelius* ille Comment. in h. l. post adductas alias etiam versiones, contra Lutherum concludit: *Qvocirca rectè noster Possevinus libro de Atheismis Hæreticorum c. 2. & 3. inter Arianismos & Atheismos Lutheri ponit & hunc, qvod h. l. parvulo Emanueli sustulerit nomen DEUS.* At enim verò dum Lutherus vocem אל abstractivè reddit per Krafft/ certè puero illi nato *fortitudinem* s. *potentiam* in absoluto & absolutissimo gradu, qvæ non nisi divina, assignat, ductus per vestigia N. T. ubi Christus appellatur δύναμις, conf. 1. Cor. 1. 24. Et qvare non alia Lutheri scripta producunt, præprimis Commentarium in Genesin, ex qvibus certè, qvàm accerimus fuerit divinitatis Messiæ assertor & Arianismi osor Lutherus, sole meridiano clariùs evadit? Qvare non Vulgatam qvoqve suam Arianismi incusant Pontificii, qvippe in qva eadem vox אל, licet DEO tribuatur, sæpiuscule per *fortem* transfertur. Conf. Gen. 33. 20. Exod. 20. 5. Num. 16. 22. Ps. 62. 3. Qvare *Alvarez* Comment. in h. l. *Aqvilam* & *Theodotionem* illud אל per ἰσχυρὸν i. e. *robustum, fortem*, vertentes defendit omnisqve erroris absolvit? Qvare festucam in oculis Lutheri deprehendunt Papicolæ inqve suis ipsorum non observant trabem? Annon enim Pontifices qvidam ipsi Arianismo fuerunt infecti?

ti? Conf. *Platina* in Vit. Pontif. *Liberii, Felicis* &c. *Bellarm.* l. 4. de Rom. Pontif. c. 9. *Hunn.* in Apostas. Rom. Eccl. p. 680. Annon *Bellarminus* Arianizat l. 1. de Christo c. 10. scribens: *Pater est Principium aliarum personarum & in ea ratione qvandam majoritatem habet* &c.? Conf. *Danhaw.* Hodom. Pap. Phant. II. p. 495.

§. 5. Nec minor est depravatio nominis qvarti אבי־עד qvod Vulgatus reddit *Pater futuri seculi*, secutus LXX. qvi vertunt πατὴρ αἰῶνος μέλλοντος. Grotius enim reprehensâ voce *futuri*, eò qvod in Ebræo non habeatur, exponit hoc nomen per illum, *qvi multos posti se relicturus sit posteros & in longum tempus.* Ubi verò priusqvam ineptientem hanc glossam castigemus, de ipsis qvoqve vocibus אבי & עד præmonenda qvædam veniunt, ad scopum qvippe nostrum collimatura. Scilicet (1.) אב qvod in statu constructo habet אבי à R. אבה *bene voluit*, communiter qvidem notat *Patrem*, à propensa in liberos voluntate sic dictum; præterea verò *autorem* qvoqve vel *inventorem* alicujus rei id significare, item illum, qvi alium *moderatur*, aut qvi alteri *dominatur*, ex qvibusdam scripturarum locis colligitur, & illud qvidem ex Gen. 4. 20. ubi certè filii Lamechi dicuntur *Patres* i. e. *autores* s. *inventores*: conf. Joh. 8. 44. hoc verò ex 1. Reg. 24. 12. ubi David Saulem appellat *Patrem.* Nos *patris* vocem hîc retinemus, licet *autoris* qvoqve significatio interpretationem satis aptam commodamqve, ceu infrà patebit, progignat. (2.) עד varias habet significationes 1. notat præpositionem *ad* Deut. 4. 11. Deinde significat *usqve, donec* Gen. 49. 10. Ps. 110. 1. (3.) *æternitatem* & sic freqventer conjungitur cum עולם ut Exod. 15. 18. יהוה ימלך לעולם ועד *Dominus regnabit in æternum.* Similiter Isai. 57. 15. Ps. 9. 6. 19. Ps. 145. ult. &c. conf. *Glass. Phil. Sacr*, l. 1. tr. 1. De significatione *spolii* (qva Rabbini qvidam

hîc abutuntur, præprimis *Abarbenel*, reddendo אבי עד per אב השלל והביזה i. e. *patrem ſpolii & depræ dationis*, qvaſi Chiskias precibus ſuis angelicam illam impetraverit victoriam, atqve ita caſtrorum ſit Aſſyriorum factus ſpoliator & pater ſpolii) vix qvicqvam hîc attinet commentari, cum non ſatis appareat ille *pater ſpolii*, neqve ita loqvatur ſcriptura, neqve Jhudæus ipſe ſibi ſatis conſtet, cum ſe ipſum mox corrigat, exponendo per אב חיים הנצחים h. e. *patrem vitæ æternæ*, prætereaqve loca Gen. 49. 27. Zephan. 3. 8. Jer. 33. 23. in qvibus עד communiter *prædam* ſignificare putatur, ab aliis aliter reddantur, qvi omne עד *rectum* volunt eſſe *durationis infinitæ*, nullum verò *prædæ*. Vid. *B. Varen.* Comm. in Iſai. h. l. p. 258. Conf. infrà ad locum ſeqventem Iſai. 9. 6. §. 7. ubi incidenter de loco agitur tertio Jer. 33. 23. Hoc autem loco עד לי in ſignificatione *æternitatis* accipiendum eſſe nulli dubitamus. Unde & Vulgatus ac alii non malè per *patrem futuri ſeculi* reddiderunt, non tamen in *ſenſu excluſivo* vel reſpectu *præſentis* vel *præteriti*, uti vult *Socinianiſmus*, juxta qvem *Pater futuri ſeculi* titulus eſt *diminutivus* Chriſti vel ſummæ divinitatis *deſtructivus*, ita ut hîc Chriſtus ex hypotheſi Socinianiſtica (Chriſtum non naturâ DEUM ſed merum hominem ſtatuente) abſolutè dici *pater ſeculi* non poſſit. Fruſtra verò eſt *Grotius*, qvi pro Chiskia hîc militans, planè in contrarium currit, vocemqve *futuri* impugnat, eò qvod in fonte non extet, ſed abſolutè *pater ſeculi* dicatur: Licet enim explicitè vox *futuri* in fonte non habeatur, connotatur tamen voce עד ſ. *æternitatis*, adeoqve *pater æternitatis* ſ. *æternus* eſt, cujus paternitas non tantùm in *præterito* fuit exercita, ſed in *futurum* qvoqve ſeculum ſeſe extendit.

§. 6. Ex dictis jam colligere *primò* licet, qvàm maximè ipſa qvoqve Grotii gloſſa ineptiat: עד enim non *longum tem-*

tempus (ceu ille reddit) sed *æternitatem* significans, sic satis arguit, longè aliud esse *Patrem futuri seculi s. æternitatis*, qvàm *multos post se relinqvere posteros & in longum tempus*. Et unde qvæso hæc probabitur glossa? an enim id nominis Chiskiæ proprium? nonne aliis potiùs, ut Adamo Noacho, Abrahamo &c, qvàm Chiskiæ conveniret, qvi longè plures post se posteros & in longius omnino tempus reliqverunt? *Deinde* ex dictis qvoqve tituli hujus *divinitas* eluceſcit: Ecqvis enim hominum nudorum nominari potest אבי־עד s. *pater æternus* s. *autor æternitatis?* Notandum enim hunc titulum אבי־עד bifariam accipi, vel *neutraliter* & *absolutè*, vel *activè* & *relatè*. *Priori* modo puer hic dicitur אבי־עד *Pater æternus*, in qvantum ipse æternus & à parte ante & à parte post, licet עד h. l. non *per se* & *formaliter*, sed *vi materiæ* (uti & Isai. 57. 15. שכן־עד) omnimodam æternitatem importet, cum hîc pater æternus dicatur, qvi est אל גבור s. *DEUS fortis*, qvem omnino æternum esse oportet: unde & 1. Joh. 5. 20. *verus DEUS* & *vita æterna* vocatur; *posteriori* modo puer hic dicitur אבי־עד in qvantum is Pater est respectu nostri, *affectu* sc. & *effectu* æterno, simulqve origo & *autor* æternitatis; qvod enim vox אב aliqvando in scripturis *auctorem* notet, paulò antè jam ostensum est. Non ergo directè hoc nomine divina infertur pueri hujus essentia, sed qvatenus æternus ejus affectus & effectus, nempè opus *regenerationis ad vitam æternam* 2. Cor. 4. 25. Joh. 1. 12. & *seculorum fundatio* Ebr. 1. 2. v. 11. 3. & *æternitatis præparatio* Eph. 1. 4. & *redemtionis ac salutis æternæ acqvisitio* Ebr. 9. 12. Joh. 6. 33. (qvæ omnia hoc nomine involvuntur, ceu illa pluribus evolvit *B. Calovius Bibl. illustr.* h. l. p. 67.) non nisi divinæ competunt personæ. Unde & benè h. l. *Brentius: vocatur*, inqvit, *pater æternus non personâ suâ in divina natura; sic enim filius est, non Pater; sed affectu paterno eoq; æterno: non vocatur pater patriæ, ceu alii Reges & principes; sed, qvod longè majus*

majus, Pater æternus: semper enim paternum erga nos affectum habet illumq; in æternum non mutat, juxta Isa. 49. 15. 16. c. 54. 8. servatq; populum suum non, ut alii Principes, in hac tantùm vita, sed & in futura & æterna. Eandem tituli hujus divinitatem agnoverunt ipsi Ihudæorum Magistri: hinc illum non Chiskiæ tribuerunt, sed de *DEO Patre*, qvi puerum hunc denominaverit *Principem pacis*, pariter ac præcedentes, qvamvis minùs rectè, uti jam suprà ostensum, intellexerunt. Speciatim *R. Kimchi*, dum nomen אבי־עד ita exponit, ut *pater seculi sit*, qvi est 1. *stabilis in seculum*, 2. *pater ipsius temporis*, & 3. qvi *creavit illud* 4. *in cujus manu est terminum vitalem ampliare vel abbreviare*, hoc ipso illud Chiskiæ competere negat, qvi certè, si juxta hanc παράφρασιν Kimchianam אבי־עד fuisset, opus non habuisset tantopere pro ampliandis vitæ annis supplicare. Isai. 38. 3.

§. 7. Tandem qvod interpretamentum ultimi nominis שר־שלום attinet, qvo *Princeps pacis* Grotio dicitur *Princeps pacificus & in pace victurus*, non minùs illud à mente Spiritus S. alienum atqve jejunum esse, facile est ostensu. Primò enim nec titulus ille sic expositus Chiskiæ esset proprius, cum & alii fuerint *pacifici* & *in pace vixerint* rerum potiti, nec Chiskiæ per omnia conveniens, cum nec semper in pace vixerit, 2. Reg. 18. 13. &c. nec sublime illud axioma, qvod hic ipse titulus rectè expositus infert, illi statim competit, qvi pacisc. studio s. consilio refulget s. qvi pacis est cultor & in pace vivit. Qvemadmodum enim alibi Christus dicitur *Princeps vitæ*, eo qvod *vitæ autor* est Act. 3. 15. ita & hîc ipsum dici *pacis Principem*, qvia pacis, præcipuè spiritualis, autor est, Joh. 14. 27. Isai. 53. 5. adeoqve hunc titulum peculiari ratione Christo proprium esse, qvis dubitaret? Christo inqvam, qvippe qvi pacem reparavit, illam cumprimis, qvæ DEUM hominesqve conjungit. Uti verò pax illa, ita & *principatus* hic *pacis* omnium Principum terrenorum coronas transcendit, adeoqve reparatio tantæ pacis, divinam denuo personam arguit: Soli enim DEO titulus שר־שלום competit, conf. Isai. 26. 3. 12. c. 27. 5. c. 45. 7. Lev. 26. 6. Cumq; Chiskias talismodi pacis autor non sit, nec ille hîc, sed promissus Messias per pacis principem intelligi debet, prout ipse *Targum Jonathan* h. l. reddit dicendo: *Princeps pacis Messias.*

§. 8. Messiam ergo hîc Jhudæi cum Socinianis coguntur fateri θεάνθρωπον *DEUMqve incarnatum.* Et hîc est *usus* loci & nomenclaturæ hujus *elencticus*, jam præced. Disp. §. 11. indicatus. Conf. suprà §. 3. circa finem.

Ad clarè doctum eximiumq;

DN. JOH. ERNESTUM CHRYSANDRUM,

In Collegio Theologico Disputatorio privato, super AUGUSTANAM CONFESSIONEM & annatas controversias Anti-Syncretisticas, nostrum non ita pridem industrium Auditorem,

Respondentem & Opponentem,

Jam in Collegio publico Exegetico-Isaiano

DE

DIVINA MESSIÆ NOMENCLATURA

ad Isai. IX. 5.

publicè Responsurum.

HActenus † ARRIDES Doctoribus atqve Magistris,
Artibus ac lingvis qvando subinde vacas:
Qvin *Irrisores* & *ridicularia* mittens,
Biblia scrutaris sedulitate *gravi*.
Sic bona *Nominibus* * respondent omina pulchris;
Fortunæ qvamvis *rideat* aura minùs.
Nunc qvoqve publicitus, qvàm præstes omine, monstras,
Dum sacra MESSIÆ NOMINA plana facis,
Qveis *aurum* pretiumqve latet. Scrutaberis ultrà,
Invenies *aurum*, * *seria*, *grata*, decus.
Sic magis ARRIDENS † HÎC doctis, nominis imples
Instar, adesqve *VIR* en! *aureus* atqve *gravis*.
Gratulor id decoris. Tibi Cœlum *rideat* inde:
Excipiant gemitus gaudia magna tuos,
Post ferrumqve, pios qvod sæpe fatigat in orbe,
Te recreent *aurum*, nobile munus, honos!
Sic ARRIDEBIS toti *gratissimus* orbi:
Sic eris (hoc precor, hoc ominor) *auricomus*!

† CHRYSANDER Anagr. sumatur geminum i cum vulgo pro Græco y. HIC ARRIDENS. * 1. *Johannis* i. e. gratiosi 2. *Ernesti* i. e. gravis & severi. 3. *Chrysandri* i. e. *aurei Viri*.

LMq;

A. D. HABICHHORST, D.

Aurea

Aurea, CHRYSANDER, Messiæ *Nomina planans*
Omen habes, *aurum repperiesq; sacrum.*

Honoris & amoris causâ

M. MATTHÆUS Müller/ Dantisc.

PUblicitus *Christi* proponere NOMINA gestis,
Qvæ ejus *naturas* officiumqve probant.
Hoc ipso studii rationem reddis, *Amice*,
Ingenio monstrans qvalis & arte cluas:
Qvin reprobas horum mores, qvi nescio qvales
Materias tractant; Tu graviora paras.
Materiem summam de CHRISTO exponere liti,
Sed perqvàm svavi, qvid nisi laudis opus?
Hanc tibi doctrinam studeas servare fidemqve:
Sic *Chrysander* eris menteqve *dives* eris.

Hæc vili versu sed graviori voto gratulabundus
Amico apponere voluit intimo,

B. H. Grafft/ Westph.

REm facis ingenio dignam, *Chrysander amande*,
Dum cathedram pius & doctus in arte petis.
Dumqve REDEMTORIS, summi æterniqve JEHOVÆ,
NOMINA sancta refers, Nomina summa doces,
Ostendis, Tibi qvid suggesserit hactenus ALMA,
Qvæ studium fontis scrutiniumqve probat.
Euge Tui ductu fontes scrutarier insta
PRÆSIDIS, atqve libros volvere perge sacros,
Nec dubites, olim qvin digna brabeja reportes,
Cum statuent grato Te sacra fata loco.

Pauca hæc Amico honoratissimo scr.

JOACHIMUS NICOLAI, Mekelb.

(o)

DISQVISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
super
ILLUSTRIORA PROPHETARUM LOCA
PRÆLECTIONES PUBLICAS
SUB INCUDEM REVOCANTIUM
DECIMA QVARTA
De

PRINCIPATU MESSIÆ INFINITO,

Ex ISAI. IX. 6.

Quam

AUSPICE DEO-HOMINE,
Pl. Rev. FCte THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S. TH. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.
EJUSDEMq; FACULT. n. t. DECANO, & CONSIST.
DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,
In Celeberrimæ Univers. Rostoch. Aud. Majori, ad d. 8. Sept. 1688,
publicè ventilandam proponit

JOH. ERNESTUS CHRYSANDER,
Hertzberg. Saxo.

ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0199
DFG

LOC. III. ISAI. IX. 6.

Disp. XIV.

De

Augustissimo Messiæ principatu: ubi & de ס clauso in medio vocis לרבה *disquiritur.*

POst tanta tamqve divina pueri nobis nati nomina, hactenus paulò plenius expensa, aliam adhuc Characterem pueri (non Chiskiæ sed) Messiæ Propheta hîc ponit, qvi est *augustissimus cum infinita pace principatus in throno Davidis*, idqve his facit verbis: לרבה המשרה ולשלום אין־קץ על־כסא דוד וגו׳ Qvæ verba pluribus qvidem contrà qvàm vulgo putatur, contentionibus sunt impedita; nos verò contentiones ut in ordinem redigamus easqve sic meliùs dignoscamus (nam τὸ διαίρετον ἐστιν διαιρετέον) seqventibus illas qvæstionibus includere non pigramur. Qværitur enim (1.) *de cujus Principatu amplificando* hîc loqvatur Propheta? (2.) qvomodo vox prima loci לרבה, qvæ de principatu hoc prædicatur & vulgo redditur *ad multiplicandum*, cum seqq. rectè sit reddenda? (3.) an hîc *finis* describatur, qvare Messias talis sit Princeps atqve ita, ceu dictum, vocandus, sc. *DEUS fortis* &c. (4.) qvid sibi velit ס *clausum in medio primæ vocis*. Ceterùm, an verba seqq. מעתה ועד־עולם *ex nunc & usqꝫ in æternum*, ad præcedd. an v. ad seqq. sint referenda, adeoqve *an formaliter his verbis regni Christi æternitas indicetur*, an verò Zelus Domini respiciatur? item qvomodo *Zelus Domini* possit dici fecisse nativitatem Messiæ & opus redemtionis, cum id potius amori divino sit tribuendum? in seq. seorsim disqviretur, cũ disp. hujus mensura non admittat.

§. 2. Ad qvæst. 1. *de cujus principatu amplificando* hîc agatur, idem Grotius cum Jhudæis eâdem, qva in præcedentibus, chordâ oberrans respondet, de *Principatu Chiskiæ* hîc agi, unde & vocem primam לרבה qvæ vulgo reddi-

tur: *ad multiplicandum*, ita exponit: *durabit* (principatus Chiskiæ) *per 29. annos*; ad verba autem seqq. *& pacis ejus non erit finis*, ita commentatur: *ad finem dierum suorum pace fruetur 2. Reg. 20. 19.* Nos verò temeritarem, qvam in Grotio hîc denuo observamus, demirati satis haut possumus: ecqvid enim jejunius ineptiusqve dici posset? numne hæc glossa tam magnificæ promissioni respondet? qvis verò pateretur tam augustum imò & infinitum Principis hujus principatum ad tam angusta planèqve finita vitæ & regiminis Chiskiani tempora restringi, tantamqve Prophetiam tam apertè miserèqve depravari? Certè enim Propheta hîc *nullum pacis in solio Davidis & regno ejus finem* ponit. Si ergo pacis imperii hujus nullus erit finis, duratio qvoqve principatus hujus fine careat omni necesse est. Hinc & Angelus hæc ad Mariam sic interpretatur Luc. 1. 33. *Dabit ei Dominus DEUS thronum Davidis Patris sui, & regni ejus non erit finis.* Exinde verò colligimus, hanc multiplicationem principatus non Chiskiæ nec ulli terreno Principi adeoqve nemini qvàm Messiæ, qvi *princeps pacis*, *DEUSqve*, *fortis* ac *Pater æternitatis*, tribuendam esse, qvod & infrà tandem agnoscere, Grotius vi veritatis coactus videtur, cum ad seqq. loci hujus verba: *à nunc & usqve in seculum*, sic dicit; *sed in Christo & hæc & qvæ præcedunt, habent significationem multò ut augustiorem, ita & pleniorem.*

§. 3. *Qvæstio secunda*, qvomodo vox לְמַרְבֵּה cum seqq. rectè sit reddenda, non adeo facilis expeditu videtur: unde & Interpretes hîc deprehendimus maximè discrepantes. Ecce enim (1.) qvidam cum *Pagnino* & *Vatablo*, ut & *Bohlio*, Theol. qvondam ap. nos Professore (qvi 28. ætatis anno morte abreptus est, longiori vita dignissimus) vocem illam (qvæ est à R. רבה *multus fuit*, in Hiph. *multiplicavit*, pro

infini-

infinitivo habent, cum particula ל *ad* (qvæ infinitivis præfixa notat Latinorum Gerundia) dum ita reddunt: *ad multiplicandum imperium*: qvo fine *Boblius* insuper ס *clausum* statuit *scribarum vitio positum* pro ה s. *coaluisse* ס *infrà ex* ם *adeoqve legendum esse* להרבם. Verùm ad hanc *Boblii* sententiam ita respondent *B. Scherzer.* in Disp. sup. Isai. 9. 5. 6. & *Dn. D. Pfeifferus* in dub. vex. h. l. p. 783. *præterqvam qvod ita textus originalis perperam corruptionis argueretur, vox ipsa, si infinitivus esset, juxta Grammaticam non terminaretur in* ם.. *sed in* ות. Qvorum qvidem ratio prior suo stat talo; conf. inf. §. 10. posteriori v. id videtur obstare, qvod infinitivus Hiphil verborum, tertiam Rad. ם habentium, non tantum in ום sed & in ה.. terminetur, conf. Deut. 13. 15. & *Dn. D. Wasm. Ebraism. Restit.* R. 33. p. 140. nisi fors dixeris, alteram infinitivi terminationem ה.. saltem in reduplicatione verbi, s. cum verbum regens subjungitur, obtinere, qvale non h. l. sed Deut. 13. 15. occurrit. Juxta *Pagninum* tamen (qvi locum Nehem. 5. 18. בכל־יום להרבה vertit: *in omni vino ad multiplicandum*, adeoqve vocem להרבה pro infinitivo habet) infinitivus verborum tertiam Rad. ם habentium etiam extra reduplicationem in ם.. terminatur; qvanqvam להרבה l. c. nomen esse potest, uti Jerem. 24. 2. Ps. 130. pen. notans *multiplicationem.*

§. 4. Longè aliter hîc (2.) sentiunt qvidam *Jhudæorum Magistri*, juxta qvos illud מרבה est participium & præfixum ל vocem suam reducit ad *affixum* præcedentis vocis שמו i. e. *nomen ejus*, & per illud ad *puerum nobis natum*, h. s. *vocabitur nomen illius admirabilis, consiliarii* &c. *illius*, inqvam, *multiplicantis principatum & cujus paci non erit finis.* Verùm & hæc interpretatio nonnihil habet incommodi: sic enim dicendum fuisset non ס ולשלום sed ולשלומו *& cujus paci.* Conf. *B. Varen.* Comm. in Isai. h. l. p. 260.

§. 5. Sed aliam adhuc sententiam fovet (3.) *Tremellii* versio, qvi alios qvosdam Rabbinos secutus vocem למרבה non pro Participio, sed pro Nomine substantivo, & præfixum ל pro nota casus Dativi habet, ita ut illud למרבה המשרה æqvè in positu se habeat ac seqvens לשלום & de utroqve in casu Dativi per ו copulato seqvens אין־קץ i. e. *non finis erit*, æqvaliter prædicetur h. m. *amplitudini illius principatus & paci nullus futurus erit finis. Sed B. Vareni*o Comm. in Isai. h. l. existimat, huic versioni obstare 1. *formam vocis* מרבה (intelligit participialem) 2. *suppositionem personalem.* & 3. *accentuationem* in *pace.* Nobis verò nil obstare videtur, qvò minus מרבה sit nomen formæ מעשה *opus*, à Rad. עשה *fecit*, adeoqve nomen Heemanticum s. auctum ab initio per מ atqve hac formâ nominis rectè suppositâ simul *personalis suppositio* exspiret. Sed pro formâ isthac in gratiam Lutheri paulò post plura differemus: nam & Lutherus h. l. reddens: **auff daß seine Herrschafft groß werde/** vocem למרבה pro nomine videtur habere, ceu idem ipse *B. Varenius* l. c. p. 260. censere videtur dicens: *Lutherus habuit* ל *pro finali ac si esset: in amplificationem principatus i. e. ut amplificetur principatus*; qvanqvam idem mox participialem qvoqve expositionem subjungit, cum ait: *vel, ac* si esset מרבה המשרה להוות i. e. *ut sit amplificans principatum & pax sine fine*; qvæ tamen posterior expositio participialis versioni Germanicæ non tam convenit, qvàm prior: aliàs dixisset: **auff daß Er seine Herrschafft groß mache.** Ceterum tertia ratio Vareniana, ab *Accentuatione* in שלום s. *pace* petita, videtur esse potior: si enim אין־קץ h. e. *non erit finis*, æqvaliter se ad præcedentes haberet voces, sc. tam ad למרבה s. *amplificationi*, qvàm ad לשלום s. *paci*, potiùs disjungendum nonnihil à voce לשלום per distinctivum qvendam, qvàm cum eodem per conjunctivum *munach* con-

jungen-

jungendum fuisset, ut respectus ad utrumqve patentior esset. Qvid? qvod *nexum* non adeo commodum in Tremelliana qvàm Lutherana versione conspicamur.

§. 6. Sed videamus nunc etiam (4.) laudatam modò *Lutheri versionem*, juxta qvam 1. præfixum ל in למרבה est finale, & 2. ipsa vox מרבה nomen substantivum, & 3. infinitivus verbi substantivi היה *fuit*, per ellipsin videtur subintelligi ac si in fonte diceretur: להיות מרבה i. e. *ad esse amplificationem principatus illius & ad esse pacem sine fine i. e. ut amplificetur principatus ille & pax sit sine fine*; vel etiam infinitivo היות separatim locato: *ad amplificationem principatus illius esse & ad pacem sine fine esse*: i. e. ut amplificetur &c. **Auff daß dieselbe Herrschafft groß werde und des Friedes kein Ende sei auff dem Stuhl Davids.** Si enim (ut de tertio incipiamus) juxta omnes omnino interpretes freqvens est ellipsis verbi substantivi היה cum *in præterito* & qvidem in *tertia* & *prima* singulari Ps. 115. 5. Gen. 3. 11. & in *tertia* plurali Gen. 33. 5. tum in *futuro* Isai. 1. 7. &c. qvare non etiam ellipsis *infinitivi* היות *esse* admittenda esset? Confirmat id ellipsis *infinitivorum* aliorum verborum e. c. נשא *ferre* Isai. 1. 13. לא אוכל נשא *non possum* (sc. ferre) *iniqvitatem*, ceu plenius extat Jer. 44. 22. conf. Disp. nostra 1. in Isai. l. c. *Deinde* qvidem huic qvoqve versioni Germanicæ (qvæ מרבה, uti dictum, pro *substantivo nomine* habet) obstare videtur *forma* vocis מרבה (qvæ videtur participium esse in Hiphil & qvidem constructum) ejusqve *suppositio personalis*: qvas ceteroqvi rationes præced. §. citatas Tremellianæ versioni jamjam inspectæ *B. Varenius* l. c. opponit; ast verò qvemnam fugit *nomina* qvoqve *dari Heemantica* s. *aucta* ab initio per מ ut מעשה *opus?* cujus adeo formæ vocem qvoqve מרבה esse & hac forma nominis Heementici suppositâ simul suppositionem personalem

exſpirare, ad præcedentem Tremelliiverſionem jam monuimus.

§. 7. Ne verò gratis hæc pro Luthero dixiſſe videamur, en alia qvoqve ſcripturarum loca & Scriptorum teſtimonia conferemus. *Schindlerus* certè in Lex. ſuo Pentaglotto & *Avenarius* in Lex. ſuo Ebr. ſub R. רבה poſuerunt qvoqve nomen מרבה ſignificans *multiplicationem, multitudinem*, & uterq; præter locum hunc noſtrum Iſai. 9.6. exempli loco alia adducunt, & ille qvidem Ezech. 23.32. ubi fœmin. מַרְבֶּה *multiplicatio ad capiendum*; hic verò Iſai. 33.23. ubi maſculinum cum dicitur: אז חלק עד־שלל מרבה i. e. *tunc diviſa eſt uſq; ad prædam multitudo*. Qvem locum penitiùs paulò, cum Iſaianus ſit, inſpiciemus. Vulgo qvidem ſic illum reddunt: *tunc diviſa eſt præda ſpolii multi:* & hi Interpretes (1.) עד vertunt per *prædam*, de qva acceptione vocis עד conf. præced. Diſp. ad Iſa. 9. 5. §. 5. n. 2. (2.) מרבה עד ſumunt *adjectivè*; at verò qvid obſtat, qvò minus (1.) freqventiſſimam vocis עד ſignificationem (*ad, uſq; ad*) hic retineamus, præſertim cum vox שלל, uſitatiſſimè *prædam* ſ. *ſpolium* ſignificans, immediatè ſeqvatur, cum dicitur עד־שלל? (2.) vocem מרבה reddamus nominaliter & ſubſtantivè per *multitudinem*, ad formam nominis מעשה, ita ut non conſtruatur tanqvam *adjectivum* cum שלל *ſpolium* h. m. *ſpolii multi*; ſed potius ſit *nominativus nominis ſubſtantivi* præcedens verbum חלק *diviſa eſt* h. m. *tunc diviſa eſt usqve ad prædam multitudo*: ſiqvidem שלל à voce מרבה diſtingvitur per Accentum diſtinctivum, Ducem Paſchta; ſi verò מרבה tanqvam adjectivum cum ſubſtantivo שלל *ſpolium* conſtruendum fuiſſet, שלל potiùs habuiſſet accentum conjunctivum Munach, ſervum Regis Sakephkatoni hîc ſeqventis, qvàm ſubdiſtinctivum ejus Paſchta. Similiter ergo & h. l. ap. Iſaiam למרבה ſubſtantivè reddendum. Suffragatur

gatur nobis *Castalio* in Translatione sua primò Basileæ A.1551. edita vertens: *ad principatus amplificationem pacemqve infinitam.* Nec (3.) qvicqvam usitatissimæ acceptioni particulæ ל (qva notat *ad* vel *in*, & *causam finalem* indigitat) obstare censemus, cujus exemplum qvoqve suppeditant voces proximè seqventes להכין ולסעדה *ad instaurandum & fulciendum illud.* Verùm hæc pro Lutheri versione sufficiant, qvam qvidem *B. Varenius* laudare videtur l. c. p. 260. statim post examen Tremellianæ dicens: *sed & proximè convenit noster Lutherus ita exprimens*: auff daß seine Herrschafft groß werde &c. paulò post tamen, dum aliam profert interpretationem jam jam qvoq; videndam, tacitè Germanicam intelligitur reprobare.

§. 8. Qvinta ergo sententia sit laudati jam celeberr. *Varenii*, qvam his proponit verbis: *Qvid autem obstat,* ל *h. l. facere emphaticum nominativum, ut reddas: amplificans principatū illum & pax* (cujus) *non* (erit) *finis, in throno Davidis & in regno ejus? Amplificans principatum est ipse puer nobis natus &c.* Ceterùm nec isthæc sententia difficultate caret. Eqvidem non negandum est, ל nonnunqvam præponi nominativo e. c. Isai. 32. 1. qvem & ipse inter alia pro se adducit: *Ecce ad justitiam regnabit Rex, &* לשרים i. e. *principes ad judicium præerunt* (qvanqvam juxta *Annotationes Anglic.* ad l. c. & juxta *D. Wasmut.* in Gram. Ebr. Reg. 18. p. 57. ל ibi & similibus in locis redundat. Conf. Dan. 4. 33. Jos. 10. 21. &c. *Glass. Phil. Sacr.* l. 4. Tr. 1. obs. 6. not. 3.) cur verò hîc, usitatissimâ ל acceptione relictâ, ad minùs usitatam recedamus? Qvid? qvod (2.) *nexus* cum præcedd. non videtur satis commodus, & dicto reddatur modo: *amplificans principatum* illum, *& pax* (cujus) *non* (erit) *finis in throno Davidis*, ita ut non solum *pax infinita* sed & *ille amplificans principatum* ponatur *in throno Davidis*, postulante id Accentu Duce *Rbhia*, in via sc. ad Regem Sakephkaton, ceu idem ibid. rectissimè docet. Præcipuè v. (3.) *Ellipsis* pronominis אשר *cujus*, qvam ille hîc statuit, duriuscula videtur nec necessariò statuenda, utut aliàs in scripturis sit freqventissima, necessariòqve passim danda.

§. 9. His ita se habentibus, non opus est hariolari, qvænam ex hismet qvinqve sententiis locum habeat. Scilicet expensis singularum difficultatibus, *qvartam Lutheri* interpretationem minori obnoxiam difficultati judicamus. Dum verò hæc probatur, *responsio* simul *affirmativa* ad *tertiam* qvæstionem, an

an sc. *finis* h. l. describatur, *qvare Messias sit talis princeps* & qvare *vocandus vel verè futurus sit DEUS fortis* &c. in promtu est. Nimirum hic est iste *finis, ut amplificetur principatus ille,* qvi super humeris pueri nobis nati, *& pax in throno Davidis sit sine fine.* Nisi enim Messias infinita esset persona, *admirabilis, DEUS fortis* &c. infinitam certè pacem efficere non potuisset. *Rem* verò ipsam qvod attinet, qvam *finis* hic respicit, per *multiplicationem principatus Messiæ* Propheta, juxta Hieronymum alioqve Patres, intelligit *multitudinem illam gentium ac populorum,* qvi in N. T. per universum orbem, prædicatione Apostolorum ad Christum conversi, Regem hunc Dominumqve suum piè adorant, pacisqve felicitate in æterno ejusdem regno nunqvam terminanda fruuntur. Unde & hoc ulteriùs hîc colligimus, qvod *multiplicatio hæc principatus Christi* tam qvoad *amplitudinem universi orbis,* (qvam DEUS Pater ipsi promiserat, Ps. 2. 8. conf. Ps. 72. 8. & seqq.) qvàm qvoad *infinitam durationem* sit intelligenda, qvam præter alia scripturarum loca etiam hic noster non obscurè designat, dum huic principatui *infinitam* qvoqve *pacem* assignat, conf. supr. §. 2.

§. 10. Tandem verò (4.) hîc qværitur, *qvid sibi velit* ▭ *clausum* & *qvadratum* in expositâ hactenus voce לְמַרְבֵּה? an fortè hanc ipsam principatus Christi dilatationem per 4. mundi plagas illud significet? Non probamus, qvi ▭ illud non ipsi Prophetæ, sed fortuito Scribæ properantis lapsui, (qvem Jhudæi præposterâ superstitione non ausi fuerint mutare) adscribunt; qvæ sententia est *Grotii, Forerii* &c. *Bohlium* suprà §. 3. audivimus. Non enim concedenda est ulla Textus Biblici corruptio, nec apex ullus in eo frustraneus. Igitur hîc aliqvid mysterii subesse putatur. Spatiolum verò, qvod restat, non capit variantes hîc tam Jhudæorum qvam Christianorum sententias. *Lyranus* & alii *virginitatem* matris Christi; rectiùs verò alii & qvidem non pauci (cum vox, in qva illud ם habetur, *multiplicationem* principatus Christi designet, illudqve ם 1. sit *clausum,* 2. non *habeat exitum* finemq; 3. sit *dilatabile* 4. *qvadratum*) significari putant, regnum Christi fore 1. contra hostilem potentiam *clausum* & munitum. 2. *Sempiternum* 3. per qvatuor mundi plagas *dilatatum* 4. *stabile. Sed his non est, qvod nitamur,* inqvit *Calovius* Bibl. illust. h. l. *siqvidem illa multiplicatio nobis aliunde passim probatur.* Nos v. sub ם mysterii aliqvid latitare & Spiritum S. extraordinaria hac scriptione, velut notâ qvadam, mysterium qvoddam de regno Christi innuere nulli dubitamus. Conf. *Scherzer.* & *Pfeiffer.* ll. cc.

§. 11. *Usus* loci hujus, in Artic. de *regno Christi æterno, elenctico* valde est conspicuus, contra *Socinianos,* qvi *regnum Christi* statuunt esse *cessaturum,* & contra *Jhudæos,* qvi *temporale* illud somniant futurum.

LOCUS IV. ISAI. IX. 6.

De

CLAUSULA CONCIONIS EVANGELICÆ:

Ex nunc & usqve in æternum faciet hæc Zelus Domini exercituum.

PRo genuino clausulæ hujus sensu, qva tandem *causa* & *Autor* designatur, unde jam prædicta sint proventura, *duo* præcipuè notanda veniunt *qvæsita* interpretativa, qvæ sub initiũ qvidem Disqvisitionis hujus ad seqventem jam remisimus, prospicientes mensuram qvaternionis isthæc non esse admissuram; sed præter opinionem mensurâ Disputationis hujus nonnihil extensâ, qvin illas qvæstiones, cum superioribus qvæsitis cohærentes, adhuc subjungeremus, facere non potuimus. Qværitur autem (1.) qvid per קנאת יהוה צבאות s. *Zelum Domini exercituum* intelligatur, & qvomodo *Zelus Domini* hæc facere dici qveat i. e. mysterium DEI fortis incarnati & principatus ejus amplificati perficere vel ordinare, cum illud *amoris* potiùs *divini* opus fuerit, juxta Joh. 3. 16. (2.) an verba proximè præcedentia מעתה ועד־עולם s. *ex nunc & usqve in æternum*, ad præcedd. s. *ad thronum Davidis* corporaliter collapsum, sed per Messiâm restaurandum & fulciendum sint referenda, adeoqve an illis *formaliter regni Messiæ æternitas* indicetur; an verò ad seqq. pertineant, iisqve *qvando* & *qvousqve Zelus* ille *Domini hæc ipsa*, sc. nativitatem Messiæ ejusqve regni amplificationem & stabilitatem, *sit facturus*, significetur?

§. 2. Ad (1.) qvod attinet, *Grotius* qvidem, qvi præcedd. non de *Messia*, ceu dictum suprà, sed de *Chiskia* fuit interpretatus, hîc qvoqve ad suum redit Chiskiam, adeoqve per *Zelum* hunc *Domini* intelligit *ardentem DEI amorem erga pios, qvi insunt populo, daturum nobis & servaturum tam bonum principem sc.*

Chiskiam, ut verba ejus habent. Similiter & *Jhudæi* zelum hunc de *Zelo DEI pro Zione contra Assur* & reliqvos Jhudæorum hostes exponunt, cum eadem phrasis 2. Reg. 19. 31. Isa. 37. 32. in historia Chiskiæ occurrat. Ceterùm longiùs hos à mente Spiritus S. aberrare, ex dicendis patebit. Eqvidem per *Zelum Domini ardentem* ejus *amorem* intelligi, non negamus; dicimus tamen 1. non tantùm *amorem* intelligendum esse, sed & *indignationem* contra eos, qvi DEI amatos læserunt, ex ardenti amoris affectu promanantem, ceu inferiùs deducetur: neqve 2. *amorem erga pios, qvi in sunt populo*; sed erga *mundum* h. e. universum genus humanum, ceu describitur Joh. 3. 16. neqve 3. amorem *nobis Chiskiam daturum*; sed longè majus qvid largiturum, sc. *Messiam puerum, DEUM fortem* &c. neqve 4. amorem & indignationem *Jhudæos* tantùm *corporaliter* & temporaliter ab hostibus liberaturam, sed præcipuè *spiritualiter* & *æternùm* nos & universum genus humanum ex regno tenebrarum vindicaturam. De Messia enim & principatu ejus cum æterna pace h. e. principatu spirituali & infinito, tam apertè agunt præcedentia, ut tam Grotio, qvàm Jhudæis non unam, uti suprà annotavimus, confessionem vis veritatis extorserit. Ex Christianis verò qvidam *Zelum* hunc Domini solent explicare de *Zelo DEI irati* vel *indignabundi*, adversus hostes humani generis; sed rectiùs, uti jam dictum, conjungitur hîc *Zelus* DEI *amantis* simul atqve *indignantis*.

§. 3. Qvod ut magis eluceſcat, notandum hîc est *zeli* vocabulum multifariam sumi, adeoqve alium 1. esse *zelum invidentis*, 2. alium *ardenter studentis* s. contendentis, 3. alium *vehementer amantis*, & hinc simul 4. *zelum* ob rem amatam *indignantis*. Ad (1.) *zelum invidentis* pertinet zelus *Jhudæorum adversus Ephraim* Isai. 11. 13. *S. Sacerdotis* & *Sadducæorum* adversus Apostolos Act. 5. 17. *Jhudæorum* adversus Paulum & Barna-

Barnabam Actor. 13. 45. ubi & Lutherus vocem ζῆλον reddit Neid: similiter vertit Rom. 13. 13. 2. Cor. 12. 20. Gal. 5. 20. Conf. 1. Cor. 3. 3. Jac. 3. 14. 16. &c. (2.) *Zelus ardenter* studentis, qvi contendit vel vitam emendare, ut DEO in omnibus placeat, vel in eo, qvod honestũ & laudabile est, alios imitari vel etiam superare, sine ullo tamen in ipsos odio &c. commendatur 2. Cor. 7. 11. cap. 9. 2. 1. Cor. 12. 34. c. 14. v. 1. 12. 29. Tit. 2. 12. (3.) *Zelus vehementer amantis*, denotans ardentissimum amoris affectum, tribuitur vel *hominibus* vel *DEO*. *Homines* testantur hunc zelum vel *erga homines:* & hic conspicitur in *Corinthiis* erga Paulum 2. Cor. 7. 2. in *Epaphra* erga Colossenses, Col. 4. 13. conf. Gal. 4. 18. vel *erga seipsos:* hic apparet *in Pseudo-Apostolis*, Gal. 4. 17. vel *erga DEUM:* hic eminet in Paulo 2. Cor. 11. 2. DEUS verò hunc zelum amantis, qvi summum amoris affectum notat, qvo populum is suum gratioſè complectitur, protegit & ab hostibus liberat, passim testatur, conf. Zach. 1. 14. c. 8. 2. Ezech. 39. 25. &c. Ex hoc *amoris Zelo* promanat cum eoq; conjuncta communiter est *indignatio* adversus rei amatæ defectum, vel adversus eum, qvi rem amatam lædit, vel in consortium ejus admitti cupit. Et hic (4.) est *Zelus indignantis* s. *irascentis*, qvi vehemens est animi affectus, & *durus tanqvam mors* dicitur i. e. potentissimus & invictissimus Cant. 8. 6. qvo indignatur amans & læsionem rei amatæ ulciscitur ejusqve bonum procurat. Hic iterum tribuitur vel *hominibus vel DEO*. *Homines* hunc *Zelum indignantis* testantur vel *erga homines*, qvò spectat *Zelus maritalis* Prov. 6. 34. c. 27. 4. Num. 5. 14. 15. & *sincerus Pauli* Zelus Gal. 4. 18. 2. Cor. 11. 2. & *hypocriticus* Pseudoapostolorum Gal. 4. 17. item *præposterus* & *sine scientia* Zelus, ut si qvis sine rei ipsius scientiâ, Doctoris sui heterodoxi gratiâ, adversus orthodoxos indignatur: Vel *erga Deum*, qvi Zelus *indignantis* pro gloria DEI, iterum est vel *bonus* & *sincerus*, qvi

comendatur Apoc.3.19. & conspicitur in *Pineha* Num.20.12.13. &c. defectus v. ejus in *Episcopo Laodicensi* damnatur Apoc. 3. 34.35. vel *malus*, isqve vel *hypocriticus*, qvalis fuit Zelus *Jehu* 2.Reg.10.16. &c. vel *præposterus* sine scientia, qvalis *Judæorum* Rom.10.2. Hic enim furor potiùs qvàm Zelus, magno qvidem conatu gloriam DEI qværit, sed vel *circa objectum* errat, cum impugnatur id qvod bonum justumqve est: talis erat *Jhosuæ*, Num.11.28.29. *Pauli nondum conversi*, qvod ipse fatetur Act.22.3. Gal.1.14. &c. vel *circa modum*, qvalis *Discipulorum Christi* Luc.9.54. *Petri* Matth.26.51. &c. Tandem qvoq; *Zelus* hic *indignantis*, ex amore erga rem amatã promanans, DEO tribuitur, & vehemens ac justa ejus indignatio intelligitur, qva vel adversus defectum & peccata suorum, qvos diligit, vel contra hostes, qvi suos lædunt, indignatur, injuriam ulturus, & re amatâ potiturus ejusqve bonum procuraturus. 2.Reg.19.31. Isai 37.32. &c. Conf. *Ravan.Bibl.* in voce *Zelus*. Exinde verò collectu jam proclive est, ad qvem Zelum pertineat Zelus hic Domini, nativitatem Messiæ &c. ad salutem hominum, Diaboli fraude seductorum, faciens, sc. ad Zelum *ardenter amantis* simul ac *vehementer indignantis*: *amantis* qvidem respectu lapsi generis humani; *indignantis* verò respectu hostium homines seducentium. *Cum enim præcedens concio de Christo præcipuè sit instituta* (verba sunt *B. Calovii* Bibl. illustr. h.l.) *Zelus Domini de amore adversus genus humanum optimè intelligitur, qvod tanqvam Sponsam, Satanæ versutia abstractam, sed rursus sibi copulandam, vindicatum voluit DEUS à tyrannide & seductione Diaboli*, per puerum sc. nobis natum, qvi DEUS fortis &c. B. qvoqve *Scherzerus*, *Cyrillum* & alios pro se allegans, hîc nobis consentit & tam de φιλανθρωπία qvàm indignatione DEI interpretatur. Unde & *Kimchi* in lib.Rad. vocem קנאה non tantum *iram* sed & *amorem* significare fatetur.

§.4. Ad

§. 4. Ad (2.) qvæstionem qvod attinet, *qvorsum* sc. *voces* מעתה וער־עולם i. e. *ex nunc & usqve in seculum* (æternum) *sint referendæ*, an ad præcedd. sc. *regnum Davidis* per Messiam restaurandum & firmandum, an verò ad seqq. sc. *Zelum Domini* hæc facientem? Respondet qvidem cõmunis Interpretum sententia, referendas esse ad præcedentia. Qvibus & ipsa Lutheri versio suffragatur, qvæ ita has voces conjungit cum præcedd. ut in iisdem versus ipse finiat, h. m. **Auff daß Er es zurichte und stärcke mit Gericht und Gerechtigkeit von nun an biß in Ewigkeit/** & seqvens versus ita incipiat: **Solches wird thun der Eifer des HErrn Zebaoths.** Qvorum vestigia legens *B. Scherzerus* Disp. super h. l. nullâ distinctionis mentione factâ, sic ad hasce voces §. 29. commentatur: *verbis, à nunc & usqve in seculum, regni Christi æternitas indicatur.* Ceterùm si hismet standum esset versionibus & interpretamentis, certè Rex subdistinctivus *Sakephkaton* (qvippe qvi h. l. in voce וער־עולם i. e. *& usqve in seculum*, reperitur) plus distingveret qvàm *Atnach* Imperator in præced. voce ובצרקה i. e. *& in justitia*; qvod verò monstrum certè in universa est Accentuatione Biblica. Malè igitur hæc verba ad præcedd. ab Interpp. esse relata, hîc deprehendimus: Accentus enim *Atnach* in præcedente jam dicta voce ובצרקה h. e. **und mit Gerechtigkeit/** insignem ante verba qvæstionis pausam facit, h. e. primum versus sexti membrum absolvit adeoq; nobis imperat, ut voces has, tanqvam primum membri secundi territorium, à præcedd. separemus & ad seqq. sc. ad *Zelum Domini* referamus h. m. **von nun an biß in Ewigkeit wird solche Dinge thun der Eifer des HErrn Zebaoths.** Suffragatur hîc nobis *B. Varenius* Comment. in Isai. h. l. p. 262. ita reddens: **Solches wird thun der Eifer des HErrn Zebaoths/ von nun an biß in Ewigkeit/** cui qvidem nos ad præcedentis loci vocem לסרבת

לסרבה h. e. *in amplificationem*, nonnihil sumus refragati, versionem Lutheri l. c. seqventes; à qva tamen hîc recedere & contrà cum prælaudato facere *Varenio* nobis licebat. Salvâ enim orthodoxiâ liberè in hujusmodi explicationibus sentire à nostris q; dissentire Doctoribus, ubi fontem à nobis dissentire non videmus, integrum nobis omnino judicamus. Sicubi tamen Lutheri versionem defendere possumus, meritò illam retinere, ceteroqvin excusare tenemur, qvod semel hîc pro semper monitum velimus.

§. 5. Ex dictis ergo manifestum est, verba hæc Isaiana (*ex nunc & usqve in æternum*) formaliter non *ad thronum Davidis* s. *regnum Christi*, thronum Davidis corporaliter collapsum restauraturi & fulciendo stabilituri; sed ad *Zelum Domini* in proximè seqq. prædicatum pertinere, adeoqve *æternitatem principatus Messiæ*, aliis ceteroqvi scripturarum locis testatissimam (conf. Psalm. 45. 7. Luc. 1. 34.) imò & ex verbis præcedd. superiùs expositis jam probatam, *formaliter non indicare*; sed potiùs *paratissimam executionem æternamqve vim & efficaciam decreti illius divini de vindicando genere humano* mittendoqve in mundum DEI filio Messia & principatu ejus amplificando. &c. *designare*, q. d. ne dubitemus de adventu Messiæ, nec putemus promissa vel decreta DEI decretis promissisqve Regum terrenorum esse similia, qvæ sæpius vel non servantur neqve expediuntur, vel certè ad triduum valent paulòqve pòst obsolescunt; sed DEUS, qvod nobis promittit ac decernit, magno qvoq; Zelo i. e. ex ineffabili erga nos amore & vehementi erga hostes nostros indignatione, *ex nunc & usqve in æternum faciet*, curabit. &c.

§. 6. Ne verò sic Jhudæis, præsertim verò *R. Abarbeneli*, qvi certè hoc ipsum (verba sc. *ex nunc* &c. referenda ad zelum Domini esse) annotavit, idemq; Christianis Interpretibus

bus, æternitatem regni Messiæ hinc vulgo probantibus, opposuit, pollicem videamur premere adeoqve propria cædere vineta, monendum hîc meritò est, qvod licet non *formaliter* his verbis æternitas illa indicetur, cum non ad præcedd. ceu ostensum, sed ad seqq. sint referenda; *conseqventer* tamen eadem ipsa iisdem designetur: si enim *Zelus DEI* omnipotentis specialissimus *ex nunc & usqve in æternum faciet hæc*, i. e. ex nunc & in æternum restaurando & fulciendo thronum Davidis confirmabit regnum Messiæ (ceu præcedd. proximè verba habent, inqvorum qvasi sigillum hæc seqventia subjunguntur) certè regnum qvoqve, ex nunc usqve in æternum sic confirmandum, minimè terrenum, nec adeo talem esse principem, sed æternum potiùs esse oportet. Eòdem collimat *B. Varen.* l. c. p. 267.

§. 7. Verùm hîc cornua nobis denuo obvertit *Grotius*, verba qvæstionis מעתה ועד־עולם non uti nos, sc. *ex nunc & usqve in æternum*, sed ita reddens: *ab initio ad finem* vitæ: dicit enim עולם sæpe sumi pro fine vitæ, ut Ps. 119. 93. לעולם *in seculum non oblivisçar mandatorum tuorum* h. e. *ad finem vitæ*; addit Ps. 89. 2. Ita verò per vestigia Jhudæorum denuo ducitur: nam & *Raschi* eâdem ratione hîc excipiens dicit: *per* עולם *intelligitur seculum Chiskiæ*, q. d. *ab hoc tempore usqve ad finem vitæ hujus pueruli* Chiskiæ: idqve conatur probare ex 1. Sam. 1. 22. ubi עולם Samuelis sunt *anni vitæ Samuelis*, & Exod. 21. 6. ubi עולם servi servituri לעולם est terminus Jubilæus. Respondet qvidem hîc *B. Calovius Bibl. illustr.* h. l. *licet vox* עולם *seorsim posita qvandoqve non æternitatem, sed dies vitæ aut rei alicujus designet, conjunctæ tamen illæ voces* עד־עולם (qvæ h. l. habentur) *æternitatem semper inferunt.* Similiter & *B. Scherzerus Diss. super h. l.* §. 29. ad hæc verba: *licet*, inqvit, *vox* עולם *aliàs valde sit ambigua*: (ambiguitatem hîc pluribus ille exponit) *fatentur tamen Jhudæi ipsi, hac voce æternitatem absolutè significari, si addatur illi* τὸ עד *vel* נצח *vel tale qvid. Qvod cum hîc fiat, ultrò seqvitur æternitas Christi indeterminata. Sic* עד־עולם *conjunctim leguntur de Regno DEI æterno Exod. 15. 18. Ps. 90. 2. &c.* Addit tandem: *Testatur id qvoqve Maimonides,* עולם *qvando cum* עד *construitur necessario æternitatem importare.* Hactenus ille. Verùm non satis probatur nobis, qvod respondetur, *conjunctas voces* עד־עולם

æter-

æternitatem semper & necessariò inferre. Ecce enim loca 1.Sam. 1. 22. & 2.Sam. 12.10. ubi hæ ipsæ conjunguntur voces: nam illic mater Samuelis de filio ait: *& habitabit ibi* (in Silo) עד־עולם; hîc verò ad Davidem dicitur: *non recedet gladius à domo tua* עד־עולם. An verò ille in Silo habitavit *in æternum?* an ab hujus domo gladius *in æternum* non recessit? absit! Inde ergo patescit, datâ jam responsione Jhudæis & Grotio non satisfieri, nec adeo *confessionem* illam *Jhudæorum* à B. Viro citatam simpliciter ita esse intelligendam, ac si voces עד־עולם in tali positu vel conjunctione semper & necessariò æternitatem inferant. Forsan autem talem intelligunt conjunctionem vocum עד & עולם, qvalis datur Exod. 15. 18. ubi dicitur: *Dominus regnabit* לעולם־ועד, qvê locum etiam l. c. B. Vir allegavit, qvamvis ibi non עד־עולם uti h. l. sed לעולם ועד legatur. Rectiùs autem *B. Varenius*, his omnibus alto planè silentio præteritis, ita hîc respondet: *Quàm ineptè!* עולם (seculum) *servi* Exod. 21. 6. *vel* עולם *Samuelis 1. Sam. 1. 22. est finitum, Ergo &* עולם *Operatoris* JHOVAH ZBAOTH? *Neque vero abstractum* עולם *sed totum illud complexum.* מעתה ועד־עולם *urgetur.* Addimus nos, de ambigua hac voce ex subsstrata esse materia judicandum, cumqve omnia proximè præcedentia hîc ad Messiam & infinitum ejus regnum, neutiqvam verò ad Chiskiam qvadrent, ceu ostensum, hinc & ineptè prorsus hæc verba qvæstionis ad *Chiskiæ annos* torqveri.

§. 8. Sed instat *Raschi* (1.) vocem מעתה i. e. *ex nunc*, cum nostra explicatione, de Messia exhibendo &c. haut convenire, cum zelus Domini t.t. illa nondum mysteria, sed juxta nos ipsos longè demum postea fuerit operatus (2.) Hanc ipsam qvoqve clausulam in historia Chiskiæ adhiberi 2.Reg. 19. 31. Ergo & h. l. de ipso sermonem esse. Resp. ad (1.) qvid obstat, qvo minùs illud *ex nunc* pro ratione prophetiæ, illo saltem modo conveniat, qvo jam tunc puer ille concipiebatur ut jam nobis natus &c. Qvid? qvod jam tunc fuit *filius* & *nobis datus*, jam tunc *admirabilis, DEUS fortis*, &c. (2.) Differt illa certè clausula ab hac nostra: Nam licet ibi dicatur: *Zelus Domini faciet hæc*; non tamen simul adduntur voces: *ex nunc & usqve in seculum.* Sublimior ergo princeps & principatus est, de qvo h. l. sc. æternus. Conf. *B. Varen.* l. c.

§. 9. *Usus* loci *elenticus* (1.) denuo conspicuus est contra *Socinianos* & *Jhudæos*, æternitatem regni Christi negantes (2.) contra *Scholasticos, Socinianos & qvosdam alios*, statuentes, puerum hunc Messiam fuisse nascendum, licet protoplastæ non peccassent. Redarguit hos Zelus Domini nativitatem Messiæ faciens h. e. *amor* ejus erga lapsum genus humanum & *indignatio* erga Diabolum. Christus ergo propter peccata & Diabolum natus est.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0216
DFG

Præstantissimo eximieqvè docto

DN. JOH. ERNESTO CHRYSANDRO,

alterâ jam vice post privata hîc specimina

in Collegio publico Exegetico-Isaiano,

& qvidem De

AUGUSTISSIMO MESSIÆ PRINCIPATU

Ex Isai. 9. 6. disputaturo

FELICITER!

NOmina MESSIÆ Tua Dissertatio nuper
Explicuit, *Regnum* jam celebrare sedet:
Qvàmqve sit *augustum*, tam re qvàm tempore, *Regnum*
Et qvàm *pax ejus sit sine fine* doces.
Gratulor ARDOREM, qvem *versi* † *Nominis* omen
Extollit simulac, TERSUS IS ANNE? rogat.
Addo: sat est Tibi lingva simulqve scientia * *tersa*;
Perge, *teras* * *artes, tersaqve serta* dabunt.

† Anagr. sumto i. gemino pro Græc. y.

Joannes Ernestus Chrysander:
O anne is hîc ardens, in re tersus?

* Anagg. *Tersa, teras, artes, serta.*

qvod voveo
LMq;

A. D. HABICHHORST, D.

EN! Chrysander, Amor Sophiæ, perlustrat apertè
Aurea verba DEI, qveîs reparata salus.
Proponit Jesum variô sub nomine vitæ,
Qvam præstat mirè natus amore Tui.
Qvàm gratum dictum, variat qvô nomina Christi
Esaias vates, suppeditante DEO;
Nunc Pater æternus, nunc Princeps pacis & Heros
Audit adhuc infans, qvem pia corda colunt.
Det JEsus noster, qvem jam Chrysander amore
Miraris sanctô, qvò Tibi grata fluant.
Auro sis similis fidei vitæqve valore,
Nec Te porro malæ sortis imago premat.

Hisce Clariss. Dn. Chrysandri, Amici optimi, publicè jam disputaturi animum firmare, honoremqvè augere voluit

J. OTTO, Rect. Schol.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0217
DFG

LArgiter ingenii dotes exponis, AMICE,
Dum semel ac iterum disseruisse juvat.
Materiam nuper Tibi CHRISTI *Nomina*, sed jam
Regna dabunt ejus: Materiesne gravis?
Gratulor inde Tibi: feliciter omnia cedant,
Rex CHRISTUS studium DIRIGAT usqve Tuum!

Clarè Docto Dn. CHRYSANDRO tenui metro sic applaudit

M. CAROLUS CZIRLINSKY, Dantiscanus.

DEr/ welcher **Wunderbahr**/ und schöne **Nahmen** führet/
Als **Ewig-Vater**/ **Raht**/ ja **GOtt** und **Friede-Fürst**/
(Die neulich Du erklärt) der hat dich so regieret/
Daß du von dessen **Reich** auch/ **Wehrter**/ handeln wirst/
Wie Er dasselbe **groß gemacht** und **fest gegründet**/
Auch in demselbigen den **Fried' ohn Ende** hegt/
Ja **mit Gericht** wie auch **Gerechtigkeit** verbindet/
Und die dawieder sind mit **Eyfer** nieder legt.
Fahr/ **Wehrter**/ also fort/ Sein Lob so außzubreiten/
Zu zeigen deinen Fleiß/ vor der gelehrten **Welt**.
Er aber wolle dich mit seinem **Raht** begleiten/
Daß in dem Kampff für Ihn du siegest als ein **Held**.
Er woll' als **starcker GOtt** mit **Krafft** zu dir sich neigen/
Wie auch mit **Vaters-Treu** dir stets zur Seiten stehn/
Und einen solchen Ohrt als **Friede-Fürst** dir zeigen/
Da wir von seinem **Reich** dich lehrend ferner sehn/
Biß endlich Lebens-satt du wirst dahin gelangen/
Woselbst in hellem Glantz der theuren Lehrer Schaar/
(Mit welchem Sie belohnt/) in stoltzer Ruhe prangen/
Versteh ins Himmelreich/ wo **Friede immerdar**.

Seinem **wehrtgeschätzten Herrn Landesmann** solte dieses glückwünschend anhersetzen/ als Er zum andern mahl öffentlich disputiren wolte

JOHANN. CHRISTOPH. LUDOVICI,
von Hornburg aus Sachsen.

QVàm Tibi, *Chrysander*, mens *aurea* claraqve virtus,
Demonstras iterum publicitusqve probas.
Nomina MESSIÆ nuper *divina* docebas,
Nunc ejus *Regnum* commemorare placet.
Hinc decus acqviris studio virtuteqve laudem:
Grator &, adspiret porro JEHOVA, precor!

GODOFREDUS **Camentz**/ Wittstoch-March.

DISSERTATIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM

ISAIANARUM

DECIMA QVINTA

De

CORRUPTORIB9 JUSTITIÆ

INTER VINCTOS INCURVANDIS VEL INTER OCCISOS CASURIS,

Ex ISAI. X. 4.

Qvam

AUSPICE DEO-HOMINE, Ven. FCte THEOL. consentiente,

In celeberrima Univers. Rostoch. Auditorio Majori,

Ad d. I. DECEMBRIS, qvi

SERENISSIMO PRINCIPI ac DOMINO, DOMINO

CHRISTIANO LUDOVICO,

DUCI MEKELBURGICO REGENTI, DICTÆQVE UNIVERS. ROSTOCH. PATRONO & CANCELLARIO MAGNIFICENTISSIMO

NATALIS,

Inter concentus Musicos & publica felicitatis vota, SERENISSIMO piè nuncupanda,

PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQVE PROF. PUBL. ORDIN. ET CONSIST. DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,

ad συζήτησιν Academicam proponit

JOH. ERNESTUS CHRYSANDER, Herzb. Saxo.

ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat. Typogr. An. 1688.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0219
DFG

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DN. CHRISTIANI LUDOVICI,

DUCIS MEKELBURGICI, PRINCIPIS VETUSTÆ GENTIS Henetæ, Sverini & Razeburgi, Comitis item Sverinensis, Terrarumqve Rostochii & Stargardiæ Dynastæ

MINISTRIS PRIMARIIS,

VIRIS Magnificis, Nobiliss. Consultiss. & Excellentissimis,

DN. NICOLAO HENRICO BÜNSOVIO,

Principatus Razeburgensis Directori fulgidissimo,

DN. MATTHIÆ PETRO Burmeistern/

Ad Comitia provincialia Mekelburgica hodierna Legato primario,

DN. DAVIDI Brundgreiffern/ JCto celeberr.

CONSILIARIIS INTIMIS GRAVISSIMIS,

NEC NON

DN. JOH. CHRISTIANO BESELINO, JCto,

CONSILIARIO CAMERÆ, ad eademqve Comitia Legato splendidissimo,

Ut &

VIRIS Adm. Rev. Amplissimo & Clarissimis,

DN. M. JOHANNI Schützen/

Ecclesiæ Sverinensis Pastori & Superintendenti vigilantissimo,

DN. GEORGIO HENRICI,

DN. JOH. CHRISTOPH. SVANTENIO,

Ejusdem Ecclesiæ Antistitibus dignissimis laudatissimisqve,

DNNNN. PATRONIS, PROMOTORIBUS & FAUTORIBUS summopere observandis & reverenter colendis

Dissertationem hanc Exegetico-Theologicam,

In ipso SERENISSIMÆ Suæ CELSITUDINIS NATALI ventilandam,

Cum voto omnigenæ prosperitatis, in debitæ observantiæ argumentum, humillimè & officiosissimè consecro

J. E. CHRYSANDER.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0220
DFG

LOC. V. ISAI. X. 4.

Disp. XV.

Justitiæ corruptores vel sub vinctis incurvandi, vel sub occisis casuri.

CIrca locum hunc valde laborant Interpretes, qvod vel ex versionibus perqvam hîc variantibus apparet, qvas adeo paucis examinare, præviâqve ἐπικρίσει nostrâ versionem fonti maximè congruam & genuinum loci sensum indagare lubido est. In fonte qvidem sic habet noster: בלתי כרע תחת אסיר ותחת הרוגים יפלו Hæc verò Lutherus ita reddit: **Daß Sie** (intellige ex præced. versu **Eure Ehre**) **nicht unter die Gefangene gebeuget werde / und unter die Geschlagene falle.** Similiter LXX. hæc cum præcedd. conjungunt, sic transferentes: πῦ καταλείψετε τὴν δόξαν ὑμῶν τῦ μὴ ἐπεσεῖν εἰς ἀπογωγὴν &c. i. e. *ubi derelinqvetis gloriam vestram, ut non incidatis in abductionem.* Vulgatus autem sic convertit: *ne incurvemini sub vinculo & cum interfectis cadatis*: Qvem *Forerius* ita exponit: qvò se proripient principes vestri, ne *sub* vel potiùs *pro* vinctis curventur aut pro interfectis h. e. tanqvam interfecti, cadant q. d. principes aut captivandi aut interficiendi. Similiter *Castalio: ne vinculis succumbant cæsiqve occumbant.* Item *Tirinus: Ne forte* qvisqvam ex vobis *incurvet se inter vinctos & inter occisos cadat.* Arias Mont. verò ita: *absq; me corruit sub vinctum & sub interfectos cadent.* Similiter *Jun. & Trem. Absqve me incurvaretur sub vinctum & infra interfectos caderent.* Verùm *Ludovicus de Dieu* primò qvidem sic reddit: *præter eum qvi incurvabitur sub vinctis, etiam sub occisis cadent*, i. e. non tantùm captivi abducentur; sed præter eos etiam alii occidentur; mox verò idem eandem reformat versionem novamqve adornat, prævio tali discursu: *Manet difficultas aliqva: nam qvid est incurvari* תחת *sub vel infra vel inter vinctum vel vinctos? Licet ergo hîc omnia tentare, qvæ*

lingva Hebræa admittit. Monemus autem תחת *significare etiam deorsum, ut Gen. 49. 25.* Hinc ita h. l. vertit: *præterqvam qvod incurvabitur deorsum vinctus, etiam deorsum occisi cadent.* In qva sibi versione Autor tantopere placet, ut tandem in hæc erumpat verba: *nescio qvid eruditis placiturum sit: mihi sanè maximè arridet.* Huic non absimilis est qvoad voces בלתי & תחת versio *Piscatoris: Præter hoc* (qvod sc. nuspiam auxilium reperietis) *incurvabitur* (qvisqve vestrum) *profundiùs qvàm vincti* (qvi sc. se incurvare solent versus victores) *& profundius qvàm interfecti cadent.* Sensus: procidet Rex Chiskias per legatos supplicando Regi Assyriæ vid. 2. Reg. 18. 14. Similiter *Vatablus: Præter* alia mala *incurvabitur in loco vinctorum aut in loco interfectorum cadet.* ו valet *aut* Exod. 21. 15. Ab his abeunt *Pagninus* & *Grotius*, qvibus hæc placet: (Nemo evadet) *nisi qvis incurvaverit se inter vinctos & inter interfectos se prostraverit*, ne sc. vivus putetur & sic evadat. Qvam versionem Grotius optimam dicit, aliiqve sic exponunt: q. d. *nulla vobis erit evadendi ratio præter vilem & sordidam submissionem hosti factam. conf. Isai. 57. 9. Calvinus: nisi corruet inter vinctos & interoccisos cadet* q. d. tantùm irruet inter vinctos & occisos, qvia sc. omnes aut vinculis aut cædibus addicti sunt. *Chamier: propterea vinculis vinciemini & interfecti projiciemini.*

§. 2. Ex his versionibus longo ordine recensitis colligere jam est, qvidnam potissimùm Interpretibus hîc controvertatur. Scilicet tria hæc: 1. *subjectum* & *nexus* loci, 2. particula בלתי & 3. particula תחת. De qvibus ut ordine agamus, qværitur (1.) *qvodnam* sit incurvationis casusq; *subjectum?* an gloria Judicum injustorum, an verò ipsi Judices? Si verò gloria non sit subjectum, an nihilominus hæc verba cum proximè præcedd. sint connectenda h. m. ubi linqvetis gloriam vestram,

ſtram, *ut non* (ne) *incidatis in abductionem*, vel *ne incurvemini ſub vinctis* &c. (2.) qvid ſignificet h.l. vox prima בלתי ? num *ut non* ſ. *ne?* an *abſqve me?* an *præter me*, vel *præter hoc* ſ. *præter eum*, ſ. *præterqvam*, an *niſi?* an verò ſit particula negativa? Adeoqve an h.l. vel *mitigatio pœnæ* pro Judicibus corruptis deſcribatur q. d. juxta *Jun. & Trem.* ecqvid facturi eſſetis *ſine me* h. e. *niſi ego vobis ſubvenirem, vel captivandi vel occidendi eſſetis?* an verò *conſilium evadendi* judicibus ſuppeditetur, q. d. juxta *Pagninum* & *Grotium: non evadet qvisqvam, niſi qvi incurvaverit ſe* &c. an potius *mera* hîc *pœna DEI juſtiſſimi Judicis* adulteratoribus juſtitiæ indicetur? (3.) qvomodo reddenda ſit particula תחת conſtructa cum אסיר & הרוגים an *ſub*, an *infra*, an *inter*, an *deorſum*, &c. (4.) Qvænam tandem genuina ſit fontiqve maximè congrua loci verſio ac ſententia?

§. 3. Ad (1.) qvod attinet, ſc. *qvodnam* ſit *ſubjectum incurvationis* &c. reſpondent qvidam, inter qvos B. noſter *Lutherus*, *ſubjectum* hoc eſſe כבוד ſ. *gloriam*, qvam vocem aſſumunt ex præced. v. 3. ubi in fine qværitur: *& ubi relinqvetis* כבודכם *gloriam veſtram?* i. e. magnificos titulos, opes, ornamenta, qvibus adeo coram mundo ſplendetis & gloriamini. Horum verò hypotheſis hæc eſt, qvod ſenſus præcedentis verſus demum in medio verſus hujus qvarti & qvidem in voce *Atnachata* יפלו h. e. *cadent*, ſiſtatur, h. m. *ubi relinqvetis gloriam veſtram, ne incurvetur illa ſub vinctis & ſub interfectis cadat.* Ceterum ſi curatiùs inſpiciatur textus, ſatis perſpicietur, minùs rectè vocem *gloriæ*, ex præced. v. 3. aſſumtam, conſtituì *ſubjectum* verbi כרע. Etenim (1.) prius hoc verbum כרע *incurvabitur* in primo primi hujus membri territorio ita ſe habet, prout ſe habet poſterius verbum ſeqventis territorii יפלו *cadent*; Jam verò verbi illius poſterioris (*cadent ſub occiſis*)

ſubjectum ſunt *adulteratores juſtitiæ*, qvippe qvi (1.) verſu præced. 1. & 2. *deſcribuntur*, & juxta *primum* duplicis videntur eſſe ordinis, qvidam *ſuperioris*, ipſi nempe חקקי און החקקים h. e. *ſtatuentes ſtatuta doloris* (dictantes decreta iniqvitatis, qvæ dolorem affert) qvi vel ipſi ſunt *Principes terræ*, vel *primarii* ipſorum *miniſtri*, judiciorum præſides, iniqviſſimè ſæpius decernentes; qvidam verò *inferioris*, nempe מכתבים עמל h. e. *ſcribentes moleſtiam*, qvam illi (ſuperiores) כתבו *præſcripſerunt*, unde nil niſi partium moleſtiæ & gravamina; hi v. *miniſtri* ſunt *ſecundarii*, iniqva primariorum decreta vel approbantes vel extendentes vel exeqventes; juxta *ſecundum* verò verſum audiunt non tantum *corruptores juris cauſæq; pauperum*, ſed & *ſpoliatores viduarum & pupillorum*; qvos adeo DEUS ſeqv. v. 3. in perſona ſecunda ad majorem emphaſin ſic alloqvitur: *qvid facietis* &c. Ergo & eosdem juſtitiæ adulteratores reſpicit h. l. verbum prius כרע h. e. *incurvabitur* (ſc. uniusqvisqve eorum) adeoqve ſubjectum *incurvationis* non eſt *gloria*, ſed ipſi illi *juſtitiæ corruptores*. *Deinde* à propria verborum ſignificatione, cum illa commodè locum habet, non temerè eſt recedendum ad impropriam, qvalis h. l. daretur, ſi *gloria* Judicum jam deſcriptorum diceretur *ſub vinctis incurvari & ſub occiſis cadere*; Propriè autem homines, h. l. *decernentes & ſcribentes juſtitiæ corruptores*, dicuntur *incurvandi ſub vinctis & caſuri ſub occiſis*. Sed qværitur tamen ulteriùs, annon, ſi *gloria ſubjectum incurvationis* non fuerit, nihilominus hæc verba cum præcedd. ſint conjungenda, h. ſ. *ubi gloriam veſtram relinqvetis, ut non incidatis in abductionem*, ſ. *ne incurvemini ſub vinctis?* qvomodo LXX. *Vulgatus*, *Forerius*, *Tirinus*, & *Caſtalio* locum interpretantur? Reſp. negando: verba enim tertiæ perſonæ כרע *incurvatus eſt* & יפלו *cadent*, transformare in perſonam ſecundam *incurvemini* & *cadatis*, non

non est integrum; qvod tamen in dictis modò versionibus fieri videmus, necessariòqve fieri deberet, si locus noster cum versu præcedente dicto jam modo conjungendus esset, cum in præced. illo versu secundæ personæ verba obtineant. Deinde particula בלתי qvam sententiæ hujus Autores reddunt per *ut non* s. *ne*, talem significationem aliis in locis non admittit, nisi ל præfigatur, ut Deut. 17. ult. לבלתי *ad non exaltare* i. e. ne exaltet &c. Sed de isthac particula jamjam pluribus dicendum.

§. 4. Qværitur enim (2.) de voce בלתי qvid significet? utrum sit exceptiva, pronomen includens, adeoqve reddenda cum *Aria Mont.* & *Junio absqve me?* an verò *præter hoc* cum *Vatablo* & *Piscatore?* an *præter eum* vel *præterqvam* cum *Lud. de Dieu?* an verò sit conditionalis vertenda per *nisi* cum *Pagnino*, *Calvino* & *Grotio?* an *propterea*, cum *Chamiero?* an verò *ne* s. *ut non* cum *Vulg.* LXX. *Luthero*, *Castal.* & *Tirino?* Resp. Ex his significationibus nullam hîc locum invenire. Anteqvam verò speciatim illas videamus sententias nostramqve exponamus, generatim hîc præmonendum est, particulam בלתי juxta *Avenarium* notare *non*, *neqvaqvam*, & componi ex forma absoluta בלה (qvæ tamen non reperitur) & jod paragogico: vel potiùs juxta *Buxtorfium* esse à בְּלִי *non*, *sine*, *præter*, (qvod est à בַּל *non*, neqvaqvam) & habere epenthesin literæ ה idemqve significare juxta *Buxtorfium*, qvod בלי sc. *non*, *sine*, *præter*, sed freqventer componi cum præfixis ל ac מ & tunc לבלתי significare *ad non* i. e. *ut non*, s. *ne*, & מבלתי *à non*: ut Deut. 17. ult. לבלתי *ad non exaltare cor* ולבלתי *& ad non recedere* i. e. *ne exaltet & ne recedat.* Num. 14. 16. מבלתי *à non posse introducere populum* i. e. ex eo qvo non possit &c. nonnunqvam autem cum affixis 1. & 2. personæ reperiri & exponi posse *præter me*, *absqve me.* Sic Hos. 13. 4.

& *salvator non erit* בלתי *præter me*, & 1.Sam. 2. 3. בלתך *præter te.* Qvò minus verò jod h.l. in בלתי sit affixũ pronominale adeoq; (1) significet *absqve me*, vel *præter me*, multa profectò obstant, & qvidem (1.) *accentus* conjunctivus *Mapach* in בלתי qvi servus est Ducis *Paschtæ* in verbo seqventi כרע *incurvabitur.* Is enim accentus sic satis arguit, בלתי לי h.l. non esse particulam exceptivam vel similem cum affixo pronominali, sed potiùs negativam cum affixo paragogico, adeoq; significare *non*: Si qvidem & particula לא *non*, semper cum seqventi immediatè verbo, in eadem propositione, per accentum servum conjurgi solet, nisi fuerit in ditione duarum tantùm vocum, uti 1.Sam. 12. 21. Aliàs verò si particula hæc reddenda esset *absqve me*, tunc ob distinctum qvodammodo sensum acciperet accentum distinctivum & qvidem vi seqvelæ Ducem *Rbbia.* Præterea & (2.) versioni huic Junio-Tremellianæ *absqve me*, (qvæ mitigationem pœnæ vel temperamentum misericordiæ DEI, impedientis ne id fiat, qvod jure fieri posset, perperam statuit, h. s. *ecqvid facturi essetis sine me* h. e. nisi ego ratione nominis ac veritatis meæ ducerer, penitus concideretis, & *vel captivandi vel occidendi essetis*) repugnant tam proximè *præcedentia*, ubi Judicibus his corruptis (qvi subjectum sunt incurvationis) pœna indicitur, his verbis: *væ decernentibus decreta iniqvitatis* &c. qvàm *conseqventia*: non enim eodem tantum versu 4. statim epiphonema illud propheticum, in præcedentibus jam ter propositum, subjungitur: *in omnibus his ira DEI nondum est aversa, & manus ejus adhuc est extenta*; sed & seqv. v. 5. *Assur, ut virga DEI*, in populum hunc immittendus potenti voce advocatur. Si ergo antecedd. & conseqq. meram hîc pœnam justissimi Judicis corruptoribus justitiæ prædicunt, cur h. l. temperamentum misericordiæ vel mitigationem pœnæ statueremus? Tandem

dem (3.) sententiæ huic, ex prava intellectione vocis בלתי ortæ, repugnat ipsum *historiæ complementum*: siqvidem in captivitate Babylonica, h. l. prædicta, pars hominum horummet inter captivos incurvari, pars verò inter occisos cadere visa est. Hactenus de versione *absqve me*, qvæ Junio-Tremelliana. Ex qvibus præterea colligere est, nec *Ariæ Montani* versionem: *absqve me corruet sub vinctum* &c. nec *Piscatoris*: *præter hoc*, nec *Ludovici de Dieu* priorem: *præter eum*, nec posteriorem: *præterqvam qvod*, locum hîc invenire: Si enim vel maxime affixum in בלתי esset pronominale, non tamen significaret *hoc* vel *eum*, sed *me*, adeoq; nec reddi posset *præter hoc* vel *præter eum* &c. Simile judicium de illa esto versione, qvæ idem illud בלתי per *nisi* vertit, qvalis est *Pagnini* & *Grotii*, qvi locum hunc ita cum Pagnino exponit: nemo evadet *nisi qvis incurvaverit se inter vinctos aut inter occisos se abjecerit*, ne sc. vivus putetur, & sic evadat. Licet autem *B. Calovius* in *Bibl. illustr.* ad hanc Grotii glossam nihil, præter morem suum, annotaverit, minimè tamen qvadrat, uti nec illorũ expositio, qvi versionem illam *Pagnini* jam productam sic malunt interpretari: *nulla vobis erit evadendi ratio, præter vilem & sordidam submissionem, hosti factam.* Siqvidem h. l. non *media evasionis* suppeditantur vel *ratio evadendi* corruptoribus justitiæ traditur; sed væ potius illis prædicitur & pœna justissimi Judicis annunciatur, id qvod præcedd. & conseqq. probant & jamjam contra sententiam Junio-Tremellianam à nobis fuit annotatum. Relinqvitur ergo Jod in בלתי h. l. affixum esse paragogicum plane otiosum, ipsamqve adeo particulam esse negativam per *non* reddendam, id qvod infrà ad qvæst. 4. pluribus exponetur.

§. 5. Interim jam (3.) qværitur, qvomodo reddenda sit particula תחת bis h. l. posita, semel qvidem juncta voci

אסיר

אסיר ſemel autem voci הרוגים? utrum vertenda *ſub vinctis*, *ſub occiſis?* an verò *inter* vinctos, an *infra*, an *in loco* vinctorum? an verò *profundiùs quàm*, an deniqve *deorſum* h. ſ. *præterqvam qvod incurvabitur deorſum vinctus* &c. Reſp. Ultimo huic interpretamento (qvod eſt *Ludovici de Dieu*, maximèq; erroneum adeoq; primo videndum loco) huic inqvam (1.) *tota accentuationis armatura* deprehenditur adeo repugnare, ut fruſtra planè ſint nova Ludovici conamina, cum conjungenda diſtingvant & diſtingvenda conjungant adeoq; textus bene ordinati ſigna prorſus invertant. Nimirũ (1.) particula תחת utrinqve habet accentum conjungentem & qvidem in priori territorio *Munach*, in poſteriori v. *Merca* (2.) verbum כרע qvod in priori territorio ante תחת legitur, habet diſtinctivum Ducem *Paſchta*, & verbum יפלו qvod in poſteriori territorio poſt תחת legitur, ita ſeparatum eſt ab illo, ut nomen הרוגים, cum qvo תחת conjungitur, intercedat. Unde ſeqvitur (1.) תחת non eſſe hîc abſolutè ſine caſu ponendum, nec à ſeq. nomine divellendum, nec contrà cum verbo כרע *incurvatus eſt* in priori, nec cum verbo יפלו *cadent* in poſteriori territorio copulandum; ſed potiùs cum ſeqv. nomine אסיר in priori & cum participio הרוגים in poſteriori territorio conjungendum, adeoqve non *deorſum*, ſed *ſub* reddendum, (2.) dictas has voces אסיר & הרוגים, particulam תחת ſeqventes, non eſſe *caſus rectos* ſ. *nominativos*, neq; adeo reddendas per *vinctus*, *occiſi*; ſed eſſe *caſus obliqvos*, cum præpoſitione תחת conſtructos. Contrà verò ſi iſthæc Ludovici verſio locum deberet obtinere, certè verbum כרע haberet conjunctivum *Merca* & תחת in priori territorio diſtinctivum ducem *Paſchta* geminatum; in poſteriori Regem *Tipcha*, & prima vox כלתי ducem *Rbbia*, adeoqve inverſo prorſus ordine accentus incedere deberent. Unde ſic ſatis jam pateſcit, erroneam hanc ver-

versionem minimè doctis fontium scrutatoribus arridere, utut maximè illam Autori placere suo jam in principio perceperimus. Nec obstat, particulam תחת alicubi *absolutè sine casu* adhiberi & *deorsum* significare, e.c. Gen. 49.25. *abyssus jacens deorsum* s. *infrà:* nam locus ille non est parallelus, cum accentuatio longè ibi alia qvàm h. l. detur: nam תחת l. c. non cum nomine qvodam uti h. l. sed cum præcedente verbo apertè conjungitur, adeoqve sine casu absolutè ponitur indeq; absolutè sine casu per *deorsum* reddi l. c. potest; hîc verò nomen seqvitur, cum qvo illud modò post verbum, modò ante verbum, per accentum conjungentem copulatur, in qvo adeo positu non potest תחת à seq. nomine divelli nec per *deorsum* verti. Hactenus de *accentuatione*, qvæ versioni huic maximè visa est reclamare. Præter hæc verò eadem illa *qvoad rem* qvoqve *ipsam minùs* videtur *conveniens.* Qvis enim qvæso dubitat, *deorsum cadere* illum, qvi occiditur vel cadit, & illum incurvari *deorsum*, qvi vinctus vel sub vinctis incurvatur? Verùm de illa sic satis! Eandem verò *accentuationis rationem*, qva præcedentem jam oppugnavimus, versioni qvoq; *Piscatoris* opponimus, qvi particulam qvæstionis reddit: *profundiùs qvàm*, h. s. *præter hoc incurvabitur* (unusqvisqve vestrûm) *profundiùs qvam vincti* (qvi se incurvare solent versus victores) &c. q. d. procidet Rex Chiskias per Legatos supplicando Regi Assyriæ 2. Reg. 18.14. Et ubi in sacro Codice תחתי significat *comparativè profundiùs qvam?* ut plura nunc de ceteris interpretamenti hujus vitiis non moneamus, de qvibus ex præcedentibus judicium fieri facilè potest. Rectiùs verò תחת illud, qvia per accentum conjunctivum cum seqv. nomine in utroqve territorio conjungitur, rectiùs inqvam per præpositionem *sub* reddimus cum *Vulgato*, *Luthero* & *Aria Montano*, qvippe qvam communissimè solet significare;

qvanqvam reliqvæ versiones sc. *Pagnini*, *Tirini*, *Calvini*, *Grotii* reddentium *inter*, & *Junii* transferentis *infrà*, & *Vatabli* vertentis *in loco* vinctorum, & *Forerii* reddentis *pro* vinctis h. e. tanqvam vincti, à sensu loci genuino haut abeunt, qvas adeo qvoad hanc particulam non impugnamus. Perinde enim est sive dicas *sub vinctis* incurvari, s. *inter* vinctos s. *infra* vinctos s. *in loco* vinctorum &c. ubiqve n. sensum convenire putamus.

§. 6. Qværitur autem (4.) cum versiones jam examinatæ omnes, si non in omnibus, certè tamen in aliqvibus, ceu hactenus ostensum, à fonte recedant, *qvænam* tandem *fonti sit maximè congrua loci versio ac sententia?* Resp. paucis: probato jam (1.) verba hæc non esse cum præcedd. connectenda, nec *subjectum incurvationis casusqve* esse *gloriam* Judicum iniqvorum, sed ipsos potiùs judices: (2.) primam vocem בלתי non significare hîc *ut non* s. *ne*, nec *absqve me*, nec *præter hoc*, nec *præter eum* &c. sed *non*, adeoqve nec *mitigationem pœnæ*, nec *rationem evadendi*, sed *meram* hîc *pœnam* designari: (3.) particulam תחת non notare *deorsum* nec *profundiùs qvàm*, sed *sub* vel similem præpositionem, proinde talis danda est juxta fontem & contextum loci interpretatio: *non incurvabitur* (sc. unusqvisqve judicum illorum) *sub vinctis? attamen sub occisis cadent*, h. e. *Si non* incurvabitur unusqvisqve sub vinctis, tamen sub occisis cadent; q. d. aut captivi erunt illi justitiæ corruptores abducendi, aut interficiendi. Postqvam enim in præced. v. 3. DEUS in persona secunda, ad majorem emphasin, iniqvos illos judices, jam antè v. 1. & 2. descriptos, sic alloqvens fuit introductus: *qvid facietis in die visitationis? ad qvem confugietis? ubi gloriam vestram relinqvetis?* q. d. nullibi &c. mox Propheta versu hoc 4. illud, qvod versu 3. dixerat, emphaticè probat, mutatâ jam personâ dicens: **Wird nicht (ein jeder von den ungerechten Urtheilfossern) unter die**

die Gebundene (Gefangene) gebeuget werden/ so werden sie doch unter die Erschlagene fallen. Consentientem hîc laudamus B. *Varenium* in Comm. super Isai. h. l. nisi qvod ו in ותחת per *certè* interpretatur.

§. 7. Pro dubiis verò qvibusdam solvendis, qvæ suboriri cuiqvam facilè possunt, notandum adhuc 1. כרע *præteritum incurvatus est*, reddendum hîc esse per *futurum incurvabitur*, ceu patet ex subseqv. futuro יפלו *cadent:* talis enim permutatio temporum, præcipuè præteriti pro futuro, freqvens præsertim in scriptis est propheticis, qvæ rem futuram verbis præteriti temporis ob certitudinem proponunt. Conf. *Glass. Phil. Sacr.* l. 3. tr. 3. can. 46. n. 3. & *D. Wasmut.* Ebr. Restit. Reg. 22. m. 3. fin. (2.) post idem verbum כרע *incurvabitur*, per Ebraismum sæpiuscule hactenus observatum, subintelligendum esse nominativum *unusqvisqve*, sc. judicum s. corruptorum justitiæ. Conf *Glass.* ibid. can. 23. (3.) ipsum qvoqve illud verbum כרע solere modò activè *incurvavit*, modò passivè *incurvatus est* significare. Conf. Lexic. (4.) אסיר *vincto* hîc collectivè sumi pro *vinctis*, (5.) præfixum ו communissimè *copulativum*, freqventer *adversativum* esse, interdum verò commodè per *tamen* reddi, uti h. l. in ותחת. Sic Ps. 44. 18. *totum hoc evenit nobis*, ולא *tamen non oblivisscimur tui*, qvomodo & *Lutherus* vertit. Conf. *Glass. Phil. sacr.* l. 4. tr. 1. obs. 1.

§. 8. *Usus* loci qvàmplures hac vice licebit annotare, cùm exiguum qvod restat spatium justam seqventis loci exegesin non capiat, nec unqvam satis in *adulteratores justitiæ* dici scribive possit. Usus autem (1.) *Didascalicus* docet, actiones impiorum malas sive iniqvas, non minùs ac piorum bonas, objici tum notitiæ tum justitiæ Dei providentis. (2.) *Elenchicus* retundit Epicureos, divinam Universi hujus gubernationem, cui præscientia prælucet, propterea negantes vel certè in dubium vocantes, qvod *impius videatur absorbere pium*, juxta Chabac. I. 13. His verò argumentum opponimus à pœnis injustorum hîc prædictis. (3.) *Pædeuticus* hortatur ad justitiæ studium & patrocinium afflictorum: uti enim DEO *injustorum via est abominatio*, qvod ex h. l. patet: ita contrà

sectan-

sectantes justitiam diligit ipse: utrumq; confirmatur Prov. 15. 9. (4.) *Epanorthoticus* partim *castigat*, partim *revocat: castigat cum illos*, qvi vel ex temporario injustorum successu tacitam DEI approbationem colligunt; cum tamen ipse tandem gravissimè in injustos animadvertat; *tum hos* præcipuè, qvi decreta iniqvitatis decernunt & molestiam scribunt, qvi jura causasqve pauperum incurvant &c. qvomodo ipsi præcedente vers. 1. & 2. describuntur: *partim* eosdem ab iniqvitatis via & omni adulteratione juris & causarum revocat, argumento ab imminente visitationis die (cujus præcedens meminit versus) qvippe qvo die, *si non sub vinctis incurvabimini* Vos, qvi jura causasqve inflexistis erectosqve piorum animos sic incurvastis vel depressistis, *tamen sub occisis cadetis*, qvi pauperes hîc similesqve causâ sæpe suâ cadere fecistis eosqve sic non rarò occidistis. Qvod si verò vel maximè non in hac statim vita promeritam hanc *incurvationem casumqve* vel aliam privationem experturi fitis (qvam tamen in non paucis justitiæ corruptoribus olim hodieqve cum admiratione non raro observamus) sciatis tamen *DEI manum* (qvod Propheta hoc ipso addit loco) *adhuc esse extentam* & qvidem ad *miserabilem* magis *captivitatem ac mortem* sc. infernalem æternamqve. Utinam ergo in tempore saperetis! urinam vel hodie juxta *Dan. 4. 24. horrenda hæc peccata per justitiam abrumperetis* h. e. ab injustitiæ peccato per contrarium justitiæ & miserationis exercitium desisteretis adeoqve malefacta hæc vestra beneficiis pauperumqve patrocinio commutaretis! ita enim locus Danielis rectè, contra Vulgatum, juxta fontem, est reddendus. Absit verò peccata per eleemosynas, juxta Vulgatum ejusqve Patronos, s. redimi s. expiari! Id enim unico eodemqve infinito Christi merito juxta alia Scripturarum loca tribuendum. Tandem (5.) *Paracleticus* solatur *cùm illos*, qvi mundi odio propter justitiæ studium exponuntur, argumento hinc petito, qvod uti DEUS injustos severè punit, ita contrâ justitiæ sectatores gratiosè diligit; *tum hos*, qvorum jura causæqve iniqvis sive judicum decretis sive aliorum artibus premuntur, argumento à DEI justitia, qva justitiæ corruptores aliiqve oppressores sive vinculis s. occisione improvisa s. alia privatione puniuntur, ut innocentium pressorumqve causæ releventur.

Ceterùm, qvod superest, DEUM suppliciter precamur, ut Serenissimum *DUCEM* nostrum *CHRISTIANUM LUDOVICUM*, justitiæ Assertorem benignissimum, Principem clementissimum, *longæva prosperitate beet, ut Ipse qvidem* Natali *suo (qvo Dissertationem hanc Isaianam, ordine alias excipientem, proponimus) multoties feliciùsq; recurrente, principaliter reficiatur; nos verò etiam mirifico cùm pietatis & æqvitatis, sub regimine Ejus clementissimo, ulteriùs hîc regnantis, tum patrocinii indies crescentis solatio fruamur!*

Ad Clarè doctum DN. CHRYSANDRUM,

Intrâ qvadrantis anni ſpatium meo ſub præſidio tertiâ jam vice ex ISAIA, in ipſo Natali DUCIS Sereniſſimi, Reſponſurum.

PUblicitus ſtudium *bis* Virtutemqve probaſti:
Hoc non contentus rurſus utrumqve probas.
* *Joannes* Sicqve TER * ASCENDENS, cathedram ſtudioſior ORNAS
Erneſtus Teqve VIRUM præſtas elogioqve VIRES.
Chryſander. *Ornatus* ſed creſcit, ubi jam tertia magni
Anagr. NATALEM celebrat pagina ſacra DUCIS.
aſp. exſpir. Gratulor hoc *Ornamentum: ter* pulpita felix
Enter aſcendis ornans *Aſcendas*, DUCIS hoc augeat aura decus.
virtutes. *Juſtitiæ corruptores* præeunte Propheta
Corrige, qvos etiam DUX tolerare neqvit.
Ille malis pœnas PRINCEPS, Tibi præmia JUSTUS
Decernat, qvi tam ſedulitate micas.
Ille mihi vivat, vivacia fata ſenectæ
Cui voveo, redeat juſtitiæqve decus!

LMg. inter occup.

A. D. HABICHHORST, D.

WJe ſteht das rechte Recht mit Banden umbgeſtrickt/
Da die Gerechtigkeit ſelbſt für der Wuht erſchrickt!
Bald muß die Tugend-Farb die Schulden noch beſchönen/
Bald aber wil ſich ſelbſt die Boßheit in ſich kröhnen;
Es zielt der Menſchen Sinn auff das was Unrecht heiſt/
Da bald ein Mord-Gewehr ſehr tieffe Wunden reißt.
Laſt hie den Freuden-Tag uns tauſend Freude geben
Der uns den **Fürſten** gab/ der unſer Schutz und Heil.
GOtt laſſe lange Jahr den **Landes-Vater** leben/
In deſſen Lande nicht erſcheint ſolch Schwerdt und Pfeil.

* * * *

So recht! der edle Tag ſoll mehren unſern Fleiß
Und der gelehrte Mund ſoll reden hohen Preiß/
Den Preiß/ der Sonnen-gleich in Fürſten-Hoheit glänzet/
Der dieſes Landes Wonn zu jeder Zeit ergänzet.
Drum rühm ich dieſen Fleiß der in der Freud verneut
Gleich wie am hellen Tag der Menſchen Hertz ſich freut.
Des groſſen **Fürſten** Gnad ſeh auff dis Wolbeginnen;
Und wachſe freudig fort/ darin ſich völlig zeigt
Die wahre Pflicht/ ſo recht treibt alle Tugend-Sinnen/
Daß niemand ſein Gebühr im ſtillen Schlaff verſchweigt.

JOH. Feſting/ D.

Sic

SIc iterum Cathedram aſcendis, *Chryſander amande,*
Ingeniiqve tui divitis edis opes.
Sic qvid præſtiteris ſtudio ſolerte, ſacratâ
In lingvâ, tradis. Grator Amice tibi!
Cedat opus benè, qvô colitur CELSISSIMUS HEROS,
Cujus *natalem* ſpargit amœna dies.
Sit felix Feſtum! totus circumſtrepat Orbis
Gaudia, cum voto: ſingula fauſta ſient!
Vive diu ſed vive Tuis, CELSISSIME PRINCEPS,
Neſtoreos ſuperet vivida vita dies.
Vive diu, doctasqve libens defende ſorores,
Varnus ubi roſeas en tibi ſpirat opes.
Sparge ſacras, FONS UBER, *aqvas, & flumine largo*
Mentes, ora, Forum, Templa Laresq; riga.

Hæc paucula, votivâ exclamatione, in natalem Auguſtiſſimi Ducis CHRISTIANI LUDOVICI, Principis ſui clementiſſimi, apponere voluit,

BERNHARDUS Müller / Eccleſiaſtes Marianus.

JUſtitiam celebras, *Natalem* PRINCIPIS ornas!
Sic pietate nites: præmia grata feras!

Qvod animitus vovet gratulabundus Amico

M. MATTHÆUS Müller / Dantiſc.

Βέλτιον ἔργον ἑταῖρε τελεῖς πολὺφίλτατε πάντων
Ἢ οἱ γραμματέες περὶ ὧν συνεσὼς διαλέξῃ.
Αὐτοὶ ὑπερφιάλως νόμον ὕψιστου κατέβαινον,
τὸ δὲ Σὺ οὐ μόνον εὖ σεμνῶς, πάντας, παρατηρεῖς
οὓς τηρεῖν τοῖς χριστιάδαις ὀρθῶς θέμις ἐστὶ.
Ἀκριβῶς τούτου τεκμήριον αὖ διάλεξις
Ἣν Ἀκαδημίᾳ ταύτῃ κομψῶς ἐπιδείκνυς,
Εὔχομαι τοῦτο καλῶς σοι συμβαίνοι, ὦ ἑταῖρε!

Ταῦτα παραλλήλης φιλοφροσύνης ἕνεκα αὐτοσχεδίας προσέθηκε κάλαμος

JODOCI ANDREÆ HILTEBRANDI, Bahn. Pom.

(o)

DISSERTATIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM
in
ILLUSTRIORA ISAIÆ LOCA
DECIMA SEXTA
De
CONVERSIONE RELIQVIARUM ISRAEL
EJUSQVE CAUSA,
nempe
CONSUMTIONIS JHUDÆORUM PRÆCISIONE, à DEO FACTA
INQVE COPIOSAM JUSTITIAM TERMINANDA,
Ex JSAI. X. 22. 23. & ROM. IX. 27. 28.
Quam
Auſpice DEO-Homine & Ven. FCte TH. conſentiente,
PRÆSIDE
ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,
S. TH. D. EJUSDEMQVE PROF. ORDIN.
& CONSISTOR. DUC. MEKELB. ASSESS. DESIGN. NEC NON FACULT. SUÆ n. t. DECANO,
ad eruditam & placidam ſententiarum collationem
In celeberrimæ Univ. Roſtoch. Auditorio Majori.
d. Maji An. 1689. inſtituendam
proponit
JOH. GOTOFREDUS FINCKIUS,
Obersdorffio-Thuringus.

ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII Ampliſſ. Senat. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0235
DFG

LOC. VI. ISAI. X. 22. 23.

Disp. XVI.

De

Reversione reliqviarum Jsrael ex infinita ferè pereuntium multitudine, ejus q3 causa, nempe consumtionis Jhudæorum præcisione à DEO facta in q3 copiosam justitiam terminanda.

PRæterqvam qvod hic locus nonnullis difficultatibus & controversiis est obnoxius, qvas translatio τῶν LXX. ab Apostolo ad Rom. 9. 27. 28. allegata, sed non satis intellecta auxit, certè vel sola ejus Apostolica allegatio meretur, ut non prætereatur, sed paulò diligentiùs hîc inspiciatur. Qvemadmodum verò de duobus is præcipuè agit, sc. 1. de *ipsa reversione reliqviarum Jsrael*, 2. de *causa* reversionis, nempe *consumtionis Jhudæorum præcisione à DEO facta in q3 copiosam justitiam terminanda:* ita & duo præcipuè circa h. l. disputantur. Et qvidem (1.) circa *ipsam reversionem*, qvam Propheta priori prioris versus 22. membro verbis שאר ישוב designat, dicens: *Si fuerit populus tuus, Jsrael*, qvasi *arena maris* (sc. numero), reliqviæ (tamen) *revertentur ex eo*, (in eo), qværitur, *qvalis intelligatur reversio reliqviarum Jsrael*, utrum *corporalis*, an *spiritualis?* (2.) circa *reversionis* hujus *causam* sc. *consumtionis Jhudæorum præcisionem à DEO factam*, (qvæ statim posteriori prioris versus 22. membro subjicitur his verbis: כלין חרוץ שוטף צדקה i. e. juxta Vulg. *consummatio abbreviata inundat justitiam*, vel juxta Luth. **Wenn dem Verderben gesteuret wird / so komt die Gerechtigkeit überschwenglich.** & seq. v. 23. repetitur his verbis כי כלה ונחרצה יהוה עשה וגו׳ i. e. juxta Vulg. *consummationem enim & abbreviationem Dominus DEUS exercituum faciet in medio omnis terræ*) circa hanc inqvam *generatim* qværitur, qvomodo rectè verba hæc ex fonte reddenda, & *qvisnam sit verborum horuumet obscuriusculorum*, causam hanc designantium, sensus? Qvam qvæstionem

utpote priori difficiliorem, ut rectiùs expedire qveamus, plures eadem involutas ſpeciales maximeqvè controverſas ſeq. §. 3. deſignandas, evolvere neceſſum erit. Qvibus de *ſenſu* loci expeditis qvæſtionibus, *uſus* qvoqve ejus, de converſione hominis, ſed paucis, erit ſubjungendus: in campum enim locorum comunium exſpatiari his diſſertationibus non ſedet, qvippe qvi ſatis ſuperq; in ſyſtematibus pertractantur.

§. 2. Ad (1.) ſc. ipſam reverſionem qvod attinet, qværitur, qvalis hic intelligatur *reverſio reliqviarum Iſraël*, an reditus *corporalis* ad agros & oppida, an verò *ſpiritualis* ſ. *converſio ad DEUM?* Certè enim *Grotius* reſpondet affirmando prius, dum ad hæc verba: *reliqviæ convertentur*, ita commentatur: *Eſt explicatio nominis Schear Jaſub, qvod habuimus ſuprà c. 7.* (nam שאר *reliqvum* notat & ישוב *revertetur* ſ. *converteretur*) *convertentur i. e. redibunt ad agros & minora oppida pauci, qvi ſtatim adventante Sennacheribo Hieroſolyma ſe receperunt* 2. Reg. 19. 31. 2. Chron. 31. 1. Verùm depravationi huic obſtant (1.) antecedens verſus 20. à *Brentio* & *Oſiandro* diſertè huc relatus, ubi Propheta: *reliqviæ*, inqvit, *Iſraelis & evaſio Jacobi non perget inniti percuſſore ſuo* (Aſſyrio) *ſed innitetur Jhovah, Sancto Iſraelis, in veritate.* Prædixerat enim Propheta jam inde à v. 5. judicium & ultionem tyrannidis & ſuperbiæ Aſſyriacæ, & hinc pro more Prophetico, ſumta occaſione à liberatione corporali, interſerit vaticinium de beneficio per Meſſiam ſpirituali v. 20. & ſeqq. & qvidem citato verſu 20. *dicit: reliqviæ innitentur Domino Sancto Iſraelis*, qvem prælaudati Auctores *Brentius* & *Oſiander* ita exponunt: *Eo tempore, qvo Chriſtus in hunc mundum veniet, Iſraelitæ non amplius confident externis hominum præſidiis, ſed confident Domino Sancto Iſraëlis, qvi eſt Chriſtus Dominus noſter, & convertentur verè ad DEUM*, ceu exponitur ſubſeqv. ſtatim verſu 21. & hic verſus 21. (2.) adhuc cla-

clariùs gloſſæ obſtat Grotianæ, qvippe qvo Propheta diſertam explicationem & *terminum ad qvem* reverſionis addit dicens: *reliqviæ revertentur* (num *in agros & oppida, juxta Grotium?* minimè, ſed) אל אל גבור h. e. *ad DEUM fortem* i. e. *convertentur*, qvo inſigni titulo *Dei fortis puer* ille nobis natus h. e. Meſſias præced. c. 9. 5. coſmendabatur. (3.) obſtant Grotianæ noſtramqve interpretationem confirmat *Apoſtolus*, interpres omni exceptione major, ad Rom. 9. 27. locum hunc ita allegans: *Iſaias clamat pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſraël, tanqvam arena maris, reliqviæ ſalvæ fient:* ubi iisdem ex verbis reliqviarum Iſraël *converſionem* ad Chriſtum eorumqve *ſalutem* oſtendit: ſiqvidem verbum hoc Propheticum ישוב ſ. *convertetur*, ibid. per σωθήσεται i. e. *ſalvabitur*, diſertè interpretatur. Licet ergo, qvæ de converſione reliqviarum hîc prædicuntur, ad Ezechiæ etiam tempora, juxta *Hieronymi & Cyrilli* interpretationem, ſpectent; præcipuè tamen complementum tempore N. T. erant habitura juxta interpretationem Apoſtolicam: in N. enim T. *perditio Jhudæorum* ſ. *conſumtio* ſumma qvidem ſed *præciſa* erat ſeqvutura, (cujus hoc etiam loco Propheta mentionem rationis loco habet & nos ſeqv. jam qvæſtione mentionem facturi ſumus ulteriorem,) in N. qvoq; T. per Apoſtolorum conciones reliqviæ Jſrael ad Chriſtum Deum fortem ſingulari ratione ſunt converſi.

§. 3. Qværitur ergo (2.) circa *reverſionis hujus cauſam*, qvomodo rectè ſeqventia ſint reddenda, qvæ cauſam hanc deſignant, verba paulò obſcura כליון חרוץ שוטף צדקה Vulg. qvidem ſic translata: *conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam*, aliis verò ita: *Conſumtio præciſa inundat juſtitâ*, & Luthero: **Wen dem Verderben geſteuret wird/ ſo komt die Gerechtigkeit überſchwenglich/** & qvisnam horummet verborum ſit ſenſus? Hanc qvæſtionem utpote priori difficiliorem re-

ctiùs expedituri, plures eadem involutas speciales, sicut jam antè dictum, evolvere necessum erit, adeoqve speciatim hîc qværitur (1.) *qvomodo reddenda sit prima vox* כליון num h. l. *consumtionem* significet h. e. excidium s. perditionem juxta *Vatablum* & *Lutherum* qvi reddit: **Wenn dem Verderben gesteuret wird?** an verò *consummationem*, **eine Vollenziehung/ Vollendung** juxta *Vulg. Pagninum, Ar. Montanum* & plerosqve, præcipuè juxta *Ludov. de Dieu in animadverss.* ubi *Bæzam* suum exagitat, qvi per *consumtionem* vertit, & contrà vocem כליון de *consummato in mente DEI consilio*, & seq. חרוץ de *præciso decreto* exponit, talemqve loci hujus sensum insinuat: *Reliqviæ Israëlis servabuntur, qvia decretum electionis firmum est* &c. (2.) num voces כליון חרוץ sint *casus Nominativi* & seqvens צדקה *Accusativi* vel Ablativi: h. s. *consummatio* (*consumtio*) *præcisa inundat justitiam*, ceu reddit *Vulg. Pagn. Ar. Mont.* &c. vel *justitiâ, ut Munsterus, Vatabl.* LXX. &c. an verò voces כליון חרוץ sint *accusativi casus* & צדקה *nominativi* vel ablativi, subintellecto nominativo DEUS, h. s. *consummationem præcisam inundat justitia*, qvomodo *Forerus*, vel *consummationem præcisam exundare* facit (DEUS) *in justitia* vel in æqvitate, qvomodo *Ludov. de Dieu?* (3.) an *justitia* hæc *inundans* in *malam* partem sit accipienda, hoc sensu: qvod DEUS inundante justitiâ i. e. pœnis populum sit consumturus, ut pauculi sint remansuri? uti qvidam volunt; an verò in *bonam* h. s. qvod DEUS pauculos isthos ex Israel reliqvos, qvi *Sancti* fuerunt juxta Isai. 4. 3. maximâ donorum cælestium abundantiâ sit beaturus, postqvam infidelitas totum fere Israelem vastavit? ceu pleriqve censent. (4.) an & qvomodo *Apostolica loci allegatio ad Rom. 9.* qvæ versionem τῶν LXX. seqvitur atqve ita habet: λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, fonti respondeat? & an Lutherus, allegatum hunc ad Rom. 9. locum

cum h. m. vertens: **Denn es wird ein Verderben und Steuren geschehen zur Gerechtigkeit/** ad Ebræum Veteris, an ad Græcum N. T. textum respiciat? Qvæ omnia non exigui certè momenti qvæsita vel dubia, circa hanc *reversionis reliqviarum causam* sese insinuantia, qvantum instituti & pagellarum ratio patietur, sumus evoluturi.

§. 4 Ad (1.) verò speciale qvæsitum, *an prima vox* כלין in verbis causam reversionis reliqviarum designantibus, h. l. *consumtionem* s. perditionem vel excidium juxta *Vatabl.* & *Lutherum*; an verò *consummationem* **eine Vollenziehung** *juxta Vulg.* aliosqve & qvidem præcipuè juxta *Ludov. de Dieu consummatum in mente DEI consilium* significet (ceu paulo antè fuit mens ejus breviter indigitata; verba verò ipsius infrà pluribus citanda sunt & examinanda) respondemus, *nos priorem vocis interpretationem de consumtione* posteriori præferre (1.) qvia *significatio* illa vocis, qvæ est à Rad כלה satis famosa & freqvens in scripturis, & eadem vox bis tantùm occurrens, altero in loco, sc. Deut. 28. 65. eandem significationem obtinet, cum dicitur: *& dabit Dominus tibi ibidem cor pavidum* וכלון עינים *& consumtionem* (Pagn. deficientiam) *oculorum*, Luth. **verschmachtete Augen**/conf. ibi præced. v. 32. ubi vox וכלות ab eadem Radice de eadem materia illam confirmat significationem. Eqvidem R. כלה nonnunqvam significat *consummatus est ex toto*, in qva significatione reperitur etiam hoc ipso cap. 10. Isai. seqv. v. 25. וכלה זעם *& consummabitur indignatio*; qvanqvam alii reddunt *& consumetur*, vid. infr. hoc §. item Gen. 2. 2. Exod. 5. 13. &c. sed in multis Scripturæ locis non tantùm *Radix* hæc כלה significat *consumtus est totus*, qvando sc. de rebus sumitur corporalib⁹ consumtioni obnoxiis, in qva significatione reperitur etiam hoc cap. 10. Jsa. præced. v. 18. *usq; ad carnem* יכלה *consumet*: sed & *nomen* aliud

כלה iisdem punctis ab eadem R. deductum (qvod seq. statim v. 23. habetur כי כלח ונחרצה) freqventissimè notat *consumtionem totalem*. De *verbo* כלה conf. loca Job. 33. 21. יכל *consumta est caro mea à visione* i. e. defecit ne possim videre. Item Isa. 31. 3. Ps. 90. 7. Deut. 28. 32. Prov. 22. 8. Jer. 10. ult. c. 14. 12. Num. 25. 11. 2. Reg. 13. 18. De *nomine* verò כלה conf. præter seq. v. 23. etiam Isa. 46. ult. Nehem. 9. 31. (2.) qvia *contextus* priori interpretationi magis favet. Ut enim proximè præcedentes Jhudæorum *conversorum appellationes* taceamus, qvibus v. 20. 21. dicuntur (α) שאר *reliqvia*, (β) פליטה *evasio* h. e. qvi plurimis imò & innumeris jam consumtis s. excisis & rejectis *relicti* & *servati*, discrimen pereuntium *evaserunt*, qvæ duæ appellationes *consumtionem*, *perditionem*, *excidium*, *deletionem* arguunt & præsupponunt, qvæ tamen hoc in loco, pro servandis qvibusdam *reliqviis* & *evasuris*, dicitur חרוץ *præcisa*, *determinata*; certè etiam *proximè seqvens versus* 23. qvi iisdem fere verbis eandem versus 22. sententiam, addito saltem autore DEO, repetit (ceu fieri solet, cum res magnæ proponuntur & attentio est concilianda) disertè docet, sic accipienda esse verba hujusce versus 22. כליון חרוץ, qvomodo illa seqventis versus 23. verba כלה ונחרצה accipiuntut. Jam verò hæc seqventis versus verba commodissimè sic accipiuntur, ut notent *consumtionem* & qvidem *præcisam* s. determinatam, qvam juxta eundem v. 23. *facturus est Dominus Deus Zbbaoth*. Ergo & hæc versus 22. verba sic erunt accipienda. Non enim tantùm nomina כליון v. 22. & כלה v. 23. sunt cognatæ originis (sicut paulò ante fuit ostensum) idemqve sc. *consumtionem totalem* significantia: sed & voces nominibus illis adjectæ sc. חרוץ v. 22. & ונחרצה v. 23. sunt participia ab una Rad. חרץ qvæ idem qvoqve sc. *præcisam*, *determinatam* significant, oriunda. *Confirmat* idem *seq.* v. 25. ubi Deus

dicit:

dicit: *adhuc pusillum pusillum* וכלה *& consummabitur ira & furor meus* ad abolitionem (inveterationem) eorum: qvod affixum ם־ *eorum* sive referatur ad Assyrios s. Jhudæos consumtionis tamen s. præcisionis Jhudæorum determinationem verba promittunt; qvanvqam siad Jhudæos respiciat, τὸ וכלה rectius reddetur: *& consumetur* ira mea i. e. cessabit erga populum meum consumendum.

§. 5. Præterea (3.) *Parallelus* Prophetæ nostri Isai. 28. 22. locus nostræ interpretationi succurrit, qvicqvid etiam *Lud. de Dieu* ogganniat: Ibi enim eadem, qvæ h. l. v. 23. habentur, verba occurrunt, cum dicitur: וכלה ונחרצה שמעתי וגו׳ i. e. (ex versione Pagnini) *consumtionem* & (qvidem) *præcisam audivi à Domino Deo exercituum super omnem terram*, ubi Luth. **Denn ich hab ein Verderben und Steuren gehört** &c. Scilicet designatur voce כלה excidium & qvidem, ceu voces arguunt seqventes, totius regni Jhudaici, qvod DEus Prophetæ revelavit prædicendũ præfractis minarum suarum contemtoribus; qvod tamen excidium ne universale putetur, addit statim eandem, qvam h. l. vocem ונחרצה qvæ potius adjectivum s. particip. fœm. Niphal, qvam substantivum est, adeoq; *præcisionem s. determinationem* hujus consumtionis s. excidii designat, qvam DEUS simul aliqvorum gratia, qvos ereptorus erat, (qvi propterea *reliqviæ* & *evasio* suprà dicebantur) promittit. Suffragatur nobis *B. Calovius in Bibl. illustr.* ad l. c. Isai. 28. 22. Qvid obstat ergo locum hunc citatum ita reddere: *qvia consumtionem sed præcisam* (determinatam) à Domino audivi: ו enim non tantùm copulativũ sed & adversativum esse notũ est. Confirmat hanc paralleli interpretationem itidem *contextus:* Nam (1.) in præced. ad *illusores* h. e. contemtores divinarum minarum (sc. *flagelli* vel *vastationis inundantis* vel profluvii instar grassantis, ad qvã *conculcatio* futuri erant Jhudæi,

dæi, ceu dicitur præced. v. 18. & *rapiendi* vel *tollendi* v. 19. *arctan-* 20. *opprimendi ceu Philistæi in monte Prazim* v. 21. conf. 2. Sam. 5. 20. nec vulgari sed insveta ac stupida ratione puniendi v. 21.) ad harum inqvam minarum contemtores dicit Propheta in præcedd. *& nunc ne deludatis vos* (ne illudatis, ne sitis illusores) *ne forte invaleant vincula vestra* h. e. ne ob id durior captivitas vestra sit. His verò minis immediatè subjungit locum qvæstionis: *Qvia consumtionem sed præcisam audivi &c.* Eodem (2.) collimant subseqventia, qvibus Propheta consumtionem futuram confirmat sive illustrat, per *comparationem DEI cum agricola*, cujus hæc est summa: sicut agricola non semper *arat, sulcat, occat*, sed tandem *triturat:* sic DEUS postremò puniet &c. Hæc omnia nostræ succurrunt interpretationi, qvæ non sine causa paulò pluribus hîc deducere voluimus, cum & hîc contrariantẽ habeamus eundem *Lud. de Dieu*, adeo qvidem, ut & ipse locum hunc parallelum pro sua citare sententia non vereatur, & his qvidem verbis: *Sumo* כלה ונחרצה *Isai. 10. 22. sicut Isa. 28. 22. ubi procul dubio consummatum & decisum consilium significat.* Utut verò *materia* loci istius huic interpretationi vocum qvæstionis non adeo repugnet: eo ipso enim dum Propheta *consumtionem sed præcisam super omnem terram à Domino audivit*, certè etiam *consummatum & decisum DEI consilium* audivit, qvo consilio hæc *consumtio præcisa* fuit decreta; *forma* tamen vocum, de qvibus qværitur, magnum opponenti dubium formare potuisset, an sc. τὸ כלה qvod is qvidem per *consummatum* reddit, sed plerumqve *consumtionem*, aliqvando *consummationem* significat adeoq; *nomen substantivum* est, ut supra §. 4. pluribus ex locis ostensum, an inqvam illud h. l. pro *adjectivo* sive *participio* esset accipiendum & qvidem in significatione *consummati consilii*, tantum abest ut l. c. procul omni dubio, (ceu is loqvitur) id significet. Si

qvis

qvis autem regerere vellet, *abstractum* ap. Ebræos sæpius pro concreto s. adjectivo poni, ad formandum scil. Superlativum, ita ut *consummatio* hîc ponatur pro *consummatissimo*, uti Isai. 1.7. *terra vestra erit desolatio* i. e. maximè desolata; qvod & ipse *Lud. de Dieu* regerere videtur velle dicendo: *Est apud Deum* כליון חרוץ *consummatio decreti, consummatissimum decretum*; adhuc tamen remanet dubium, an sc. (1.) de *consummatione* & non potiùs de *consumtione*, & (2.) si vel maximè de *consummatione*, an statim de *consummatione consilii* s *decreti* sit accipiendum? Qvid enim opus est à famosa significatione, qva כלה τὸ plerumqve notat *consumtionem totalem*, recedere ad minus usitatam, præsertim ubi pro famosa, h. l. pro *consumtione*, contextus hic paulò antè deductus maximopere pugnat? Ad locum v. 1. Sam. 20. 33. qvem idem, ex adverso qvi est, opponit, ut obtineat, כלה qvandoqve pro *consummato* etiam *consilio* in scripturis adhiberi, inferiùs §. 7. respondetur. Interim si placet, conferri qvoq; juxta parallelum Isa. 28. hactenus inspectum, alius adhuc potest locus Dan. 9. ult. ubi denuo habentur controversæ voces Isaianæ כלה ונחרצה cum dicitur: *& usq; ad consumtionem &* (qvidem) *præcisam effundet se* &c.

§. 6. Sed & (4.) *facilitas* & *commoditas sensus* eandem nostram loci hujusce interpretationem præ adversa commendat. Ita enim optimè ejus fluit sensus: *licet infinitus ferè numerus Jhudæorum fuerit* (qvi propter infidelitatem corporaliter & spiritualiter pereunt & à regno Christi rejiciuntur;) *qvidam tamen ex illa gente relinqventur servandi, qvi convertentur ad DEUM fortem: qvia consumtio totalis* (perditio pænalis Jhudæorum) *præcisa* (determinata, in consilio Dei certis puniendorum & temporum terminis præcisè definita) *exundat justitiâ*, & Dominus Deus Zbaoth *consumtionem* sed *præcisam faciet* h. e. ita DEUS consumtionem totalem s. perditionem

Jhudæorum pænalem exeqvetur, ut plurimi qvidem suâ proh! culpa, qvippe strage infidelitatis, perituri sint; rationem tamen aliqvorum, sc. reliqviarum, in illo plurimorum excidio & anathemate sit habiturus illosqve servaturus, qvorum adeo respectu consumtio illa totalis erit determinata h.e. excidio s. perditioni obex & meta ponetur, ita ut *exundet justitiâ*. Sensum hunc verborum jam expositorum *B. Lutherus*, sæpius Metaparaphrastam agens, luculentissimè & perqvam appositè (censente sic *B. Calovio in Bibl. illustr.* h. l.) exposuit, cum verba hactenus disputata sic reddidit: **Wen dem Verderben gesteuret wird/ so komt die Gerechtigkeit überschwenglich/** q. d. consumtione præcisâ, sive postqvam *consumtio* s. perditio determinata s. meta ipsi posita s. impetus ejus abruptus est, *exundat justitia*: de qvorum tamen posteriorum verborum, nondum hîc à nobis disputatorum, sensu, qvomodo sc. *justitia exundaverit* consumtione præcisâ, seorsim qvoqve nonnulla inferiùs qvæst. 2. & 3. §. 8. differemus.

§. 7. Contrà verò (5.) *adversa aliorum sententia* de *consummatione præcisa*, præcipuè Ludoviciana, de *consummatione decreti* vel de *consummato in mente DEI consilio & præciso decreto*, juxta qvam hîc esse debet verborum sensus: *reliqviæ Israëlis servabuntur, qvia decretum electionis præcisum & firmum est*, (1.) *difficultate suâ laborat*, (2.) sensum vel hypothesin heterodoxam involvit, prætereaqve (3.) rationibus infirmis fundatur. Licet enim כלה & כליון qvibusdam in locis suprà citatis per *consummationem* rectè reddatur; hinc tamen non conficitur, eandem & h. l. qvadrare, non verò *consumtionis* significationem hîc obtinere: nam & difficulter stante hac versione sensus incedit: *reliqviæ* Israelis ex innumera multitudine convertentur & servabuntur, qvia &c. **weil die Vollenziehung (Vollendung) abgeschnitten/ geheñet/ gesteuret/ abgekürtzet.** Nec

juvat

juvat fors subintellectio vocis *consilii* vel *decreti* divini q. d. **Die Vollenziehung des Rahts oder Schlusses GOttes ist abgeschnitten/** vel vocem *supplicii* q. d. **wenn die Vollenziehung der Straffe abgeschnitten wird.** Ita enim vel vis infertur textui, vel ellipsis minùs necessaria fingitur: contrà verò sensus vocum qvæstionis sine ulla vi, sineqve ellipsi perqvam commodè fluit, uti à nobis formatur. Et qvis tandem sponte sua non intelligit, hanc *consumtionem pœnalem* sed præcisam, in consummato DEI consilio decretam esse, licet id verbis hic non dicatur? Qvod si verò, qvi ex adverso sunt, per *consummationem* intelligunt *consumtionem*, qvomodo (1.) *Piscator*, ad parallelum Isai. 28. 22. locum, paulò antè ventilatum, vocem *consummationis*, (qva vulgatus Ebræum כלה expressit) per *omnimodum interitum* exponit: qvomodo (2.) *B. Calovius in Bibl. illustr.* h. l. vocem Vulgati (*consummatio*) retinens, eandem per *perditionem* exponit, qvando versionem Lutheri tanqvam luculentissimam non minus ac nos commendat ad eamq; sic commentatur: **Denn wenn dem Verderben gesteuret wird** (*tum enim*, inqvit ille, *consummatio præscinditur & abbreviatur*, & paulò pòst: *ne penitus Israël totus consummetur & perdatur &c.* qvomodo & (3.) *B. Varenius* Comment. in Isai. h. l. vocem *consummationis* p. 294. retinens, versionem Lutheri (**wenn dem Verderben** &c.) probat & seq. pag. voces כליון & כלה per *consummatũ supplicium* exponit, imo & *consummationem, exitium* & *anathema* ibid. pro Synonymis habet &c.: Si, inqvam, vocem illam *consummationis* per *excidium* vel perditionem exponunt, utiqve qvoad rem consentiunt; qvanqvam non meminimus, Latinos autores vocem *consummationis* ita sumere, ideoqve nec credimus, illos talem vocis acceptionem probaturos: potiùs enim *consummare* juxta Lexicogr. propriè est *summam colligere & ex numeris*

pluribus coacervatis unum efficere: deinde verò cum res ex partibus constent, qvæ in unum corpus conjunctæ, sicut numeri in unam summam collecti, rem ipsam absolvunt & perficiunt, hinc *consummare* significat qvoqve *rem absolvere, perficere*, & *consummatus* idem est qvod *perfectus, absolutus &c.* Ceterum hæc non adeo nos offendunt; at verò sententia *Ludovici de Dieu* magis nos vellicat, qvi prolixè versioni Lutheranæ de *consumtione præcisa*, dicam scribit, qvasi aliud agens & assectam suum *Bezam* refutans. Ita verò ille: כלה *inqvit Beza est consumtio & innuit DEUM constituisse* ad *extremã paucitatem redigere populum ingratum; Ego verò non ad pœnam, sed ad beneficium & consolationem verba illa retulerim, & puto hæc ad executionem electionis pertinere, sub qva tamen non nego, qvin ex lege oppositorum reprobatio etiam contineatur, & per* כלה & כליון *non aliqvã consumtionem, uti nec* per נחרצה *abbreviationem aut præcisionem, sed per utrumq; consummatum in DEI mente consilium & præcisum decretum intelligo.* Sic כלה *sumitur pro consilio consummato & firmiter decreto* 2. Sam. 20. 33. & חרץ pro *definire & decernere* 1. Reg. 20. 40. *Ita hic sensus est: Reliqvi Israelis servabuntur, qvia decretum electionis firmum est*: Hactenus *de Dieu.* At verò nihil his omnibus contra nos & Bezam proficit: Non enim obstat (1.) ratio hæc: *verba textus non ad pœnam, sed ad consolationem esse referenda.* Etenim qvod nos *secundum qvid* accipimus, hoc ille *simpliciter* intelligit. Licet enim voces כליון & כלה de *consumtione* meritò nos interpretemur; non tamen simpliciter innuimus, DEUM constituisse populum ad paucitatem extremam redigere: sed ex adjecta voce חרוץ simul significamus, pœnalem hanc *consumtionem* aliqvorum gratiâ *præcidi* s. determinari s. abrumpi, ut reliqvum convertatur ad DEUM & servetur. Igitur & nos hunc locum non *simpliciter* & *directè* ad pœnam referimus,

sed

sed ad consolationem: aliàs enim Apostolo palam refragaremur, qvi certè ad Rom. 9. 27. ex h. l. Jhudæorum qvorundam conversionem & electionem probat; qvanqvam non negandum, *indirectè* etiam *reprobationem* multorum ab eodem hinc ostendi, qvod fateri etiam ipse *de Dieu* cogitur, dum verbis hactenus objectis addit seqq. *Sub qva tamen* (electione) *non nego, qvin ex lege oppositorum reprobatio etiam contineatur.* Nec obstant (2.) loca 1. Sam. 20. 33. ubi juxta *Lud. de Dieu* vox כלה sumitur pro *consilio consummato & firmiter decreto*, & 1. Reg. 20. 40. ubi חרץ pro *definire* vel *decernere*. Nam Resp. (1.) *generatim*, non seqvi כלה ap. Sam. significat *consilium comsummatum* & firmiter decretum, & חרץ in lib. Regum *definire* s. *decernere*, idqve vi materiæ substratæ s. contextus, ergo & h. l. eandem esse vocum harummet significationem, cum materia substrata & contextus ceteraqve bonæ interpretationis reqvisita (uti suprà ostensum) significationi *consumtionis* & *præcisionis* non tantùm non repugnent, sed & maxime faveant (2.) à famosa & freqventiori vocum significatione non recedendum esse ad minùs freqventem, nisi textus id urgeat; Jam autem famosam & freqventiorem vocum qvæstionis significationem esse illam, qvam nostra fert, interpretatio, aliamqve minus freqventem, præcipue qvam *de Dieu* prætendit, à contextu non urgeri ex præced. §. 4. patuit (3.) speciatim ad 1. Sam. 20. respondemus, verbum כלה (cum dicitur: *& cognovit Jonathan* כי כלה הוא i. e. juxta Ar. Montanum, *qvod conclusio hæc*, vel juxta *Lud. de Dieu*, *qvod decretum* s. definitum *esset hoc à Patre suo, ut interficeret Davidem*) commodè ibi svetam significationem retinere posse, h. m. & cognovit Jonathan, *qvod consummatum esset hoc* (fæmininum הוא pro neutro, qvo destituuntur Ebræi) *à Patre suo*, subintellige *decernendo*, vel similem vocem, cum materia

ſubſtrata id urgeat. Similiter ferè Gen. 18. 21. *videbo, an juxta clamorem ejus, qvi venit ad me,* עשו כלתה *fecerint conſummationem,* ſubintellige *peccando,* ceu ex præced. v. 20. eluceſcit. Uti ergo כלה Gen. 18. non ſignificat in ſe & formaliter *conſummatum peccatum:* ita nec 1. Sam. 20. *conſummatum decretum* ſ. *conſilium.* (4.) ad locum 1. Reg. 20. ubi dicitur: *& dixit ad eum Rex Iſrael: ſic tuum* (fuit) *judicium,* אתה חרצת i. e. juxta *L. de Dieu, tu definiſti (decidiſti)* Reſp. 1. poſſe & ibi commodè uſitatam verbi חרץ ſignificationem retineri, h. m. *tu determinaſti:* conf. contextus. (2.) propriam Radicis hujus ſignificationem eſſe *incidere, præcidere, decidere, determinare;* qvod ſi illa vel maximè l. c. per *translationem* ſignificaret *decidere ſententiam, definire, decernere,* contextu id jubente; per hanc tamen impropriam ejus acceptionem non urgeremur etiam h. l. ubi contextus id non urget, per *decretum* interpretari & qvidem *præciſum* h. e. *abſolutum:* hunc enim ſenſum ſententia, hactenus refutata involvit. Et hoc (3.) eſt contra adverſam *Ludovici de Dieu* ſententiam monendũ, qvod ſc. illa, dum voces כליון חרוץ de *conſummato DEI conſilio & præciſo ejus decreto* interpretatur, ſenſum planè heterodoxũ de *abſoluto* prædeſtinationis *decreto,* involvat, cenſente id nobiſcum *B. Calovio in illuſtr. Bibl.* h. l. Ecqvis ergo talem ſeqveretur interpretationem? Ut mirum adeo ſit, cur *B. Varenius Comm. in Iſ. p. 297.* hanc *de Dieu* ſententiam dubitanter alleget, dubiumqve præter morem non tollat.

§. 8. Ad (2.) qvod attinet, an voces jam diſputatæ כליון חרוץ qvas reddidimus per *conſumtionem præciſam* ſ. *determinatam,* ſint *Nominativi* caſus & ſeqvens צדקה ſ. *juſtitia* ſit *Accuſativi* ſ. *Ablativi* h. ſ. *conſumtio præciſa inundat juſtitiam* ſ. *exundat juſtitiâ?* an vero contrà priores ſint *Accuſativi* & poſterior vox צדקה *Nominativus* ſ. *Ablativus* ſubintellecto Nomina-

minativo *DEUS*, h.ſ. *conſummationem præciſam inundat juſtitia*, vel *exundare facit DEUS juſtitiâ?* non tam in promtu eſt reſponſio, cum in fonte caſuum ſigna non habeantur. Igitur hic ad contextus convenientiam & ſenſus commoditatem reſpiciendum eſſe cenſemus, qvem ut feliciùs aſſeqvamur, ſeqventem ſtatim qvæſtionem (3) cum hac (2) conjungemus, ſc. *utrũ juſtitia* hæc *inundans* in *malam*, an verò in *bonam* partem ſit accipienda? h. e. an juſtitia hîc ſumatur pro pœnis fluvii inſtar populum conſumturis, an pro benignitate DEI, qva reliqvias ſit maximâ donorum abundantiâ beaturus, qvibus illi futuri ſint juſti & glorioſi? Recenſebimus aliqvot ſententias, ut commodiorem textuiqve magis conformem eligere poſſimus. Qvi *juſtitiam* de pœnis accipiunt cum *Piſcatore*, & verba ſic interpretantur: *conſumtio* (i. e. deletio tam corp. qvàm ſpiritualis) *deciſa* (determinata à DEO) *fiet inundans* (ſc. terram Iſraelis, juxta ſeq. v. 23.) *juſtitiâ* ſc. DEI, i. e. pœnis, illi voces priores כליון חרוץ (*conſumtio præciſa*) pro *Nominativis* habent & poſteriorem צרקה pro *ablativo*, qvibus etiam favere videtur naturalis vocum poſitus, qvo nominativus præcedere verbum & ablativus à verbo rectus ſeqvi ſolet, qvemqve *Vulgatus* obſervavit reddens: *conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam*; Qvanqvam *Junius* contrà (licet ejusdem ſit ſententiæ cum *Piſcatore*) priores per *accuſativos* reddidit, poſteriorem v. per *nominativum*, ita locum interpretatus: *conſummationem præciſam* comſummabit *exundans juſtitia* i. e. plenè effecturus eſt ſuâ juſtitiâ, ita ut nullo conſilio, nulla vi, non ampliùs qvam exundans amnis ſiſti vel impediri poſſit. Cum verò huic interpretationi de juſtitia DEI punitiva ſeu vindicatrice reclamet (1.) *contextus*, qvippe qvi *conſolationem* proponit, qvod & ſuprà jam §. 7. fuit monitum, de convertendis ſc. & gratioſè ſervandis ex multitudine pereuntium

tium reliqviis Isræl (2.) *Apostolica loci interpretatio* ad Rom. 9.27. qvæ salutem reliqviarum Israël ex eodem ostendit, conf. supr. §. 2. proinde cum iis meritò facimus, qvi *justitiam* hanc *exundantem* s. *inundantem* in bonam accipiunt partem & qvidem pro benignitate & misericordia DEI: qvo minùs enim famosam vocis *justitiæ* significationem retinere hîc possimus, rationes jam productæ repugnant. Neqve verò insolens planè in scripturis hæc vocis acceptio est: ita enim Dan. 9.16. accipitur, cum Propheta dicit: Domine ככל־צדקותיך i. e. *secundum omnes justitias tuas* (i. e. misericordias tuas) *avertatur indignatio & ira tua à civitate* &c. item Ps. 143. 1. Conf. *Gejerus* in Dan. l. c. item *Calvinus* & *Maldonatus* in eundem. Qvi verò justitiam inundantem sic interpretantur, priores ejus voces pro *accus.* habent & posteriorem pro *nominativo*, vel, subintellecto nominativo *DEUS*, pro *ablativo*, h. s. *consumtionem præcisam inundat justitia*, s. inundare faciet DEUS *justitiâ* h. e. benignitate, gratiâ & misericordia. Qvam interpretationem suam *Forerus* ita exponit: pauculos illos, qvi ex Israele reliqvi sunt, maximâ donorum cælestium abundantiâ beabit DEUS. Similiter *B. Calovius* in Bibl. illustr. h. l. sensum loci explanat: *Consummationem* (intelligit consumtionem s. abjectionem multorum à DEO, uti suprà §. 5. ostensum) *abbreviabit Dominus* (præcidet) *ut nonnulli ex iis salventur, & tum ipsi justitiâ repleantur Christi, qvæ longè perfectissima est instar abundantissimi fontis, tum alios qvoqve inundent justitiâ & adveram justitiam perducant, illamqve instar fluminis inter gentes dispergant.* Et paulò pòst eodem ferè sensu *consummationem abbreviatam* (i. e. consumtionem præcisam) dicit esse *parvum hunc fidelium ex Jhudæis numerum, qvem effecit DEUS inundare verâ justitiâ, qvod cumprimis tempore N. T. factum*, citatqve mox *Oecolampadium*, qvi sensu non malo sic reddit: *consummata & abbreviata reliqvia*

qvia, Apostoli scilicet inundabunt alios justitiâ, utpote Doctores totius mundi. Hunc qvoq; in sensum *B. Lutherus* in glossa ad Rom. 9. 27. (ubi locus hic allegatur) luculenter illum exponit: **Ob woll das mehrer Theil dahin fället und ungläubig bleibt/ wird Er sie doch nicht alle lassen also fallen/ sondern die übrigen erhalten und durch sie sein Wort und Gnade desto reichlicher ausbreiten/ dadurch sie gerecht und herrlich werden.** Ex qvibus adeo patet, B. qvoqve *Lutherum Caloviumqve* h. l. in bonam accipientes partem, vocabulum *justitiæ* non de *justitia* DEI *vindicativa* pœnisqve divinis, sed de *justitia Christi*, reliqviis ex Israël conversis imputatâ, & per conversos qvoqve aliis abundanter communicatâ interpretari. Et licet hi qvoad verba; non tamen qvoad sensum nobis aliisqve repugnant, qvi per justitiam inundantem hîc intelligimus DEI gratiam & misericordiam: nam *gratia* Dei & *justitia Christi* sunt subordinata, cũ gratia illa Dei in merito s. justitia Christi sit fundata & credentes in Christum mirè exundet & justos faciat &c. Unde & laudatus jam *Calovius* l. c. facere non potuit, qvin p. seqv. 72. b. allegationem loci hujus ad Rom. 9. considerans, *justitiam* hanc inundantem (qvam, uti dictum p. præced. 70. de *justitia Christi* intellexerat) disertè etiam de *misericordia* DEI exposuerit his verbis: *Præscindit DEUS verbum de consummatione perficienda injustitia vel misericordia, ut consummationi modum statuat per immensam suam misericordiam.* Eòdem videtur collimare *Lud. de Dieu*, qvi ceteroqvi superiùs nobis sic satis fuit adversatus, dum *justitiam* hîc nobiscum vertit per *misericordiam*, citando qvoqve locum Dan. 9. 16. & addendo hanc rationem, *qvod opus misericordiæ & æqvitatis divinæ omnino hîc describatur.* Ita ergo ad qvæstionem 2. & 3. hîc conjunctas sic satis videmur respondisse. Ceterùm qvid obstat, qvò minùs præterea priores duas voces כלין חרוץ pro *duobus ablativis conse-*

qventiam designantibus, & posteriorem צרקה pro *nominativo* habeamus h. s. *consumtione præcisâ exundat justitia* i. e. postqvam consumtio præcisa (meta ipsi posita) fuerit, exundabit misericordia DEI, qvâ ipse post multorum, suâ proh! infidelitate pereuntium, stragem s. excisionem, gratiosè præcisam & determinatam, reliqvos ad se & Christum conversos eò largiùs & benigniùs coronabit, perqve Evangelii prædicationem & fidem in Christum, inde haustam, justos faciet? Ita Lutheri versionem totam hîc facimus nostram: **Wenn dem Verderben gesteuret wird/ so komt die Gerechtigkeit überschwenglich**: qvid enim is aliud Germanicè dicit, qvàm nos latinè: *consumtione præcisâ* (abruptâ) *exundat justitia*? conf. supr. §. 6. fin.

§. 9. Restat (4.) qvæstio de *Apostolica loci allegatione* ad Rom. 9. 27. 28. *qvæ versionem LXX- viralem sequitur* & ita habet: λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ. Ὅτι λόγον συντετμημένον κύριος ποιήσει &c. Duo verò hîc qværuntur (1.) an & qvomodo LXX & Apostolus hos secutus fonti ap. Isaiam, qvi habet כליון חרוץ שוטף צדקה respondeat? (2.) an Lutherus ad Rom. 9. hunc Isaiæ locum ita vertens: **Denn es wird ein Verderben und Steuren geschehen zur Gerechtigkeit/** ad Ebræum V. an verò ad Græcum N. T. textum respexerit, & si prius appareat, an id licuerit? Resp. ad (1.) licet *qvoad voces* (uti sæpius solent) plurimùm hîc LXX. à fonte s. textu Prophetico discrepent; *qvoad sensum* tamen, censente *Calovio* l. c. non discrepant, sed *parallelismus*, (juxta *Varen.* l. c. p. 295.) *datur pulcherrimus*. *Vocũ* verò *discrepantia* consistit in hoc, qvod 1. vocem כליון per συντελῶν reddentes, alterã à nobis suprà rejectam significationem Radicis ejus כלה sc. *consummandi* s. *perficiendi* elegerint, prætereaqve loco nominis כליון *participium* συντελῶν posuerint, eiqve vocem λόγον præmiserint. 2. vocem שוטף h. e. *inundans*, planè omiserint. 3. voci צדקה particu-

culam ב præmiserint vertentes ἐν δικαιοσύνῃ: 4. vocem seqventis versus כלה qvæ h.l. *consumtionem*, aliàs *consummationem* notat, præterierint. Qvibus discrepantiis motus olim *Beza*, in notis qvidem ad Rom. 9. 28. versionem LXX. negligentiæ accusat, illam tamen *Lud. de Dieu* in animadv. contra Bezam excusat. Ita vero qvoad voces vulgo redduntur Græca: *verbum enim consummans & abbrevians* (concidens) *in* (cum) *justitia: qvia verbũ abbreviatum* (*præcisum*) *Dominus faciet* &c. Ceterùm in *sensu* qvalis sit convenientia, paucis qvoq; discipiendum. Hîc verò potissimùm disputantur primæ voces: λόγον γὰρ συντελῶν, qvid sc. LXX. velint per λόγον? Qvod enim participiis συντελῶν καὶ συντέμνων i. e. consummans & *præcidens*, pro verbis utantur, id leve & ex Ebraismo est; subintelligunt enim verbum subst. *erit* q. d. *consummabit* & *præcidet* sc. DEUS, ex seq. v. 28. Qvid verò jam est λόγος & λόγον συντελῶν? Resp. per λόγον non videntur intelligere (1.) *verbum*, ut vulgo redditur, qvasi *verbum consummari* dicatur, cum verbum, qvod prædixit consummationem s. consumtionem, impletur & præciditur, ceu B. *Calovius* exponit in Bibl. illustr. h. l. p. 72. neqve (2.) πρᾶγμα s. *rem* q. d. *rem consummat*, de qva agitur, sc. decretum electionis, qvomodo *Lud. de Dieu*, *Vorstius* &c. nam *verbum* pro *re* sumentes Græci, non id reddunt per λόγον sed πρᾶγμα Luc. 1. 37. neqve (3.) *legem*, qvam Christus consummavit & abbreviavit, eam implendo, præcepta resecando &c. uti *Toletus* ex Patribus qvibusdam exponit: id enim à contextu alienum planè est. Igitur nobis ex Ebræis vocibus כלון Isa. 10. 22. & כלה v. 23. suprà disputatis exponenda est vox λόγος, cui ceteroqvi in fonte nulla respondet. Cum enim has voces reddiderint per λόγον συντελῶν, adeoqve ex significationibus *consummandi* & *consumendi* (qvibus vocum illarum Radix כלה gaudet) priorem elegerint, reddentes συντελῶν, & in proximè præcedd. vocem ἀριθμὸς s. *numerus*, addiderint dicendo: *si fuerit numerus populi Israel tanquam arena maris* &c. hinc rationabiliter satis colligimus, λόγον πᾶν LXX. hîc *arithmeticam* esse *vocem* per illamqve istos intelligere *rationes* s. *numerationes* & *supputationes*: *consummare* enim proprie est *summam colligere* vid. supr. §. 7. Consentit hîc *B. Varenius Comm. in Isa.* h. l. p. 295. ubi qvidem disputatas superiùs qvæstiones vix tangit, sed de allegatione LXX. & verbis λόγον συντελῶν fusiùs agit. Sensus ergo πᾶν LXX. *talis fuerit*, breviter & summatim dandus:

dus: nam & nobis jam consummandum & verba Dissertationis ptæcidenda: *Si fuerit numerus Israël tanqvam arena maris, reliqviæ salvæ fient: rationes enim consummabit* & (supputatâ pereuntium ingenti summâ, qvi certè rationarium criminale peccatorum, ceu illi Gen.18. 21. consummarunt, easdem rationes s. rationarium suum pænale suppliciorum DEUS) *præcidet* (terminabit, ut sc. aliqvalis Jhudæorum credentium & non reprobatorum remaneat numerus, qvorum intuitu illa consummatio rationum est præcisa & qvidem) *in justitia* (h. e. misericordiaDEI in merito s. justitia Christi, qvam fide apprehendent reliqvi, fundata) *qvia rationes præcisas faciet Dominus.* Ex qvibus patet LXX. & Apostolum illos secutum idem ferè *qvoad sensum* dicere, qvod Isaias suprà expositus.

§. 10. Tandem circà *Lutheri versionem ad Rom. 9.28.* divinatione haut opus est: dum enim vocem Verderben retinet, qva usus est in Isaia, certè potissimùm is ad fontem Ebræum respexisse iterumqve probasse significationem *consummationis* in vocibus כלין & כלה videtur; cetera verò cum Græcis omittens, rationem verborum Apostoli ex LXX. citatorum habuisse deprehenditur. Sed qværitur, an dimittere significationem *consummandi* ab Apostolo Rom. 9. probatam & ipsi & nobis supra §. 7. & 8. licuerit? Resp. paucis: Versionem Græcam τὸν LXX. nihil textui Ebræo nec adeo nobis & Luthero illum sectantibus præjudicare, cum versio sit notoriè in multis erronea (2.) *Allegationem verò Apostolicam* qvod attinet, notum qvoqve est, Scriptores N. T. sæpè, non semper, loca V. T. salvâ fontis Ebræi autoritate, ex LXX. (ubi sensum & intentionem locorum V. T. retinent) per συγκατάβασιν qvandam allegare, ad captum sc. gentilium Græcorum recens tunc conversorum, ut & Helleniſtarum inter Jhudæos, seculis illis Græcam τὸν LXX. versionem legentes. Igitur nec ista fonti Ebræo, nec nobis illum ejusqve contextum cum Luthero hîc secutis præjudicabit.

§. 11. *Usus* deniqve loci colligit (1.) contra *Pelag.* & *Pontif. conversionis causam principem esse DEUM,* in opus convers. ita solitariè influentem, ut omnis natural. virium cooperatio excludatur. Nisi enim DEUS *consumtionis Jhudæorum præcisionem effeciſſet*, & reliqvos *justitiâ* i. e. misericordià in justitia Christi fundatâ *inundasset*, nemo ex iis ad DEUM conversus fuisset. (2.) Contra *Calvin. decretum prædest. & reprob. non esse absolutum: Consumtio* enim *totalis* (pænalis corporal. & spirit.) Jhudæorũ *præcisa* esse h. l. dicitur, non nisi præviſæ fidei reliqviarum intuitu, ut sc. aliqvalis credentium, *Christi justitiam inundantem* apprehendentium, àDEO q; præviſorum numerus remaneret. Simile judicium de *reprobationis decreto*: contrariorum enim contraria est ratio.

Sonnet.

WAs tichtet/ richtet nicht der Sünden geiler Wille/
Läufft hie nicht Sporrenstreichs die Welt der Höllen zu
Und suchet ihre Lust da weder Rast noch Ruh?
Ach! stünde doch der Mensch hieselbst ein wenig stille
Und schaute einmahl an die theure Gnaden-Fülle/
Die GOtt bereitet hat und gibt in einem Nu!
Ach! bethe der du kanst daß GOttes Hand auffthu
Den Brunnen seiner Gnad/ und ewges Heil erquille.
Wir seh'n mit Augen an das traurige **Verderben**/
Das über GOttes Volck bereits ergangen ist;
Doch wird nach seinem Wort nicht jede Seele sterben
Schaut diesen **Vater-Kuß**/ womit er **wieder** küßt!
Ach daß zu seinem Heil sich möcht' die Mänge wenden!
GOtt woll' den Lehrern Krafft und Geistes Gabe senden!

Solches wünschte bey gegenwertiger Disputation so
ex locis Esa. 10. v. 22. 23. & Rom. 9. v. 27. 28.
rühmlichst gehalten ward/

JOHANNES Gesting/ D.
h. t. Academ. Rector.

Ad Eximium DN. FINCKIUM,

EXimium facinus! Tutu qvoqve pulpita scandis,
Et de *conversis* verba diserta facis.
Conversos celebras *reliqvos* ex clade fideles
Jhudæos, *causas* commemorasqve graves.
Qvin homines sic *converti* non posse, Jehovæ
Nos nisi *præveniat* gratia celsa, doces.
Agnoscens † exercitia prodesse studenti,
Talia proposito *fervidiore* facis.
Gratulor egregium pectus! Fac semper idipsum
Agnoscas & eris *fervidus* ejus ope.
Agnoscas mala nolle DEUM, sic *fervidus* illa
Vitans, *convertes* Temet ad ejus opes.
Maxima sic ad Te *convertet* gratia rursus,
Sit modò *conversum* sic opus usqve Tuum.

Hoc

Hoc opus auget opes animi confertqve salutem:
Testor *relliqvias*, qvos memorare sedet.
Relliqviis, qvi sunt pauci sanctiqve, freqventer
Te socies, Tibi sic certa (qvod opto) salus.

† Ioannes Gotfredus Finckius

Anagr. *L Mg.*

Agnoscens confit fervidus.

A. D. HABICHHORST, D.

SUnt multis animi nil magnæ laudis aventes,
Hinc etiam serpunt non nisi semper humi;
Non ita *Finckiades*, qvi cum de *relliquiarum*
Israel dulci verba *salute* facit,
Ingenio pollet, sapit alta, suamqve salutem
Curat & hinc studii præmia grata feret.

Quod animitus precatur præstantissimo
Dn. Resp.

M. MATTHÆUS Müller/ Dantisc.

TU qvoqvè nobiscum meditaris scripta Prophetæ,
Qvæ modò scrutator fontis, *Amice*, capit.
Ast miror, *Finki*, volucrem te prorsus inermem
Fortiter *Accipitris* qværere præsidium.
Nonne recordaris, qvàm clarus in arte † Poëta
Accipitres pingat, jungat eosqvè lupis?
† ita Ovid. l. 2. de art. am. *Odimus † accipitrem, qvia vivit semper in armis*
Et pavidum cupidos in pecus ire lupos!
Sed, *Finki*, res salva tibi! qvis parcere nescit
Mente probis? corvos qvis fovet, arte malos?
Ille columbinâ tibi mente favebit inermi,
Qvi tamen & multos scit tolerare malos.
Interea te *conversum* sic laudo sodalem,
Cum de *conversis* publica verba facis.
Perge, bonis ceptis sic gratia summa favebit
Atqvè sophus qvondam præmia justa feres.

Sic conatibus Dn. Resp. applaudere voluit

JOHANNES ERNESTUS CHRYSANDER,
Hertzbergensis Saxo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0258
DFG

DISSERTATIO EXEGETICA XVII.

IN

ILLUSTRIORA ISAIÆ LOCA,

De

OLEO,

PROPTER QVOD

ONUS AB HUMERIS JUGUMQ;

A COLLO POPULI DEI REMOTVM,

Ex ISAI. X. 27.

Qvam

AUSPICE DEO-HOMINE & Ven. FCte THEOL. consentiente,

PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

Doctore & Professore Theologo Ordinario,

Consistorii item Duc. Mekelb. Assessore design. & Amplissimi Professorum Ducalium Collegii Seniore, dictæq; FCtis suæ h. t. Decano,

Academicæ placidæqve sententiarum collationi,

In illustris Acad. Rostochiensis Audit. Majori

ad d. 28. Maji 1690. instituendæ

sistit

TIMOTHEUS Lütkemann/ Malchino-Mekl.

ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat. Typogr.

Dupl.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0259
DFG

LOC. VII. ISAI. X. 27.

Disp. XVII.

De

Oleo, propter qvod onus ab humeris jugumqve à collo populi DEI remotum.

PRæteriri hic locus de *Oleo* non debuit, cum sublimius qvid, qvàm primâ fronte apparet, promittat, adeoqve commodam nobis occasionem tempore hoc, ubi *Paschales* ferè meditationes desinunt & *Pentecostales* instant, nonnulla de CHRISTO commentandi, qvi confractor est jugi onerisqve nostri & *Oleo* Spiritus S. sine mensura unctus, præbeat, id qvod jampridem *Targum* qvoqve *Jonathan* h. l. ad vocem שמן s. *oleum*, observavit. Pro *sensu* vero loci rectiùs investigando, inspicietur (1.) *Nexus* ejusdem cum præcedd. (2.) *variæ* loci *versiones* & *interpretum* de illo *sententiæ* afferentur & examinabuntur, (3.) *genuinæ* fontiqve maximè congrua loci versio & *sententia* de *Oleo, propter qvod jugum à collo populi DEI remotum*, adstruetur; dehinc vero *usus* qvoqve ejus more nobis sveto subjungetur.

§. 2. *Nexus* loci cum præcedd. designatur prioribus loci verbis, והיה ביום ההוא i. e. *& erit in die illo:* qvibus ad proximè præcedd. versus 24. 25. 26. nonnihil controversos, respicitur, qvi describunt *alterum judicialis Assyriacæ visitationis*, versu præced. 3. indictæ, & præced Disp. 15. nonnihil expositæ, *consequens*, uti præcedente v. 22. & 23. descriptum est ejusdem visitationis prius *consequens*, qvod erat *conversio reliqviarum Israel ad DEUM fortem*, qvam superior Disp. 16. explanavit. Alterum vero *consequens* illud, cum qvo præsens connectitur locus, est *privilegium invictæ Sionis*, qvæ proinde versu præced. 24. jubetur *non trepidare ad terribilem apparatum castrensem Assyriacum* s. ob *baculum* Assyrii, qvo percussurus erat Sionem eumqve contra eandem elevaturus & qvi-

dem בדרך מצרים h. e. *more Ægypti* i. e. qvomodo Pharao Rex Ægypti contra populum DEI ſuum elevaverat baculum: & ſubjungitur ſeqv. v. 25. ratio non trepidationis, nempe decretum de *baculo DEI in Aſſyrium paulò pòſt excitando*, cum dicitur, qvod *modicum adhuc temporis ſit, qvo indignatio & ira DEI fuerit conſummata*, qvod ulterius ſeq. v. 26. declaratur h.m. *tunc* (ſc. pauſillo interjecto) *DEUS baculum excitabit contra Aſſyrium eumqve more Ægyptiaco contra eundem elevabit*, uti ſcil. ille juxta præced. v. 24. contra Sionem ſuum elevaverat baculum. Cum his vero immediatè noſter connectitur locus, qvo *privilegium illud invictæ Sionis* ab Aſſyrio preſſæ, cujus reſpectu Sion prohibebatur trepidare, exponitur his verbis: *in illo tempore* (qvo ſc. conſummabitur indignatio DEI ſuumqve DEUS baculum contra Aſſyrium, ſicut olim in Ægypto contra Pharaonem, elevabit) *illo*, inqvam, *tempore onus ejus* (Aſſyrii) *ab humeris tuis* (o Sion) *recedet, ac jugum ejus à collo tuo: &* (qvidem) *diſſolvetur jugum* משמן מפני i. e. *propter oleum.* Ubi circa præcedentes illos verſus, ad *nexum* pertinentes, in anteceſſum qværitur (1.) *qvodnam ſit ſubjectum prædicatorum* in verbis præced. verſus 24. *percutiet te baculo & baculum ſuum contra te elevabit? DEus ne an Aſſyrius?* (2.) an *unus* ſit *baculus*, cujus v. 24. & 26. habetur mentio, *an vero geminus?* Reſp. ad (1.) non in medio rem relinqvendam eſſe cum *Batavis*, qvi in gloſſa vernacula utrumqve appoſuerunt; neqve *ſubjectum* prædicatorum v. 24. ſtatuendum eſſe DEUM, prout cenſuerunt *Jun.* & *Iremellius*, ſic reddentes: *baculum ſuum efferet* (Jhovah) *pro te* i. e. *ad defenſionem & liberationem tui*; ſed *Aſſyrium.* Certè enim juxta mentem *Junii* & *Trem.* DEO ſic loqvendum v. 24. fuiſſet: *virgâ meâ percutiam te: baculum meum efferam pro te, viâ Ægyptii*: ipſe enim DEUS verbis illis v. 24. repræſentatur orator, ita compellens Sionem: *noli timere populè mi,*

mi, habitans in Zion, ob Assyrium: percutiet te baculo (sc. Assyrius ille) *& baculum suum contra te elevabit.* Patet idem ex oppositio v. 26. ubi *baculus DEI* contra Assur pro Sione elevandus, opponitur baculo Assyrii. Unde constat, baculum v. 24. elatum non fuisse pro Sione, sed contra ipsam, cujus respectu se Sion habuit *passivè*, uti Assyrius, qvippe cujus erat baculus, se illius respectu habebat *activè*, atqve adeo simul ad (2.) qvæst. respondetur, *non unum sed geminum* hîc designari *baculum:* alterum qvidem v. 24. *Assyrii* contra Sionem; alterum v. 26. *DEI* contra Assyrium pro Sione, & utrumqve *in via Ægypti* i. e. secundum morem Ægyptiacum esse elevandum. Sicut enim in Ægypto *geminus* fuit *baculus*, alter *Ægypti in populum* DEI; alter *DEI in Ægyptum* ejusqve Regem Pharaonem: ita & h. l. respectu ad utrumqve baculum habito, alterum *baculum Assyrius* contra Zionem effert, v. 24. (qvanqvam hic baculus suo etiam modo ipsius fuit DEI, per Assyrium, ut virgam iræ suæ, omne opus suum perficientis, conf. v. 5. & 12.) alterum verò baculum *DEUS* v. 26. *contra Assyrium* pro Sione effert, adeoq; baculus Assyrii activus contradistingvitur illi baculo DEI activo v. 26. ubi excidium Assyriorum cum *flagello Midianitico* (qvando sc. Duce Gideone immensa Midianitarum agmina unâ nocte cæsa, interfecto Duce Orebo, unde nomen rupi Jud. 7. 23. seqq.) & baculo ad maris rubri miraculum protenso comparatur.

§. 3. A *nexu* jam ostenso progredimur ad *varias ipsius loci versiones* & *interpretationes*, ex qvarum recensione, qvid potissimùm hîc controvertatur, eluceſcet. Circa *prius* loci *membrum* de *recessione oneris jugiqve à collo Sionis* &c. non magnopere dissentiunt Interpretes; *Posterius* vero *membrum*, qvo dicitur *jugum illud dissolvendum* מפני שמן valde controversum est: Qvidam enim hæc verba *simpliciter* & *sine mysterio*, sed

variè exponunt; alii vero *sublimius* qvid h. l. obſervant & *oleum, propter* qvod *jugum* hîc *diſſolvi* dicitur, pro *uncto* h. e. pro *Meſſia*, qvi peculiari modo *DEI unctus* eſt, accipiunt. Priores, qvi *ſimpliciter ſine myſterio* verba exponunt, in varias rurſus ſententias ſcinduntur. Nam (1.) qvidam ex his שמן f. *oleum* de *pingvedine* h. e. *felicitate* interpretantur, metaphoramqve hîc à *pingvedine corporis obeſi* ſumtam latere putant, adeoqve vocem משני nomini שמן præmiſſam per *præ* reddunt, *præ pingvedine* q. d. qvemadmodum corpora plerumqve obeſa pingvedine ſua obruuntur & ſuffocantur: ita & Aſſyrius ſuis honoribus opibusqve corrumpetur, ſ. imperium ejus, qvo populo DEI jugum & onus eſt, ob ſuperbiam nimiasqve opes delebitur, Ita *Caſtalio* & *Tirinus*. Nec procul hinc abire noſter videtur *Lutherus*, voces qvæſtionis משני שמן reddens für Fett; das Joch wird verfaulen für Fett; qvanqvam ſenſu verborum ab his differat & ſeqventi ſententiæ accedat. Alii enim (2.) in *metaphorâ* præcedentium vocum *jugi* & *oneris* i. e. imperii, perſiſtentes, *oleum* hîc allegoricè qvidem pro eo poni judicant, qvod *jugo* aut pondus adimit aut materiam diſſolvit; ſed tamen in exponenda hac Metaphora magnopere digladiantur: vel enim *metaphoram* ſumunt *ab animalibus*, qvæ ſi pingvia ſint, facilè juga laxatis nexibus pingvedine diſſolvunt; qvorſum & gloſſa *Lutheri* videtur tendere, ad verba hujus loci (das Joch wird verfaulen für Fett) hæc habens: Gleich wie ein Ochß/ wann er fett und ſtarck wird/ d ß er das Joch zerreiſſt als ein faul Seil: vel ab *agricolis*, qvi nodos jugi induratos adhibitâ pingvedine ſ. oleo laxant & ſolvunt. Ita *Forerius* h. l.

§. 4. Ceterùm huic expoſitioni Forerianæ (3.) refragatur Sanctius h. l. eamqve duobus *argumentis* inductus *refutat*, ſimulqve *aliam* affert. Argumenta qvidem refutationis hæc ſunt: qvia (1.) *uſus Ruſticorum id non ferat*, ſcil. ut nodos jugi indu-

induratos adhibitâ pingvedine sive oleo solvant, (2.) *lora ex oleo non putrescant aut inutilia fiant*, qvam tamen *putredinem* Propheta indicare hîc velle videatur, dicendo: *& computrescet jugum à facie olei:* additqve à rusticis se accepisse, qvod lora jugorum, qvæ coreacea sunt, oleo macerare & subigere soleant, ut lenta sint & tractabilia; si vero oleum absit, juga facilè arescant & rumpantur: ita *Sanctius*. Qvicqvid autem sit de *rusticorum more*, qvem laudat; tamen objectio Viri, qvam ex verbo *computrescere* format, infirmo planè talo consistit, cum *vulgatæ versionis* autoritate (qvæ verbum חבל per *computrescere* cum LXX. reddit) nitatur: ex hac enim nihil contra fontes concluditur, utut illam *Tridentini* Patres authenticam esse decreverint: verbum enim Ebræum חבל *putredinem* non admittit: unde & alii Interpretes à LXX. & Vulgato (qvos tamen *Lutherus* hîc seqvitur) rectè abeunt: nam *Jun. Trem.* & *Pisc.* illam reddunt: *disturbabitur*, item Pisc. *abrumpetur*; *Munsterus dissipabitur*, Tirinus *laxabitur*, &c. Qvod ut clariùs evadat notandum est, verbum illud חבל ex eorum esse numero, qvæ contraria significant: nam in *Kal* significat *debere, obligare, adstringere, obstringere*; sed in *Piel destringere, dissolvere*: in *Pual*, uti h. l. *dissolvi, distringi, abrumpi*. Igitur significatio *putredinis* h. l. non obtinet; *dissolutionis* vero consistit, & mysterio, qvod h. l. observam⁹, qvadrat, adeoq; rectius vox redditur per *dissolvetur*.

§. 5. Ad aliam verò expositionem qvod attinet, qvam idem *Sanctius*, rejectâ *Forerii* sententiâ, affert, ita illam proponit: *malim ergo sic exponere: computrescet jugum* i. e. *jugi lora, defectu olei: à facie olei idem est, qvod à non oleo, vel qvia oleum defuit*, simulqve illam probat (1.) ex *loco* Psal. 109. 24. ubi dicitur: *& caro mea* כחש משמן (2.) *autoritate Symmachi*, qvi voces controversas מפני שמן vertit: ἀναλειψίας i. e. *præ non unctione*, & *Apollinaris* qvi exponit: νόσφιν ἐλαίᾳ i. e. *sine oleo*, (3.) ex

Gramaticis, qvibus מ præpositum infinitivis significet *ne*, uti 1. Sam. 15. 26. מהיות *ab essendo* i. e. *ne esses*, 1. Sam. 23. 28. מרדף *à seqvendo* i. e. *ne seqveretur* (4.) ex *ratione*, qvod lora jugorum, qvæ coreacea solent esse, rumpi facileqve aresc ere soleant, si oleum defuerit. At verò nec illa *Sanctii* argumenta moramur: Nam (1.) supponitur ex versione vulgata, qvod falsum, scilicet verbum חבל significare *computrescet*, uti jam ostensum, (2.) qvod attinet locum Ps. 109. 24. Resp. (α) qvod dissimilis sit à nostro, cum hîc וחבל על מפני שמן ibi verò כחש משמן legatur. (β) Qvod interpretes circa illum Psalmi locum maximopere dissideant: Licet enim nonnulli ad mentem *Sanctii* reddant: *caro mea emaciata* est (h. e. excidit) *à pingvedine* sc. pristina, ut *Pagn. Ar. Mont.* &c. vel cum *Lutbero*: Mein Fleisch ist mager / und hat kein Fett; alii tamen vertunt: *& caro mea immutata est propter oleum*, uti LXX. i. e. propter olei usum, loco solidioris cibi; vel: *caro emaciata est propter pingvedinem*, sc. deficientem, ut *Münsterus* (γ) qvod l. c. verbum præcedens כחש propriè significet *negavit*, *mentitus*, *frustratus* est, *defecit*, ut adeo vi phraseos sensus loci illius fuerit: *caro mea defecit ab oleo* i. e. *abnegat qvasi pingvedinem*, emarcuit. Nihil ergo locus iste pro *Sanctio* firmat. (3.) Autoritati *Symmachi* & *Apollinaris*, qvi τὸ מ h. l. exponunt *negativè* s. *privativè*, opponimus autoritates aliorum, qvi dissentiunt (4.) Ad regulam Grammaticam respondemus, præfixum מ h. l. non *infinitivo*, sed *nomini* פני præponi, qvod cum particulis naturam *præpositionis* induit, ut לפני *coram*. Licet verò illud מ non rarò *nominibus* etiam præfixum, *negationem* aut *privationem* innuat, ut 1. Sam. 15. 23. *& rejecit te* ממלך *à Rege* i. e. ne sis Rex, qvod cap. 16. 1. exponitur per infinitivum *à regnando*, i. e. ne regnes, ita & 1. Reg. 15. 13. Jer. 48. 2. Mich. 3. 6. &c. Conf. *Glass. Phil. Sacr.* l. 4. Tr. 1. obs. 4. inde tamen non evincitur, qvod & h. l. eandem

nega-

negationem ſ. *privationem* innuat, præſertim cum etiam *propter* ſignificet, qvæ ſignificatio, ceu inferius §. 7. dicetur, etiam hîc qvadrare ſatis videtur. (5.) ad *rationem*, qvod *lora jugorum ſine oleo areſcant*, reſpond. illam nihil obtinere, niſi prius probetur, qvod ſupponitur, ſcilicet verbum חבל per *computreſcet* & non potius pro *diſſolvetur*, eſſe reddendum. Tandem (6.) applicatio *metaphoræ*, à loris jugorum ob defectum olei computreſcentium ſumtæ, ad jugum Aſſyriacum propter defectum olei i. e. pingvedinis ſolvendum, à contextu vel debita emphaſi deficere videtur.

§. 6. Proinde ſententiam illorum præferimus, qvi ſublimius qvid h. l. obſervant, & *oleum* hoc *jugi deſtructivum* pro *uncto* accipiunt h. e. pro *Meſſia*, in qvo qvieſcit Spiritus Jhovæ, ceu proximè ſeq. cap. XI. 1. Propheta exponit, qvo tanqvam *oleo lætitiæ unctus eſt ipſe Pſ. 45. 8.* qviqve adeo peculiari modo eſt *DEI unctus* Iſai. 61. 1. Pſ. 2. 2. Dan. 9. 24. Luc. 4. 18. 21. & in qvo fundantur *omnes omnium temporum promiſſiones* 2. Cor. 1. 20. & ad qvem idem Propheta noſter easdem diſertè refert cap. præced. 7. 14. c. 9. 6. cujusqve beneficio, non verò hominum facultate aut fortunâ, hanc liberationem fieri Propheta oſtendit. Juxta hos ergo *olei* hîc, non tanqvam *inſtrumenti per qvod*, ſed tanqvam *motivi propter qvod* jugum hoc diſſolvitur, mentio habetur.

§. 7. Præter rationes verò in præcedentibus jam inſinuatas, pro eodem ſublimiori ſenſu militat (1.) *peculiaris* & *emphaticus olei* hujus deſtructivi *poſitus*: qvis enim aſſereret, fruſtra hîc poſt *ipſam oneroſi illius jugi remotionem*, priori membro expreſſam, peculiarem *olei* hujus *deſtructivi* mentionem in poſteriori verſus membro haberi, nec potiùs hoc poſitu emphaſin qvandam & ſublimius qvid ſignificari? (2.) *ſingularis phraſis*: Non enim nudè dicitur משמן uti Pſ. 109. 24. ſuperiùs v. 5. jam citato; ſed מפני־שמן i. e. *propter facies olei* i. e. *reſpectu* illius, qvi unctus eſt *oleo lætitiæ* h. e. propter Meſſiam. *conf. Gen. 7. 7.* (3.) *deſcriptio* diſſolutoris hujus *oneris jugique*, qvippe qvæ præced. jam cap. 9. v. 3. *Meſſiæ* fuit tributa: Sicut enim hîc c. 10. v. 27. dicitur יסור סבלו ועלו i. e. *recedet onus ejus & jugum ejus; & ſolvetur jugum propter oleum*: ita & præced. c. 9. 3. ad Meſſiam (qvi ſeqv. mox v. 5. clariùs deſcribitur) diſertè dicebatur: כי את עול סבלו החתורת i. e. *qvia jugum oneris ejus confregiſti*. *Nec* (4.) *infreqvens* eſt talis *acceptio* מ, qva ſcil. *cauſam* notat *moventem*, & *propter* ſignificat. Nam Deut. 7. 8. dicitur: מאהבת i. e. *propter amorem Domini erga vos* ומשמרו i. e. *& propter cuſtodire ipſum ſacramentum* h. e. eò qvod amat vos &c. Sic Pſ. 12. 6. Pſ. 68. 30. Prov. 20. 4. Iſai. 1. 29. &c. Conf. *Glaſſ. Phil. Sacr.* l. 4. Tr. 1. obſ. 4. Add. Gen. 7. 7. מפני i. e. *propter* aqvas diluvii. (4.) *Autoritates Interpp.*

(a)

(α) *Chaldæi*, ita qvæstionis verba exponentis : יתברון עממיא מן קדם משיחא i. e. *confringentur populi de coram Messia.* Chaldæum seqvitur (β) *Tremellius* verba loci non tantùm ita reddens: *imo disturbabitur jugum propter oleum:* sed etiam sic exponens: i. e. *liberaberis propter Christum, in qvo qviescit Spiritus Jhovæ, qvi unxit eum &c.* Clariùs adhuc verterunt (γ) *Batavi:* Ende het Jock sal verdorven werden om des Gesalfden wille/ om Christi wille/ &c. Tandem (δ) suffragatur his (ut alios præteream) *B. D. Varenius, Comment. in Isai.* h. l. p. 299. ubi paucis qvidem verbis hunc locum tangit; iisdem tamen rationibus, qvibus nos utimur, sublimiorem hunc loci sensum confirmat, dicens: *Omnino pro sensu hoc eminentiori id facit, qvod oleum hoc destructivum jugi in peculiari membro ponatur, cum jam antea in m. i. expressa fuerit ipsa sublatio oneroſi jugi per* עלו יסור & יסור סבלו *atqve adeo opus haut fuerit emphatico positu illius olei: auget mentem illam positus* מפני שמן *& qvod confractor* עול סבל *c. 9. 3. sit Messias.*

§. 8. *Sensum* loci hactenus datum excipit *usus*, qvi docet (1.) qvod *Christus*, qvi per *oleum* hîc, uti diximus, designatur, sit *unctus DEI secundum excellentiam*, qvippe propter cujus merita dissolutio tanti oneris jugiqve populi DEI hîc decernitur; qvod & *David* Ps. 45. 8. confirmat, ubi DEUS dicitur *unxisse Christum DEUM oleo lætitiæ præ consortibus.* Hæc tamen *unctio* ejus (1.) non est *corporalis*, qvalis *Regum* olim ac *Sacerdotum* & *Prophetarum:* nec *Spiritualis*, qvalis fidelium; sed *singularis eminentissima* & ab omni, qvæ ceteris unctionibus adhæret, imperfectione defecata, à qva certè secunda S. Trin. persona nomen משיח s. *Messiæ*, Græcè *Christi* h. e. *uncti* habet, qvod à David primùm de Servatore usurpatum est (non 2. Sam. 23. 1. uti non omnino nulli, fontem non satis attendentes, censent, ceu in *Disp. qvadam de Messia*, ad l. c. A. 1670. ostendimus, sed) Ps. 2. 2. & repetitum à Dan. 9. 21. 26. Neqve v. hæc unctio *secundum* divinitatem Christi personæ competit: ita enim *uncta humanitas* deesset: Nec divinitas unctionis & perfectionis propter sui infinitatem est capax, neqve collationis donorum divinorum & infinitorum (qvam illa unctio notat) ad executionem officii fuit indiga; sed *juxta humanitatem*, qvia in tempore h. e. tunc facta est, qvando naturarum unio facta & *Nezer* (Messias) *egressus est ex radicibus Jischai*, ceu ex seq. cap. Isa. XI. 1. 2. patet, ubi illa unctio per *reqviem Spiritus Jhovæ super Nezer* declaratur; qvanqvam denominatio *Christi* ad *solam humanitatem* non pertinet: Sic enim deesset *ungens Deitas* & *persona Christi* ab unctionis communione excluderetur. Docet (2.) *propter Christum non tantùm spiritualia, sed & corporalia nobis obtingere bona & beneficia:* hîc enim *jugi onerisqve Assyriaci* solutio Sioni *propter Christum* promittitur. Conf. Joh. 16. 23. Job. 33. 23. 24. 25. 28. & Disp. ad h. l. de *Angelo Meliz.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0268
DFG

WAs ist die Erden-Lust? Ein Trauer-voller Wald;
Hie schwebt ein Donner-Pfeil wañ noch die Sonne scheinet/
Und da das Auge lacht/ wird bald ein Leid beweinet:
Es ist die Wildniß-Angst der Erden Lust-Gestalt.
Ein heitrer schöner Tag lockt Hertz und Sinn dahin/
Da unsrer Seelen Heil im trüben Wetter stehet/
Und diese bey der Quaal umb die Errettung flehet/
Damit sie mit der Flucht der Todes-Furcht entrinn.
Wie offt hat manchen hie der schwere Sorgen-Pfeil
Verwundet/ und gemacht viel Blutgefärbte Beulen/
Da die Hertzhafftigkeit selbst müssen kläglich heulen/
Wann je die Seelen-Noth verdunckelt alles Heil!
Doch er bedencket wol/ Mein Freund! bey dieser Zeit
Daß Christus selbsten hat den Todt und Höll geschlossen
Und über uns gesampt das Gnaden-Oel ergossen:
Hie ist die sichre Fahrt/ da diese Hülff bereit.

Bey Betrachtung solcher so wol Geist- als Leiblichen Gnaden-Hülffe GOttes/ schrieb dieses dem Herrn Respondenti nebst hertzlichen Glück-Wunsch

JOH. FESTING. D.
D. z. Acad. Rector.

Ad

Præstantissimum DN. LÜTKEMANNUM,
In Collegio Theol. disputatorio super August. Confessionem Auditorem
Resp. & Opp. planè industrium,
Publicitus nunc in Collegio ISALANO disputaturum.

REbus in absconsis qvia † LUMEN NACTUS es ingens,
Abscondi neqvit hoc, sed radiare cupit.
Hinc cathedram scandens, exemplo LUMEN honoro
Es Commilitibus. Macte decore Tuo,
Et LUMEN pius ac cathedram, qvæ NACTUS es, orna;
Nec *Vir parvus* abhinc, sed *Megalander* eris.

† LÜTKEMANNUS.
Anagr. *qvod voveo LMq;*
LUMEN NACTUS.

A. D. HABICHHORST, D.
Qvem,

REm facis egregiam, quiá nunc ſub Præſide Docto
Conſcendis Cathedram *ſedulitatis amans.*
Gratulor ex animo conatus hoſce, *Parenti*
Sic honor accreſcet, Suavis Amice, *Tuo.*

Boni Ominis ergò Præ-Eximio Domino Reſpondenti gratificaturus, adjecit.

M. J. Lindemann/
ad D. Mar. Archi-Diac.

QVem, LüTKMANNE, locum Tibi ſit mox Muſa datura,
Sat Tua Sedulitas ſignificare poteſt:
Perge viam cæptam poſthæc calcare: paratam
Invenies ſpartam; ſic mea Muſa vovet!

Hæc paucula tumultuariá planè Muſâ in honorem humaniſſimi Dn. Reſp. Amici ſui ſuaviſſimi apponere voluit

S. Engel.

WAs iſt doch in der Welt des Menſchen Thun und Leben/
Der nicht dem Himmel noch der Wiſſenſchafft ergeben?
Es iſt gantz Eitelkeit! Und der lebendig todt
Der nur diß eitle liebt und was gewinnet Brodt.
Wer aber eiffrig das/ was Göttlich iſt betrachtet/
Der iſt von GOtt allzeit und Frommen wehrt geachtet.
So Ihr/ geliebter Freund/ ſeyd billig rühmens wehrt/
Daß Euren Fleiß Ihr hie der heilgen Schrifft verehrt.
Jetzt ſieht man ſchon die Frucht und des Gemühtes Proben;
O daß nach Würden ich dieſelben könte loben!
GOtt gebe Gnad und Glück/ daß alles wohl abgeh'
Und man Euch bald bekräntzt mit Lorbeer-Zweigen ſeh!

Mit dieſen geringen Zeilen hat dem Hn. Reſpondenten, ſeinem liebwehrten getreuen Freunde/ ſeine ſonderbahre Zuneigung/ mittelſt Anwünſchung aller Glückſeeligkeit/ bezeugen wollen

BRODERUS Enewald/ Holſ.
S. S. Theol. Studioſ.

IN ILLUSTRIORA ISAIÆ LOCA
DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA
DECIMA OCTAVA
De

LIBANO

APUD ASSYRIOS,
EXSCISIS FRONDIBUS, RAMO & PERPLEXIS SYLVÆ, PER MAGNIFICUM CASURO,
nec non

SURCULO

APUD ZIONEM
EX RADICIBUS JISCHAI PRODITURO,
Ad JSAI. X. 33. 34. & c. XI. 1.

Quam
AUSPICE DEO-HOMINE, Ven. FCte THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

Doctore & Professore Theologo Ordinario, Consistorii Duc. Mekelb. Assessore, Amplissimiqve Duc. Collegii Seniore, nec non FCtis Theolog. h. t. Decano,
ad d. 20. Sept. A. 1690. in Aud. Majori Inclutæ Univ. Rostochiensis
ventilandam proponit
BRODERUS Enewald/ Tund. Holsatus.

ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Sen. Typ.

Dupl

VIRIS

Maximè Reverendis, Amplissimis atq; Excellentissimis

DN. CASPARI HERMANNO Sandhagen/

Theologo atqve Oratori Ecclesiastico famigeratissimo, Ecclesiarum Ducatûs Sleswico-Holsatici Superintendenti Generali & Concionatori aulico Gottorpiensi gravissimo &c.

DN. STEPHANO KENKEL,

S.S. Theol. Doct. celeberrimo, & apud Tunderenses Pastori Primario, nec non Ecclesiarum in Præfecturis Tunderensi ac Lügomonasteriensi Præposito dexterrimo multisq; meritis conspicuo,

Dominis Patronis & Promotoribus summoperè observandis & devenerandis:

Nec non

Plur. Rever. Clarissimis Humanissimisq; VIRIS,

DN. BOETHIO Petersen/

Ecclesiæ Fahretofftensis Pastori longè meritissimo,

DN. LAURENTIO Enewald/

Verbi divini apud Dagebüllenses, in Diœcesi Tunderensi, Ministro dignissimo vigilantissimoqve,

DN. HENRICO Riesen/

Mysteriorum divinorum Dispensatori apud Gallembüllenses fidelissimo laudatissimoqve,

Dominis Propatri & Affini, it. Parenti, nec non Præceptori qvondam nunc Fautori, filiali ac perenni honoris atq; amoris cultu prosequendis, suspiciendis

DISSERTATIONEM hanc Exegetico-Theologicam in observantiæ, gratitudinis & amoris monumentum ulteriorisqve Patrocinii, favoris ac amoris incitamentum,

Cum voto perennis in צור ישי *salutis atq; incolumitatis officiosissime dico*

BRODERUS Enewald/ R.

LOCUS VIII. ISAI. X. 33. 34.

DISP. XVIII.

De

Libano apud Assyrios, excisis frondibus, ramo & perplexis Syloæ, per Magnificum casuro sensim & cadente.

QVum seqvens proximè locus, de *Surculo Jessæo*, sic satis arduus & illustris, cum *Phytologia Prophetica* de *Libano, frondibus, ramo & perplexis Sylvæ*, qvæ hoc in loco proponitur, eleganter per allegoriam connectatur, *Libanoqve apud Assyrios casuro* opponi videatur *Surculus apud Zionem efflorescent*, non abs re fore arbitramur, si & præsentem de *Libano* locum, ante illum de *Surculo Jessæo*, nonnihil simus consideraturi. Duo verò potissimùm, qvod ad *sensum* ejus attinet, circa h. l. controvertuntur (1.) *generatim* de *nexu* qværitur, an duo hi versus, qvi *Phytologiam Propheticam* de *Libano* &c. proponunt & juxta distinctionem tam Codicum Ebræorum, qvàm Interpretum sub finem Cap. X. leguntur, ad præcedentem Pharascham de Assyrio ejusdemqve expeditione bellica pertineant, ita ut Pharaschæ illius sint epilogus adeoqve pœnam Assyrii, manum superbè suam contra Zionem, ceu v. 32. dictum, elevantis, proponant? an verò ad principium seqventis Pharaschæ sive capitis XI. de *Surculo*, ex radicibus Jischai proditurò, spectent? (2.) *Speciatim* qværitur, qvis horummet versuum duorum de *Jhovah dejiciente ramos & exscindente frondes*, ut & *de Libano cadente* sit *sensus?* Qvibus breviter expeditis *usus* qvoqve loci veniet annotandus.

§. 2. Ad *primam* qvod attinet qvæstionem, *an* scil. *duo hi versus sint clausula capitis X. an verò principium undecimi?* certè pro priori ejus membro *textus catena* videtur militare, qvippe qvæ non tantùm re qvirit, ut supplicium, qvod indicitur Assyrio, specificetur; sed etiam ut in eadem illud oratione proponatur, in qva terribilem castrorum Assyrii apparatum

tum, monti filiæ Zionis oppositum, Propheta designaverat: aliàs enim imperfecta esset orationis illius clausula, si in v. 32. sisteretur, & nova sectio à v. 33. inchoaretur, qvæ *Dominum* dicit *ramos esse dejecturum, frondes proceras excisurum casumq; Libani effecturum.* Posteriori verò qvæstionis membro favet R. *Abarbenel* statuens, novam sectionem biblicam incipere non à verbis ויצא חטר sive à *Nezer Jischaiano* c. 11. 1. sed ab הנה האדון sive ab *Adon Jhovah Zbbaoth* præced. v. 33. 34. simulqve ad codices curatiores provocat. Nos cum *B. Varenio* in Comm. super Isai. h. l. non adeo rigorosè de qvæstione illa s. sectione Textus disqvirendum esse putamus, utrum scil. versus 33. & 34. ad clausulam c. X. an verò ad initium cap. XI. sint referendi, cum constare sibi unus idemqve sensus possit, utcunqve referantur. Nam & in illa distinctione, qva duo illi versus ad principium XI. capitis referuntur, ratio *nexus* datursatis grata, scilicet hæc: Uti *Libanus apud Assyrios* h. e. Assyriorum Rex tanqvam arbor vastissima, & proceres ejus tanqvam rami proceri cæduntur &c. sic contrà *surculus Jischaianus* h. e. Messias Davidis filius, *apud Zionem efflorescit*, ut adeo nexus hic *opposita* includat dicatqve, tantùm abesse, ut per Sylvam Assyriacam h. e. per Assyrii bellatoris apparatum, Zion s. domus Davidica sit destruenda, & consangvineus ejus nempe *Surculus* Messias, domui Davidicæ promissus, (conf. præced. c. 7. & 9.) opprimendus, ut potiùs illa ipsa *Sylva* & *rami* & *frondes Libano* similes ab uno *surculo Jischai*, domui Davidis promisso, h. e. Rege Messia, qvi cadente Libano efflorescet, sint exscindendi. Interim illa Bibliorum sectio, qvam hodierni Codices nostri tam Ebræi qvàm Germanici habent, ex rationibus, priori qvæstionis membro paulò antè annexis, non est improbanda.

§. 3. Ex illis verò, qvæ de *sectione Textus* vel *distinctione versuum*

um qvæstionis diximus, nonnihil jam ipse illorum *sensus* appareret, secundo nunc loco perveſtigandus. Ubi qværitur, *ad qvos nam hi duo versus sint referendi?* an ad *Jhudæos*, adeoqve an per *Libanum* hîc casurum intelligatur *templum* Hierosolymitanum secundum, ex cedris Libani constructum, vel ipsa urbs *Jruschalem* cum Sanctuario; per *frondes* vero *proceras* indigitentur *Principes* ac Reges populi Jhudaici &c. per magnificum, *Nebucadnezar* s. *Titus Vespasianus* &c. cædens templum? An verò sint referendi ad *Assyrios*, adeoqve per *Libanum* intelligatur Rex Assyrius cum *exercitu*, qvi numerosissimis tam magnis qvam parvis constat arboribus, qvas inter vastissima ipse Rex, per ramos & *frondes* præcelsas ejusdem *proceres*, per *perplexa Sylvæ apparatus* illius castrensis, per *magnificum* ipse Jhovah Zbhaoth s. *angelus* ejus s. *Rex Messias* Surculus Jessæus? Utraqve sententia suis gaudet patronis., imò & tertia additur. Priorẽ, qvæ refert h. l. ad *Jhudæos*, tuentur qvidam cum *Calvino* & *Rabbinis*, qvi statuunt denunciari versibus his duobus calamitates Jhudæis imminentes q. d. non tantùm perveniet Assur in *Nob*, juxta versum 32. proximè præcedentem; sed & per totam regionem Jhudaicam grassabitur. Confirmant id (1.) ex seq. capite, ubi consolatio ad leniendum hunc dolorem Jhudæis affertur (2.) ex illo, qvod Assyriis non congruat Libani excidium, sed Jhudæis, qvorum limes erat *Libanus* Deut. 11. 24. qvibus etiam hîc & speciatim civitati Jruschalem applicetur Jer. 22. 6. 20. 23. Zach. 10. 10. & c. 11. 1. Priori huic sententiæ suffragatur ex Rabbinis *Abarbenel*, celebris ille Jhudaicæ incredulitatis errorumqve avitorum propugnator, qvo recutiti hodie, non aliter ac olim Goliatho Philistæi, superbiunt; qvamvis, anteqvam illam definiat, nonnihil variare & posteriori favere sententiæ vel alii etiam opinioni videatur. Dum verò locum tandem ad *solos* refert Jhudæos, geminum illis excidium hîc

prædici putat, & qvidem alterum, per *Babylonios*, futurum, verbis indicari prioribus ultimi versus ונקף סבכי היער בברזל i. e. *& succidet perplexa* (arbores perplexas) *sylvæ illius ferro*, ita ut יער sit s. *Sylva* ipsa Jruschalem; ברזל s. *ferrum Nebucadnezar*, qvi illum exscidit; alterum verò per *Romanos* futurum prædici in seqventibus verbis: והלבנון באדיר יפול h. e. *& Libanus ille* (ipse) per *magnificum* (fortem) *cadet*, ita ut *Libanus* sit *templum* ex cedris Libani constructum, *fortis* verò s. magnificus sit *Titus Vespasianus*. Alii verò posteriorem sententiam præferunt, & h. l. ad *Assyrios* referunt, ita ut hi versus præmissâ attentionis notâ *ecce*, solatium vaticinio, de Assyriorum invasione, annectent, ne scilicet descriptio progressuum exercitus Assyriaci terrore percellat Jhudæos q. d. videte miram subitamqve mutationem! audivistis furiosos Assyrii Regis hostiumqve vestrorum insultus; sed exspectate paulisper, & prostratam illorum superbiam visuri estis. Taceamus, nonnullos hunc locum ad *utrosq; referre*, & versum qvidem 33. ad *Jhudæos*, seqventem v. 34. ad *Assyrios*. conf. Poli Synops. Crit. h. l.

§. 4. Nos mediæ omnino sententiæ subscribentes, versus hosce ad solos referimus *Assyrios*, qvorum superbia per *Dominum Zbhaoth* & *Magnificum* h. l. prædicitur retundenda, ita ut consolationem locus hic importet. Nam (1.) particula attentionis הנה i. e. *ecce* novum qvid, sc. solatium, pro Jhudæis ab Assyrio pressis, indigitare videtur: unde & præfixum ו in והנה h. l. *adversativa*, rectè redditur à Luthero per Aber siehe. (2.) *Rex Assyrius* similis erat *arbori vastissimæ*, *proceres* ejus *ramis* ac *frondibus* proceris ac præcelsis, apparatus ejus castrensis *perplexis* sylvæ, *excercitus Libano*, qvã plurimis tã magnis qvàm parvis arboribus constanti, ceu *B. Varenius* locũ exponit l. c. p. 302. Neq; insolens in scripturis est, vocem *Libani metaphoricè* sumi pro eo, qvod sublime & nobile est, uti ex dicendis mox patebit.

(3.)

(3.) Qvũ *Assyrius* cũ proceribns & exercitu ſuo valde eſſet elatus magnoq; ſupercilio Zioni inſultaret (uti id præcedentia v.7. 12.13.& ſeqq. oſtendunt) & ſuperbia lapſui ſoleat eſſe vicina, hinc juſto Dei judicio prædicitur hîc illa vaſtiſſima *arbor* dejicienda, *rami* & *frondes* exſcindendæ, *perplexa ſylvæ* circumputanda *Libanus*q; ipſe caſurus. (4.) Qvum Jhudæi furioſâ hac invaſione Aſſyrii nimiopere terrerentur, DEUS miſericordiarum Pater territos ſimul conſolatione de retundendo hoſte, his verſibus inſinuata, clementer erigere dignabatur. Neqve obſtat huic ſententiæ (1.) qvod ſeqv. demum c. XI. *conſolatio* afferatur de *ſurculo ex radicibus Jiſchai prodituro* &c. Nam illa conſolatio, cap. ſeq. XI. continuata & declarata, non tollit propoſitionem ſolatii ſub finem capitis X. factam. Nam ſeqv. capite XI. vel exponitur qvis ille אדיר ſive *fortis* ſ. *magnificus*, per qvem Libanus ſit caſurus & conſeqventer populus DEI liberaturus, ſc. *ſurculus ex radicibus Jiſchai* h. e. Rex Meſſias; vel *conſolationi*, jam in fine capitis X. cæptæ ſ. propoſitæ, ſubjungitur omnis *fons* conſolationis Meſſias: vel *cauſa liberationis* Zionis *impellens* ac *meritoria* Meſſias repræſentatur, ſimiliter ac præced. loco illuſtri verſu 27. Diſp. præced. XVII. expoſito, *oleum* producitur, *propter qvod jugum erat ſolvendum*; vel uti ſupra c. VII. promiſſio liberationis domui Davidis contra hoſtes ſignatur in *filio Virginis*, *qvi Immanuel*, & ſeq. c. IX. plenius deſcribitur: ita & h. l. poſt promiſſionem liberationis Zion & deturbationis Aſſyrii in fine capitis X. factã, pro domo Davidis tantò magis erigenda *Surculus* ex eadem proditurus, idem ſc. *filius Virginis* & *Immanuel*, repræſentatur. Non obſtat (2.) Libani excidium non congruere *Aſſyriis* ſed *Jhudæis*, qvorum limes erat Libanus. Deut. 11. 24. add. Joſ. 1. 4. Nam vox לבנון (*Libani*, qvæ juxta fontem rectiùs ſcribitur *Lbbânon* ſ. *Lebbanon*) variè ſumitur & qvidem vel *propriè* pro *mon-*

te Syriæ nobili, ita dicto à *candore* (Radix enim לבן unde vox Libanon, significat *lateres subalbos fecit, dealbavit*) vel à *thuris albi copia* (mons enim Libanon arbusculis pollet thuriferis, unde לבנה *thus* ab albedine) Psal. 29. 6. Jer. 22. 6. 20. vel *impropriè* & qvidem non tantum (1.) *metonymice* tum pro *cedris* aliisqve *arboribus*, qvibus hic Libanus erat refertus Isa. 40. 16. tum pro *templo*, qvod exstructum ex Libani lignis fuit Zach. 11. 1. conf. 1. Reg. 5. v. 6. 8. 10. 14. 15. 2. Chron. 2. 8. 16. &c. & (2.) *Synecdochice* pro *terra Cananæa* s. regione populi DEI. Habac. 2. 17. Zach. 10. 10. Ad terram enim Israelitis promissam Libanus mons spectabat Deut. 1. 7. Jos. 9. 1. c. 11. 17. c. 12. 7. c. 13. 5. 6. Jud. 3. 3. Unde & Rex Salomon dicitur *ædificasse in Libano* tanqvam in loco qvi erat pars Cananææ 1. Reg. 9. 19. 2. Chron. 9. 6. imò *ædificasse domum Saltus Libani* 1. Reg. 7. 2. sed sumitur etiam (3.) *metaphoricè* pro eo, qvod *sublime ac nobile* est, uti h. l. juxta *Ravanellum* in Biblioth. sacr. in voce *Libanus*. Mons enim Libanus cedris aliisqve optimis & proceris arboribus erat decoratus, qvibus etiam Reges comparantur & illi qvi magna fulgent dignitate atqve autoritate pollent eximia Ezech. 31. 16. 18. unde & de eo, qvi ad magnam dignitatem & gloriam evectus est, dicitur *in Libano desidere inq; ipsis nidificare cedris* Jerem. 22. 23. atqve ita etiam Libanus adhibetur ad alios, præter Jhudæos, status populosqve designandum. Imò & Rex Assyriæ disertè appellatur *cedrus Libani* Ezech. 31. 3. ubi & *ramorum* ejus & *frondium* pariter ac hoc loco fit mentio v. 5. *Libanon* ergo (ceu alii hic Jhudæi annotant) nihil aliud h. l. qvàm Regem & *exercitum Assyriacum* designat, qvi robore ac multitudine Libano ejusqve arboribus comparatur. Unde *Grotius* h. l. *Libanus mons arbores plurimas sustinet: ita Rex sustinuerat exercitum.*

§. 5. *Usus* loci, per argumentum καθ' ὑπερβολην contra Jhudæ-

Jhudæos, in qvæstione *de exhibito jam Messia*, ita colligit: Si detur Rabbinis, Libanum hîc esse templum secundum Hierosolymitanum, vel urbem cum templo, per Magnificum h. e. Romanos Duce Tito Vespasiano cædendum, & Libani casum cũ surculi processione ex radicibus Jischai h. e. Messiæ exhibitione, arctissimè conjungi, certè jam Messias qvoqve noster JEsus Nazarenus in ipso temporis nexu vincit, adeoqve Nezer ille ex radicibus Jischai egressus non nisi noster est JEsus Nazarenus. Conf. *B. Varen.* l. c. p. 306. Cum enim Libanus hic per *Magnificum* fortemve *Titum Vespasianum* caderet, Nezer hic, Messias noster, jam ante 30. & qvod excurrit annos, crucifixus à Jhudæis, ad cœlos ascenderat eundemqve Libani casum populo suo in lacrymas effusus prædixerat Luc. 19. 41. Frustra igitur jam demum post 1600. annos à casu Libani s. templi secundi, speratur surculus Isaianus ex radicibus Jischai processurus, de qvo seqventi loco pluribus nunc agetur.

LOC. IX. ISAI XI. 1.

De

Surculo apud Zionem ex Radicibus Jischai prodituro & efflorescente.

LOcus hic vel eo nobis nomine considerari meretur, qvod ex Jhudæorum sententia *primum* is *Characterem* continet, qvem illi in veri nominis Messia reqvirunt, qviqve est *genealogia ex semine Davidis*, adeoqve commodam nobis occasionẽ suppeditabit, paulò penitiùs meditandi qvæstionem *de prosapia Christi Servatoris nostri* nunqvam satis laudandi neqve ad satietatem considerandi, qvippe qvæ magnis Jhudæorum & hæreticorum contradictionibus à multis retro seculis impugnatur, magnisqve difficultatibus implicatur, ita ut *Casaubonus* illam & nobilissimam & vetustissimam prorsusqve dignam in *Exerc.* 1. n. 20. *ad apparat. Annal. Baron.* censeat; ubi tamen

tamen expositionem ejus in tantæ molis Annalium fronte, tanqvàm aliqvid illorum famâ dignum, frustra se expectasse conqveritur. Qvemadmodum verò Jhudæi circa hunc Messiæ characterem s. *genealogiam* ejus *ex familia Davidis*, in thesi nobis consentiunt, fortiter ex h. l. statuentes, *veri nominis Messiam ex familia Jischai & Davidis* filii ejus *oriundum esse*: ita in *applicatione*, qva Servatori nostro, *JEsu Nazareno* vaticinium hoc competere illumqve ex stirpe Jischai & Davidis oriundum, adeoqve *veri nominis Messiam* dicimus, nimiopere dissentiunt, omnes ingenii nervos intendentes, ut eundem non ex stirpe Jischai s. Davidis natum & conseqventer *alium adhuc Messiam expectandum esse*, convincant. Ut igitur nos contrà non tantùm in *thesi & explicatione* loci, de *prosapia Messiæ*, confirmemur, sed & in hyppothesi vel *applicatione* ejus ad Dominum nostrum *JEsum Nazarenum* minimè infirmemur, sed potiùs adversis infidelium aliorumqve unum cum illis cornu inflantium phalangibus fortiter occurramus, ostendendo, *JEsum Nazarenum ex stirpe Jischai & Davidis filii ejus oriundum* adeoqve *non alium Messiam esse expectandum*, ad duo nunc præcipuè mentis nostræ oculos methodo svetâ flectemus, sc. (1.) ad *verum* loci *sensum* (2.) ad *ingentem* ejus *usum*; illic *explicationem* loci de *Messia*; hîc verò *applicationem* ejus ad *JEsum Nazarenum* solidè, sub ejusdem Dni nostri J. C. auspiciis, vindicaturi.

§. 2. Ad (1.) sc. *explicationem* loci vel *sensus evolutionem* qvod attinet, *tria* considerare capita pro isthoc evolvendo tenemur, (1.) notabilem loci cum præced. c. 10. *nexum* (2.) sublime loci *subjectum*, duplici nomine sc. חטר s. *virgæ* & נצר s. *surculi* designatum (3.) geminum loci *prædicatum*, qvo *virga* hæc & *surculus* dicitur (1.) *egredi ex trunco Jischai*, & (2.) *fructificare* s. *efflorescere ex radicibus Jischai*. *De* (1.) sc. *nexu* loci cum præced. c. 10. non temerè primo hîc loco qvæstionem movemus:

de

de illo enim variæ circumferuntur sententiæ; si verò curatiùs inspicitur, insignis planè & notabilis observatur. Qvidam v. cum *Sanctio* hanc statuunt connexionem: *postqvam de insolenti & vano Spiritu Sennacheribi egit, nunc de regno agit Immanuelis longè dissimili, fortunato & sempiterno. Incipit autem ab Immanuelis ortu.* Ita *Sanctius*. Scilicet respicit is ad versum 8. & 12. præced. c. 10. ubi insolentissima Regis Assyrii jactatio repræsentatur & objurgatur, simulqve excisio ejus ac liberatio pressi & sub insolentissimo Regis Assyrii jugo gementis Israël consignatur. Sicut enim alii Prophetæ, ita & noster occasione corporalium specialiumqve liberationum ad spiritualem & generalem hominum redemtionem per Messiam tunc futuram, cujus illæ corporales typi erant, assurgere solet, qvod & præced. Disp. 16. & 17. monitum esse recordamur. Dum verò *Sanctius* in illa connexionis explicatione mentionem *insolentis vaniq; Spiritus Sennacheribi* fecit, certè ipsum in opposito etiam *Spiritus Domini* (qvi super Regem Immanuelem ex radicibus Jischai prodituram, juxta v. 2. cap. 11. Jsai. reqvievit) mentionem facere oportuisset.

§. 3. Sed alii nexum & collationem illam aliter designant. Et qvidem *Brentius* noster talem hîc ordinem lociqve hujus cum cap. 10. connexionem observat: *Qvum dixerit Propheta c. 10. 20. reliqvias Israël non in Assyriis, sed in Domino sancto Israël fiduciam collocaturas, explicat nunc c. 11. qvis ille sit Dominus Sanctus Israël, in qvo solo fidendum est, sc. Messias, qvi exoriturus est ex radice Davidis: Subversum nempe iri arbores Assyriacas c. 10. v. 18. Sed prodituram esse surculum è Davidis trunco penè emortuo.* Brentianam hanc de nexu sententiam *B.* qvoqve *Calovius* suam facere videtur, eandem allegando nec aliam addendo *in Bibl. illustr. h. l.* Alii vero nempe *Anglicani* & *Forerius* ita h. l. cum præcedd. nectunt, ut dicant, rationem hîc reddi præcedentis illi-

us dicti memorabilis v. 27. c. 10. וחבל על מפני־שמן h. e. *& dissolvetur jugum propter oleum* i. e. *Messiam s. unctum, in qvo qvievit Spiritus Domini*, uti hîc seq. v. 2. dicitur (qvomodo & nos *illummet locum præced.* Disp. 17. sumus interpretati) & manifestiùs h. l. exponi, qvalis futura esset liberatio, de qva nonnihil Propheta præced. c. 10. dixerat scil. *per Christum, qvi unctus oleo lætitiæ præ consortibus* & unde oriundus esset ille populi DEI liberator, scil. ex eodem populo & qvidem ex familia Davidis, qvam propterea servare DEUS voluit. Eundem qvoqve nexum probare videtur *Tremellius*, dum ad l. c. nempe v. 27. c. 10. qvem ita reddit; *imò disturbabitur jugum propter oleum*, sic commentatur: *liberaberis propter Christum, in qvo qvievit Spiritus Jhovæ, qvi unxit eum, ita ut hîc sit transitio ad cap. XI. ubi Spiritus Jhovah dicitur super Christum qviescere.*

§. 4. Ut ut vero nos illam posteriorem de *nexu* sententiam non adeo rejiciamus; censemus tamen non opus esse tam longè ex præced. v. 27. connexionem arcessere, cum eadem ex proximis, nempe ultimis cap. illius verbis s. ex *Phytologia Prophetica & allegoria parallela*, evidenter peti possit: in illa enim Phytologia & allegoria *Libanus* per Magnificum *casurus* opponitur *florido Nezer* s. surculo ex radicibus Jischai processuro. Nam v. 33. & 34. *Dominus Jhovah Zbhaoth dicitur terribili apparatu deturbare ramos & perplexa sylvæ ferro circumcidere Libanusq; per Magnificum cadere.* Et statim seq. v. 1. cap. XI. subjicitur: *Et surculus exibit* &c. Scilicet ut procederet *Choter* & *Nezer* hic Jsaianus, opus erat casu illius Libani, qvi si non occidisset, nec truncus nec radices Jischai superstitassent nec adeo Nezer ex illis procedere potuisset; at verò processurus aliqvando ex seris nepotibus Davidis, *Christus*, jam tunc pro domo Davidica vigilavit illumq; Libani casum procuravit. Ceterum qvia *nexus* hujus ratio jam ad ipsummet illum de *Libano* locum

paulò

paulò ante §. 2. occasionaliter fuit expositus, nunc ad *subjectum* præsentis loci pedem promovemus.

§. 5. Circa *subjectum* verò, de qvo vaticinium præsens agit, qværitur (1.) an unum idemqve subjectum duobus his nominibus חטר & נצר hic designetur, an verò duo, ut alterum qvidem sit חטר *virga*, alterum verò נצר s. *surculus?* (2.) qvis sit ille חטר & נצר personalis, utrum *Chiskias*, an *Serubabel*, an verò *Messias?* (3.) an posteriori nomine *Nezer* respiciatur ad *Nazareth* educationis Christi Domini nostri patriam, à qva ipse dicatur Nazarenus? (4.) annon eodem nomine simul ad *conceptionem* ejus respiciatur? Ad *primam qvæstionem*, respondemus affirmando contra nonnullos Papicolas, qvi prius τὸ חטר i. e. *virgam*, de *Virgine Maria concipiente* acceperunt, inducti tum *Græcorum* versione, qva posterius nomen נצר redditū est per ἄνθος, tum *Vulgatâ*, qvæ Græcum secuta vertit per *florem*; uti ap. *Johannem de Rhada* part. 3. controv. 4. artic. ult. legere licet: imo & *Sanctius* de Maria hic nomen חטר consensu Patrum esse accipiendum censet. Neq; dissimulamus, *Hieronymū* qvoq; per *florem* s. נצר Messiam; per *virgam* Mariam ejus Matrem intelligere: *Nam nos*, inqvit, *virgam de radice Jesse sanctam Mariam virginem intelligimus, qvæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, de qva & suprà legimus: ecce virgo concipet ac pariet filium: Et florem Dominum salvatorem, qvidicit in Cantico Canticorum c. 2. ego flos campi & lilium convallium.* Ceterum huic sententiæ reclamat (1.) communis interpretum aliorumqve Patrum *Cyrilli Alexandrini, Basilii, Hilarii & Origenis* consensus, qvi *virgam* nominarunt Christum & præterea etiam *florem*. Neqve (2.) distincta statim appellativa distincta inferunt subjecta; sed prius per posterius declaratur: attentis enim scripturarum S. scrutatoribus ignotum non est, posterius nomen imò & posterius mem-

brum versus non rarò esse prioris exegeticum. Neqve (3.) Ebræa vox נצר significat ἄνθος s. *florem*, sed βλάστον s. germinationem vel surculum tenellum ex trunco excrescentem, uti vox prior חטר (qvæ tantùm h.l. & Prov. 14. 3. occurrit) propriè notat *virgam* vel *surculum* ex trunco vetustiori enatum, ex qvo paratur *baculus*, qvomodo & *R. Nathan* in *Concordantiis* exponit per מטה s. *baculum*. Unde ceteri interpretes Græci Aqvila & Symmachus & Theodotion posteriorem vocem נצר non per *florem* sed per *germen* transtulerunt. conf. *Calov.* in Bibl. illustr. ad h.l. n. 2.

§. 6, Circa *secundam* verò qvæstionem, qvinam scil. per חטר & נצר intelligendus, fatemur qvidem *Hieronymi* tempore omnes de Messia intellexisse, ceu ipse testatur dicens: *Totum hoc caput XI. & sequens de Messia tam Christiani qvàm tota circumcisio loqvi fatentur, hoc tamen discrimine, qvod Jhudæi de venturo, & regno ejus temporali omnia simpliciter ad literam accipiant; Christiani pleraq; metaphoricè de spirituali regno ejus, qvi jam venit, Christi DEI intelligant.* Non defuerunt tamen primò ex Jhudæis (qvos inter nominantur *R. Aben Esra & R. Moses Haccohen*) qvi h.l. sive de *Chiskia* sive de *Srubabele* acceperunt: Ceterum hoc qvicqvid est Sociorum commenti, variis certè validisq; rationibus retundit *R. Abarbenel*, & qvidem refutat his præprimis, qvod *Chiskias* non potuerit ut nasciturus hîc proponi (dicitur enim egressurus יצא) qvia decem jam annos erat natus, cum Jsaias hæc vaticinaretur: Nec eidem competat illa *Spiritus fortitudinis reqviescentia*, cum fortia ejus facta non reperiantur, neq; cetera prædicata vel miracula vel encomia, ut *abundantia pacis*, &c. eidem conveniant: neq; stirps Davidica tempore Chiskiæ ita fuerit accisa, ut esset גזע h. e. *aridus truncus*: erat enim adhuc stirps regia & Chiskias ab ipsa statim infantia in spem regni fuit educatus &c. Similiter posterio-

ſteriori cõmento de *Srubabel* opponit idem, qvod tantam certè dignitatem non habuerit, qvanta hîc celebratur: neqve pax ejusdem tempore viguerit, ſed horrida potius bella Virum turbarint: nec qvies ejus tam glorioſa fuerit, cum fine gloria Babylone decubuerit. Hæc certè Rabbinus diſputat contra Rabbinorum bigam! Conf. *B. Varen.* Comment. in h. l. & *B. Thilo* in medulla h. l. p. 858. 859. Nihilominus tamen aurem illis præbere maluit *Grotius*, qvàm receptiſſimam ſaniorum omnino Jhudæorum omniumqve Chriſtianorum interpretationem oſculari. Unde is ad h. l. ſic commentatus eſt: *Redit ad laudes Ezechiæ* (Chiskiæ) *ſub qvibus ſenſu ſublimiore latent Meſſiæ laudes.* At verò pudendum hoc commentum facilè refutatur: non enim (1.) in præcedd. Propheta de Chiskia egit, neqve laudes ejus decantavit: Unde nec h. l. ad easdem redire potuit: ſiqvidem in præcedd. de Meſſia egit, qvicqvid etiam Grotius oggannire non erubeſcat. Qvis enim *prædicata & nomina pueri nobis nati*, qvem Jſaias cap. 9. deſcribit, ut ſunt: *DEUS fortis*, *Pater æternitatis*, Chiskiæ homini tribueret, ceu Diſp. præced. 12. & 13. eſt oſtenſum. Si vero ad laudes ejus h. l. redit Propheta, de qvo præced. c. 9. egit, certè non Chiskiam ſed Meſſiam hîc proponi, cenſendum erit. Præterea (2.) *ſublimitas* reliqvorum etiam *prædicatorum* atqve *elogiorum*, qvæ Surculo hîc tribuuntur ex trunco Jiſchai proceſſuro, i. e. *non ſecundum viſionem oculorum judicare neq; ſecundum aurium indicium arguere* &c. nulli mundano Regi poſſunt vendicari, id qvod pluribus contra *Grotium* deduxit *B. Calovius* Bibl. illuſtr. h. l. n. 1. Qvid? qvod eidem omnes obſtant rationes, qvas Abarbenel acerrimus ceteroqvi Chriſtianorum antagoniſta, Sociis oppoſuit ſuis & nos paulò ante ſummatim adducere pigrati non ſumus. Unde nec immerito *Friſchmutius* in Diſp. ad h. l. cap. 1. §. 1. ſcribit: *Pudeat Grotium, qvod planè nullâ anti-*

Qvitatis habitâ ratione tam prodigiosæ audaciæ crimine se constringere nullus dubitavit, ut ipsis Jhudæis deterius reliqverit interpretamentum. Certè enim non tantum pleriqve recentiores Ebræorum Commentatorum *B. Salomo*, *Kimchi*, *Abarbenel*, &c. qvibus ipse suffragatur *Lipmannus* in Nizzachon: sed & prisci Ebræorum Magistri magno consensu de Messia locum hunc acceperunt, id qvod vel ex vetustissima paraphrasi Chaldaica *Jonathanis* constabit, ex qvo si qværatur, qvis ille sit *Choter* atq; *Nezer*, proditurus de trunco Jischai, clarâ voce respondet: יפוק מלמא מבנוהי דישי ומשיחא מבני בנוהי יתרבי i. e. *egredietur Rex de filiis Jschai & Christus de nepotibus ejus progerminabit* (magnificabitur) &c. Nobis ergo verum loci sensum scrutantibus dubium non est, qvin Jsaias, h. l. postqvam bellicam Assyrii expeditionem simul atqve excidium ejus prædixisset & conseqventer afflictam Zionem solatus esset, majoris omnino consolationis gratiâ, ad promissionem de Messia tanqvam omnis consolationis fontẽ progrediatur, qvem adeo clarè simul ac emphaticè describit, ut mirum sit, reperiri nonnullos, qvi tam illustrem locum interpretamentis adeo siniſtris depravari non verecundentur. Confirmamur allegatione Rom. 15. 12.

§. 7. Qværitur hac occasione (3.) an posteriori nomine *Nezer* respiciatur ad civitatem Nazareth, ubi Dominus noster JEsus Christus est educatus, unde & *Nazarenus* vocatur, adeoqve an Matthæus c. 2. 23. scribens: *habitaculum accepit in Nazareth: sic impletum est, qvod dictum per Prophetas:* ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται i.e. *Nazarenus vocabitur*, originaliter ad hoc *Nezer Jsaianum* respiciat? Illud certè dubiũ qvondam suspensum tenuit *Hieronymũ*, qvi qvæstionem modò cum veteribus Ebraicè doctis *affirmat Epist. ad Pammach. de opt. interp. gener* c. 9. *& præfatione in Pentateuchum* simulq; in LXX. invehit, qvod pro Nazaræo *florem* ponendo, jam dictam Matthæi allegationem fecerint desperatam; modò *negat* in *Comment. ad Jsai* 11, & priora

ra eam ob rationem retractat, qvod Ebræum נצר *Nezer*, qvod *Surculum* notat, h. l. per צ *Tsade* dicatur; *Nazaræus* verò â verbo נזר per *Zain* scribatur & hinc *in Comment. ad Matth. c. 2.* putat, qvod allegatum illud Propheticum: *Nazaræus vocabitur*, non ex uno qvodam Propheta sit petitum, sed ex eo potius, qvod omnes Prophetæ prædixerunt, Dominum fore sanctum DEOqve ceu Nazaræi consecratum. Nos eqvidem fatemur, aliqvid subesse causæ, cur *Hieronymus* sententiam correxerit suã: Nam litera Ebræa צ in N.T. plerumq; redditur per Græc. *Sigma* e. c. צבאות per Σαβαὼθ, ציון per Σιὼν &c. contrà verò litera ז per ζ exprimitur, ut זבולון per Ζαβελὼν, זרובבל per Ζοροβάβελ &c. Unde & *Nazaræus* ille Matthæi scribendus esset in N.T. per *Sigma* Ναασραῖος, si ad hoc נצר s. *Nezer* Isaianum respectus haberetur; Jam verò in N.T. reperitur per ζ scriptum Ναζωραῖος Matth. 2. 23. Marc. 10. 47. & Ναζαρηνὸς Marc. 1. 24. &c. Ceterùm hanc *scriptionis rationem* satis esse nego. Nam (1.) Dominus noster *JEsus Nazarenus* non fuit ex נזירים s. *Naziræis* s. *votivis* s. *imperatis* Conf. *B. Varen.* h. l. concl. 7. Qvomodo igitur Matthæus in allegatione dictâ c. 2. 24 ad illos respicere *Naziræos*, & τὸ Ναζαρεῖον interpretamentum esse τῶν נזיר potuit, & non potiùs eodem ad hunc נצר s. *surculum* nostrum in Nazareth conceptum & educatum respici debuit? (2.) Ceteræ N.T. scriptiones, qvibus צ per sigma & ז per ζ exprimitur huic nostræ non possunt præjudicare, qvia *Syrus* ap. Matth. 2. 24. ita habens נצריא רחקירא (scribimus Ebræis, qvia Syriacis hîc literis destituimur) i. e. *Nazaræus vocabitur*, non habet *Zain* sed *Tsade*. Si verò hac allegatione ad vocem נזיר s. Naziræi respexissent, non צ sed ז adhibuissent (3.) Græci Scriptores qvia carent literâ, qvæ valet *ts*, cujus sonus est in Ebræo צ, hinc illud modo per simplex Sigma, modo per ζ exprimere solent. (4.) Consensus veterum Ebræorum ostendit *Nazareth* ac *Nazaræ-*

zaræum non esse à voce Ebræa נזר qvæ ז habet, sed à נצר qvæ צ continet. Conf. B. *Varen.* l. c.

§. 8. Qværitur tandem (4.) an hoc nomine *Nezer* & *Nazareni* ad solam Christi *educationem* & habitationem in *Nazareth*, non verò simul ad *conceptionem*, qvâ Christus ex *trunco Jischai* mediante *Maria* matre *processit*, atqve ex *radicibus Jischai efflorvit*, ceu h. l. dicitur, respectus habeatur? Resp. Matthæum qvidem c. 2. ult. nomen *Nezer Nazareni* ad *educationem* & *habitationem* in Nazareth applicare, qvippe qva magis hæc nomenclatura innotuit; sed non exclusivè id accipiendum: qvia Christus Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ex illo planè momento, qvo ex *trunco Jischai* mediante Maria matre (in *Nazareth* habitante Luc. 1.) *exivit*, *processit*, *conceptus est* (illud enim h. l. verbum יצא notare, in seqq. tradetur) atqve ex *radicibus Jischai efflorvit*, ceu h. l. iterum dicitur, ex illo, inqvam momento *Nezer* s. *surculus* fuit, uti h. l. vocatur, vel *Zemach* s. *germen*, uti supra *Jsai.* c. 4. 2. ut & *Jerem.* 23. 6. c. 33. 15. *Zach.* 3. 8. c. 6. 12. appellatur; ut adeò *processus* ille *efflorescens*, qvi de *Nezer* h. l. prædicatur, fuerit uterinus h. e. *conceptionis* in *Nazareth* factæ, ad qvam proinde Nazareth, tanqvam conceptionis Christi patriam, nomine *Nezer* hîc respicitur, non exclusâ tamen *educatione*, qvæ magis illammet nomenclaturam notificavit, qva ratione Matthæus illam ad educationem applicavit. Ceterùm de prædicato יצא s. egressione personali jam ulterius agendum erit.

§. 9. Circa *prædicatum*, qvo *surculus* noster prædicitur (1.) *egredi ex trunco Jischai*, (2.) *fructificare* s. *efflorescere ex radicibus ejus*, *duo* veniunt *notanda*, *tria* verò *qværenda*. Notanda (1.) egressionis & fructificationis *actus* (2.) ejusdem *principium materiale* sive *terminus à qvo*, sive surculi hujus *origo & ortus*. *Actus* describitur verbis ויצא i. e. *& egredietur*, atqve יפרח i. e. *fructificabit*, *efflorescet*. Prius verbum יצא *exivit*, *egres-*

greſſus eſt, ſicut aliàs non raro (vide Mich. 5. 1. &c.) ita & h. l. *egreſſionem* notat *perſonalem*, qvæ fit per *generationem propriiſſimam*, ita ut Perſona egrediens intelligatur genita ex gignentis ſubſtantia. Poſterius יפרה ſignificat *fructificabit, creſcet*. Chaldæus exponit per יתרבי, qvæ vox qvare in opere Anglicano reddatur per *ungetur*, non videmus. Rectiùs verò *Buxtorfius in Lex. Talmud. Rabb.* Chaldæi mentem expoſiturus ait, idem eſſe ac *futurũ eſt, ut manifeſtetur & magnificetur*: eſt enim à R. רבה *multus fuit* &c. Dein verò ſurculi hujus progerminaturi *ortum* indigitaturus Propheta, ait illam eſſe מגזע ישי ſive *ex trunco Jiſchai* & משרשיו *ex Radicibus ejus*. Prioris גזע emphaſin minimè exprimit *Aben Eſra*, dum idem ſignificare dicit, qvod זרע *Semen*; Notat verò *arborem undiq; ramis & frondibus ſucciſam, cujus radix in terra manet* h. e. *truncum*, qvam vocem probat qvidem *Grotius*, ſed malè ad *Chiskiæ* tempora applicat, dicens: *Recte! qvia amiſſione X. Tribuum & tot hoſtium incurſionibus valdè acciſæ erant res domûs Davidis*. Ecqvis enim temporibus Chiskiæ, qvo familia Davidis etiamnum vigebat, & illuſtriſſimus Rex adhuc ſuperſtitabat, familiam *Davidis* vel *Jiſchai* parentis ejus *trunco* fuerit auſus comparare? Rectiùs verò hîc Propheta ad rem reſpicere longô tempore pòſt futuram, ubi ex illâ familia Jiſchai ſic ſatis attrita oriturus ſit ſurculus, veluti ex trunco planè abjecto, putetur. Apprimè verò truncus ita ſucciſus Meſſiæ hujusqve temporibus congruit: tunc enim familia Davidis valdè erat attrita & non tantum Regio ſplendore qvem in Davide acceperat, ſed & poſſeſſionibus ferè orbata, qvod vel ex *Mariæ* Matris ſponſiqve ejus *Joſephi* conditione clareſcit. Licet enim in *trunco* illo *Jiſchai* tam aridо ad genealogiam reſpici Davidicam non ſit dubium; immediatè tamen in illo una præcellens Davidis ſilia, *virgo* nempe Maria includitur, ex qva Nezer hic immediate proceſſit. Circa

ca *posterius* verò *radicis* nomen, id notari cumprimis meretur, qvod inde seqvatur, surculum hunc sive Christum non *insititium* esse sed *nativum*, qvi filius sit non respectu *legali* vel sola connubii lege, sed per veram potiùs *generationem* & materno etiam avitoqve sangvine genus ex stemmate Jischaiano ducturus. Qvod uti in scripturis alibi clariùs dicitur, ita hîc contra *Marc. Ant. de Dominis* l. 6. de R. Eccl. cap. 1. & *Smalcium* de Christi divin. p. 186. omnino venit observandum. Conf. B. *Frischmut.* Disp. h. l. c. 1. §. 4. Neqve insuper h. l. habendum, qvod circa mentionem *Radicum Jischai* notant *Anglicani* dicentes: *Radices Jischai hic intelliguntur vel 1. de progenitoribus ejus, Abrahamo, Isaaco &c. vel 2. de posteris ejus Davide &c. Sic innuitur, qvod Jesse fuerit qvasi granum in terram conjectum, è qvo in terra tumente posteri ejus tanqvam radix vel fibræ radicum pullulant, vel 3. de ipso Isai, ut, qvi modo truncus dictus, modo radices dicatur. Truncus est exigua pars arboris, qvæ extat super terrâ, radix qvæ infra terram: Isai igitur dicitur & truncus succisus paulò supra terrâ, & radix non supra terram conspicua.*

§. 10. *Notandis* jam succederent *qværenda*, & qvidem (1.) an *truncus Jischai* & *radices* ejus spectent ad *subjectum* potius h. s. *Virga qvæ est ex trunco Jischai procedet* &c. qvàm ad *prædicatũ* h. m. *Virga egredietur ex trunco Jischai*, (2.) qvare h. l. non dicatur *ex trunco Davidis* sed *Jischai?* (3.) qvomodo Messias hic dicatur *virga Jischai* s. ex Jischai, cum infrà Isa. 11. 10. hujus cap. dicatur *radix Jischai?* Ceterum pagellæ, qvæ restant, non permittunt illarum expeditionem. De *prima* tamen legatur B. *Varen.* l. c. concl. 4. de *secunda* idem ibid. concl. 8. de *tertia* vero infrà ad l. c. dicemus.

§. 11. *Explicationem* loci jam tandem excipit *applicatio* ad *Jesum Nazarenum*, qvam Jhudæi strenuè impugnant, licet in *explicatione* nobis consentiant & ex h. l. primum veri nominis

minis Messiæ characterem, qvi est, *ex familia Davidis esse*, exsculpant. Nobis enim locum ad *Jesum* nostrum *Nazarenum* applicantibus, illi de venturo Messia, qvem per tot secula jam frustra expectant, interpretantur. Jhudæis hic adstipulantur *Sociniani*, strenuè negantes *Dominum nostrum & Matrem ejus Mariam* esse *ex tribu Jhuda familiaqve Davidis*; contrà verò statuentes, ipsum per *Matrem esse ex tribu Levi prognatum*, item *fuisse qvidem Davidis filium, sed inde, qvod ex ea natus sit, qvæ desponsata erat viro, ex Davidis familia oriundo. Smalc.* l. c. p. 186. conf. B. *Scherz. Colleg. Anti Socin.* disp. 45. p. 371.

Nostrum ergo nunc fuerit, applicationem loci ad Dominum nostrum Jesum Nazarenum, qvantum per residuum licuerit spatium, statuminare & præcipua contradicentium arma destruere, qvibus in oppugnanda Domini nostri J. C. genealogia utuntur. Igitur præsuppositio, Messiam ex stirpe Davidis oriundum i.e. non insititium sed nativum esse surculum Jischai, qvod non tantum hic locus probat (uti supra dictū ad vocem משרשיו i. e. *ex radicibus* ejus,) sed & aliunde ex scripturis constat, probamus, *Jesum Nazarenum ex familia Davidis oriundum* (1.) *ex Luca* c. III. 23. qvi non *Josephi* sed *Mariæ* Sponsæ ejus genealogiam recenset, dum prognationem *Eli* (qvi pater Mariæ & socer Josephi & *maternus* Christi *avus* fuit) per lineam *Nathanis* filii Davidis ad Davidem deducit. Nam Josephi genealogiam Matthæus jam cap. 1. per lineam ad *Salomonem* Davidis filium adornaverat. Nec probari ab adversariis potest, Josephum Luc. 3. 23. vel τὸν *Eli naturalem* vel *legalem* fuisse filium. Neqve existimandus est Lucas hic jam c. 3. genealogiam Josephi adornare, sed omnino Mariæ virginis; postqvam præced. capite 2. *nativitatem* atqve *ortum* Christi ex eadem Maria descripsisset & nunc qvoq; c. 3. v. 23. *genealogiam* Christi orsurus, præfatus esset, *Jesum errore putatum fuisse Josephi filium*, in parenthesi dicendo: ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ. (2.) prob. *ex Matthæi* c. 1. qvi genealogiam *Josephi* Sponsæ, matris Jesu Mariæ, per lineam *Salomonis* ad Davidem & Abrahamum texit. Si enim Josephus Mariæ sponsus ex semine Davidis fuit, seqvitur conjugem qvoqve ejus Mariam ex eodem fuisse & conseqventer filium qvoqve ejus *Jesum* ex prosapia Davidis esse. Conseqventiam probat Lex Num. 36. 8.

§. 12. Verùm his probationibus nostris varia opponunt. Et qvidem

(b)

(1.) excipiunt *Lucam non Mariæ*, (cum ex tribu Levi esset) *sed Josephi Sponsi ejus genealogiam recensere*, & clarè dicere: Ιωσηφ τ᾽ ἡλὶ i. e. *Josephus filius Eli.* Sed Resp. Negando Josephum hîc dici filium Eli, ex rationibus antea dictis. Notandum autem verba Lucæ c. 3. 23. *qvi putabatur filius Josephi:* esse parenthetica h. l. & *ipse Jesus incipiens* (ministerium) *erat 30. annorum* (qvi putabatur filius Josephi) *existens filius Eli* i. e. ex Maria nepos. Talem sensum Syra qvoqve versio posuit. Parentheses verò in scripturis ipsi qvoqve Sociniani concedunt: conf *Scherz.* Colleg. Anti Socin. Disp. 48. p. 398. vel uti alii volunt: *Jesus filius Josephi* (ceu existimabatur) *filius Eli.* vid. *Ligtfoot* in hor. Ebr. l. c. Nam in illo: τ᾽ ἡλὶ, vel subintelligendum υἱὸς, uti in seqventibus, h. m. Ιησοῦς ὢν υἱὸς τ᾽ ἡλὶ *Jesus existens filius Eli*, atqve ita avi paterni filius i. e. nepos dicitur, id qvod in sacris infreqvens non est. Sic Zedekias filius Josiæ vocatur i. e. nepos. Vel juxta alios in illo τ᾽ ἡλὶ subaudiatur τ᾽ υἱῦ τ᾽ ἡλὶ & tunc diceretur *Joseph filius Eli* i. e. gener. Neqve id novum: Naemi enim suas nurus vocat filias Ruth. 1. 13. Ceterum posterius improbat Ligtfootus l. c. dicens: *non Joseph hic vocatur filius Eli sed Jesus; neqve vox* υἱῦ *sed* υἱὸς *subintelligenda est in unaqvaqve propagine.* Nobis qvoqve prior interpretatio præferenda videtur, cum magis Scripturæ sit receptum, ut qvis Avi qvàm Soceri, filius dicatur, cujus rei vel in genealogia Christi apud Matthæum exempla occurrunt. Consentiunt qvoqve *J. G. Vossius* & *Frischmutus*, qvi conferatur in Disp. ad h. l. cap. 2. §. 12. *Excip.* (2.) *Genealogias non censeri ex mulieribus, adeoqve non Mariæ sed Josephi genealogiam à Luca recenseri.* Resp. concedendo id qvidem de *ordinariis genealogiis* & ubi est pater, â qvo tribus peti potest; cum verò Christi generatio sit extraordinaria ac pater desit: est enim Christus ἀπάτωρ Ebr. 7. hinc & extraordinariè genealogiam ejus maternam narrari oportebat. Si verò genus ex solo texeretur Josepho, certè ex *semine Davidis*, non foret juxta Rom. 1. 3. siqvidem â Josepho genitus non fuit.

§. 13. Contra probationem II. & legem Num. 36. excipiunt (1.) *legem* citatam juxta Talmudistarum sententiam *non nisi ad tempus obtinuisse, scilicet ante divisionem possessionum in terra Canaan.* Sed Resp. negando, propter loca Jud. 11. 1. Tob. 7. 14. &c. Excip. (2.) *Mariam non fuisse* Πάκληρον, qvod probant ex paupertate ejus & Christi Luc. 2. 7. & 24. coll. cum Lev. 12. 8. & Matth. 8. 21. Resp. probabile est, fuisse paternorum illam bonorum hæredem, cum fratris Mariæ nullibi mentio fiat, eiqve domus in Nazareth fuisse dicatur. Deinde & inter Πακλήρους potuerunt qvædam tenuioris esse conditionis. De utraq; exceptione pluribus agunt *Spanheim* dub. P. l. à fol. 122. item *Frischmut.* & *Thilo* ll. cc.

Ad Præcellentem Pietate, Modeſtiâ atq; induſtriâ
VIRUM Juvenem

DN. BRODERUM ENEWALDUM,

In variis hactenus Collegiis, præcipuè Theologicis Diſputatoriis ſuper Aug. Confeſſionem & Formulam Concordiæ, ut & Ebræo-Exegeticis Auditorem ac Reſpondentem meum maximè ſtrenuum,

De LIBANO ASSYRIACO & NEZER ſ. SURCULO JISCHAIANO,

Ex Iſai. X. & XI. publicitus D. A. diſputaturum.

NOn vitiis nec deſidiæ qvia deditus hîc es,
Aſt exercitiis ſtrenuus usqve vacas,
† *Laude* ſat es dignus, qvâ † *vivis, Amice,* **valesve*
Præ multis, otio qvi vitioqve vacant.
Vive valeve diu *laudemqve* merere perennem,
Inqve Tuo NEZER SYLVA vireſce DEO!

† *ENEVVALDIUS*
Anagr.
LAUDE VIVENS
**VALENSVE DIU.*

LMq; inter occup.

A. D. HABICHHORST, D.

PAndectas Sacras ſimul & monumenta Sophorum
Pervolvis facili, ſvavis Amice, manu.
Illius egregium ſpecimen nunc edere tentas;
Hujusqve ut pariter, fac, documenta ſient.
Sic meritum tribuet Tibi Philoſophia brabeum:
Atqve operæ pretium Theiologia dabit.

ita
Præſtantiſſ. Doctiſſimoqve Dn. Reſpondenti, Auditori ſuo in Philoſophicis perqvam induſtrio
applaudebat
M. G. Weiß / P. P.
& ad D. Nicol. Eccleſiaſtes.
Aureus

AUreus is ramus, cui *surculus* almus *Jësus*
Inseritur! fructus næ feret ille bonos!
Hunc, ENEWALDE, piè tua Dissertatio sistit;
Inseris hunc cordi firmiter ipse tuo.
Hic tibi frondescat, fiat tibi *surculus* arbor,
Qvin & *sylvescat* laude, fideqve tibi!
Sic bona multa feres Patriæqvè Deoqvè Patriqvè,
Dicerisqvè bonis *aurea Sylva* DEI.

Ita clarè docto Dn. ENEWALDO, studioso fulgidissimo, suo & in Ecclesia Confessori maximè devoto, & in Collegio olim Sphærographico-Astronomico Auditori ut sedulo, ita singulariter dilecto, nunc de Surculo Jessæo publicè disputaturo, lmḡ assurgebat

M. JOHANNES MAURICIUS POLTZIUS,
ad S. Johann- & S. Spir. Pastor.

QVo tendis? cathedram doctorum qværis *Amice?*
Illorum mentem colloqviumqvè cupis?
Ascende, invenies qveis cum contendere possis,
Adsunt, exspectant firma responsa tua.
Nunc paris & monstras, sibi qvid promittere de *Te*
Et cathedra & patriæ pulpita sacra qveant.
Perge decus Patriæ! non est qvod porro retardet
Aonias animum qvi bene novit aqvas.
Hac insiste viâ, trans æqvora perqvè remotas
Ambages terræ, *Te* tua fama vehet.

Habes hic,
Convictor Suavissime, obsidem
benevolentiæ,
qvem
fidei suæ interposuerunt Tibi egregiè cupientes
COMMENSALES HENNINGIANI.

(o)

PARTIS PRIMÆ
IN ILLUSTRIORA ISAIÆ LOCA
DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA
DECIMA NONA
DE

SPIRITU DOMINI,

CUM
SANCTISSIMO DONORUM SENARIO
SUPER
SURCULO JISCHAIANO REQVIESCENTE

Ex ISAI. XI. v. 2.

Quam

AUSPICE DEO-HOMINE, Ven. FCte THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

S. TH. D. Ejusdemqve Profess. Publ. Ordin. & Consistorii Duc. Mekelb. Assessore, Amplissimiqve Professorum Duc. Collegii Seniore nec non FCtis suæ h. t. Decano,

ad d. 6. Jun. 1691. in Auditorio Maj. inclutæ Univ. Rostoch.
collationi Academicæ sistit

TIMOTHEUS Lütkemann/ Malchin. Mekelb.

ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Sen. Typogr.

Dupl.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0295
DFG

LOC. X. ISAI. XI. 2.

De

Spiritu Jhovah, cum sanctissimo donorum senario, super Surculo illo Jischaiano requiescente.

Disp. XIX.

VIso nuper *Surculo* ex *Jischai* oriundo, qvem primus sistit capitis hujus versiculus (ad qvem Jhudæos *primum veri nominis Messiæ characterem* observare illumqve *genealogiam ex semine Davidis* esse, diximus) nunc videndus sequente versu offertur *Spiritus Jhovah, super illomet Surculo cum Sanctissimo donorum senario, requiescens*, ex qvo *secundum* illi ipsi *tertium* Messiæ *characterem* elicere sverunt. Cum verò secundus hic versus orationem contineat, qvæ *subjecto* constat & *prædicato*, duo qvoqve potissimùm, pro indagando *sensu* ejus genuino ventilanda occurrunt, scilicet (1.) *Subjectum*, qvod est *Spiritus Domini* cum sanctissimo donorum senario, (2.) *Prædicatum*, qvod exhibetur verbis: *requieset super illo*. *Subjectum* verò describitur tum *personaliter* in priori versus membro, vocibus: רוח יהוה i. e. *Spiritus Domini*; tum *energetice* in posteriori, per *ternarium* Spiritus *duplicatum*, s. per sanctissimum *donorum* Spiritus *senarium*, dum dicitur (1.) *Spiritus Sapientiæ & intelligentiæ* (2.) *Spiritus consilii & fortitudinis*, (3.) *Spiritus scientiæ & timoris Domini*. *Prædicatum* itidem duo involvit, (1.) *Actum* requiescentiæ (2.) *Subjectum* requiescentiæ, Subjectum inqvam, non prædicationis, qvod jam antea designatum, nec inhæsionis; sed communicationis, sc. *Eum super qvo Spiritus Domini*, cum sanctissimo donorum senario, *requiescit*. Qvæ omnia nunc pluribus, qvantum qvidem pagellæ huic loco destinatæ capiunt, eodem Domini Spiritu aspirante, explicaturi sumus. Explicatorum *applicatio* demum ad *JEsum* fiet *Nazarenum*, Dominum & Servatorem nostrum. Uti enim ad præcedentem locum asseruimus, *Surculum Jischaianum*

num non esse alium qvàm *JEsum Nazarenum*, ex familia Davidis prognatum: ita & præsenti dissertatione paucis adstruemus, non alium qvàm *JEsum Nazarenum* esse illum, super qvo Spiritus Domini reqvievit, imò super alio nemine eo ipsum modo reqvievisse, qvam super illomet ipso JEsu, ut oppidò clarus denuo usus loci elencticus evadat pateatqve, Jhudæos in hodiernum usqve diem Messiam suum neqvicqvam expectare; Christianos verò exclamare cum Apostolis ex Joh. 1. 41. posse: *invenimus Messiam*. Cui tandem applicationi subjicientur *consectaria*, qvæ ad usum loci didacticum spectabunt.

§. 2. Ad *Subjectum* qvod attinet s. *Spiritum Domini* (cujus *persona* per voces רוח יהוה i.e. *Spiritus Domini* in priori, ceu dictum, membro; *dona* verò abundantissima in posteriori per reliqva nomina describuntur, *qvatuor* hîc qværuntur (1.) qvis sit *Spiritus Jhovah?* (2.) an *donorum* ejus illustrium hîc *septenarius*, an vero tantùm *senarius* designetur? & annon plura qvàm sex sint Spiritus S. dona Surculo huic collata? (3.) *qvalia* sint hæc dona, an *creata*, non v. *increata* & *infinita*? (4.) Speciatim, *qvæ ratio singulorum*, qvæ hîc nominantur, *donorum?* sc. *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ* &c.? Ad qvæst. 1. *qvis* sit *Spiritus Jhovah*, responsio qvidem in proclivi est, qvod scil. is *Spiritus* sit *Sanctus*, tertia S. Trinitatis Persona, distincta à *Jhovah DEO Patre*, cujus is Spiritus dicitur & à *Filio* Θεανθρώπῳ, qvi *Nezer* s. *Surculus* personalis, *super qvo Spiritus hic reqvievit*, idem sc. ille רוח אלהים sive *Spiritus DEI*, qvi in creatione mundi *aqvis superincubuisse* more alitis s. aqvilæ ovis incubantis eademqve calore suo foventis & vivificantis scribitur Gen. 1. 2. de qvo Jhudæi in antiqvo libro *Breschith Rabba* ad Gen. 1. 2. notanter scribunt: רוח אלהים מרחפת על פני מים זו רוח של משיח h. e. *Spiritus DEI, aqvarum superficiei incubans est Spiritus Messiæ*; *Schlichtingius* tamen aliiqve Sociniani neqve tertiam neqve secun-

cundam in Deitate Personam admittentes, & per vocabulum *Spiritus* communiter *virtutem* vel *donum* DEI intelligentes, hoc loco per Spiritum Domini *donum* s. *Sapientiam ipsam* intelligunt, cum idem statim dicatur *Spiritus sapientiæ* i. e. juxta illorum interpretationem, *Spiritus, qvi est sapientia.* Ceterum Resp. (1.) Sic etiam nos *Spiritum Jhovah* exponere possemus per *Spiritum*, qvi est *Jhovah s. Spiritum Dominum*, qvomodo *Galatinus* l. 2. de A. C. V. c. 6. vertit, & *Forsterus* Comm. in Isai h. l. p. 262. verti posse ait, ut sit *appositio*; qvæ expositio uti Scripturæ analoga est, juxta qvam Spiritus S. non tantum est *Spiritus DEI* ratione ineffabilis processionis à DEO Patre & Filio; sed & *Spiritus DEUS*, ratione communis essentiæ; est enim tertia S. Trin. persona, Patri Filioqve ὁμοούσιος: ita haut inconcinna esset (2.) Vocem *Spiritus* qvidem freqventer in scripturis & h. l. in posteriori versus membro *energeticè* sumi & *dona* notare cum dicitur: *Spiritus Sapientiæ & intelligentiæ* &c. in priori vero *personaliter* accipi cum dicitur: *Spiritus Domini*, & ipsam Spiritus S. *personam* innuere, paulò antè jam dictum est. Consentit *B. Varen.* Comment. in Isa. h. l. p. 319. & *Forster.* in Comm. super Isai. l. c. Qvid? qvod *nomina & opera divina* ut & *attributa personalia*, qvæ passim in scripturis V. & N. T. de Spiritu S. leguntur, veram Spiritus S. *Deitatem* & *personalitatem* satis superqve probant. Dicitur verò hæc Deitatis persona hîc & alibi *Spiritus* & qvidem *Spiritus Jhovah* s. *Domini*, tum ratione *spiritualitatis* s. ratione *spiritualis essentiæ*, qvam cum Patre & Filio eandem habet, qva ratione omnes tres Deitatis personæ dicuntur *Spiritus* Joh. 4. 24. tum ratione *spirabilitatis* s. τρόπου ὑπάρξεως s. *characteris hypostatici*, qvi est *spiratio æterna*, qva ratione nec Pater nec Filius, sed sola hæc tertia Deitatis persona *Spiritus* est, cum ab utroqve per spirationem ab æterno procedat. Cum verò *Spiritus* is *Jhovah* s. *Domini* s.

Patris appellatur, hoc ipso non negatur etiam *Filii* s. *Christi* esse *Spiritus:* nam & Filius est Jhovah; neqve tantùm *Patris* sed & *Filii* & *Christi* Spiritus, & *Spiritus labiorum Messiæ* & *Spiritus oris Christi* appellatur Matt. 10. 20. c. 13. 18. Gal. 4. 6. Rom. 8. 10. Isai. 11. 4. 2. Thess. 2. 8. neqve à Patre tantùm sed & à Filio tanqvam ab uno principio per unam ineffabilem spirationem procedit, qvod Ecclesia Latina contra Græcam rectè asseruit. Unde & æqvè à *Filio* ac à *Patre mitti* dicitur, qvæ missio temporalis præsupponit æternam illam Spiritus S. à filio processionem eamqve declarat & manifestat, ceu passim in Systematibus Theol. docetur.

§. 3. Ad qvæst. II. an in membro 2. versus hujus *illustrium Spiritus S. donorum septenarius*, an vero tantùm *senarius* designetur? vel utrum *septem*, an verò *sex* tantùm *dona Spiritus* recenseantur, nec *plura Surculo Jischaiano* sint collata? Respondent qvidem plurimi *veterum* & *Scholasticorum*, *Septenarium* hîc dari vel *septem dona* recenseri: Siqvidem & *Forsterus* in Comm. super Isa. h. l. p. 261. qværit, cur *septem hic nomina tribuantur Spiritui S. & cur inde in Apocalypsi septem Spiritus numerentur?* & respondet, *esse Synecdochen numeri certi pro incerto* &c. Unde & Scholastici ex h. l. *septem Spiritus S. dona* & Spiritum S. *munere septiformem* esse probarunt, eademqve dona operosè à virtutibus distingvere sategerunt, ceu videre est ap. *Magistrum sentent* lib. 3. dist. 34. qvæ sententia hymno qvoq; veteri videtur insinuata dum canitur: *Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium.* Ceterùm rectiùs pro *senario* pronunciatur: Si qvidem in fonte Ebræo, tanqvam textu authentico, *ternarius* est *duplicatus* s. *sex* tantum dona Spiritus Domini à Propheta recensentur, cum dicitur 1. רוח חכמה Spiritus *sapientiæ* & *intelligentiæ* 2. רוח עצה וגבורה Spiritus *consilii* & *fortitudinis*, 3. רוח דעת ויראת יהוה Spiritus *scien-*

scientiæ & timoris Domini. Fontem hîc rectè secutus est *Lutherus* noster. Fulcrum verò, qvo illa veterum operosa disputatio de *septem Spiritus S. donis & distinctione septem donorum à virtutibus* nititur, admodum est lubricum, sc. *Græca* πῶν LXX. &, qvæ illos seqvitur, *Vulgata translatio:* In illis enim translationibus *sex* donis jam dictis sc. Spiritui *sapientiæ, intelligentiæ, consilii, fortitudinis, scientiæ* & *timoris Domini*, additur *septimum* sc. εὐσεβείας s. *pietatis*, adeoqve voces eædem יראת יהוה reddunter per *pietatem* & per *timorem Domini:* unde & veteres duo distincta fecerunt dona. Ceterùm translatio non præjudicat fonti: neqve decebat sic fontem reddere, nec opus erat vocem εὐσεβείας s. *pietatis* addere, cum ea reliqvis, præcipuè ultimo sc. *timore Domini*, includatur. Rectiùs ergo, qvàm Doctores Scholastici ceteroqvin ingenioſi, senserunt *Ebræi veteres*, qvi in antiqvo supràqve laudato libro *Breschith Rabba* ad Gen. 49. 8. non plures qvàm *sex Messiæ proprietates* hîc dari agnoscunt, qvas tamen ipsorum posteri, recentiores Ebræi, malè intellectas, aliò detorqvent, dum ad *Chiskiam* illas applicare non erubescunt. Neqve etiam juxta qvosdam pro *septenario* hîc defendendo qvicqvam facit, qvod Spiritus hic primo qvoqve versus membro dicatur רוח יהוה h. e. *Spiritus Domini:* hoc enim nomen non facit peculiaris doni numerum, neqve eodem Spiritus S. *donum*, sed *ipsa* ejus *persona* indigitatur, uti nominibus reliqvis dona ejus designantur, qvod jam superiùs est ostensum. Consentit *B. Varenius* Comm. in Isa. h. l. p. 319. Neqve tamen putandum, non plura dari qvàm *sex* Spiritus S. dona, vel Christo non plura qvàm sex h. l. nominata per unctionem esse communicata. Frivolum certè esset in numero senario vel septenario sic philosophari & infinita Spiritus S. dona in eas redigere angustias velle. Qvod enim longè plura sint Spiritus S. dona vel ex 1. Cor. 12. 4. 12. elucescit. Memo-

rantur qvidem hîc tantùm sex, sed ita ut cetera non excludantur, sed subintelligantur. Neq; tandem credendum, veteres pios propterea Spiritum *munere septiformem* dixisse, qvod septem tantùm dona ejus crediderint; sed *septiformem* pro *multiformi* videntur accepisse, cum numerus septenarius sit sacer & excellentiæ, & τὸ *septies* in sacris pro *sæpius* usurpetur, ceu *B. Joh. Tarnovius* in *Exerc. Bibl.* p. m. 139. ad Exegesin loci Prov. 24. 16. *Justus septies cadit*, rectè annotavit. Graviùs verò errant hîc qvidam ex Pontificiis, præcipuè *Hosius* in *confess. c. 13.* qvippe qvos non pudet ex h. l. *septem N. T. Sacramenta* probare, eò qvod *dona Spiritus S. sint septem.* Nisi enim argumentatio hæc frivola planèqve ridicula foret, certè non septem, sed sex tantum essent danda N. T. Sacramenta, cum sex tantum Spiritus S. dona h. l. recensentur, uti jam est ostensum. *Bellarminus* qvidem rectiùs sapere qvàm *Hosius* videtur velle, dum *l. 2. de effectu Sacrament.* c. 26. fatetur, *hanc non esse demonstrationem, sed tantùm congruentiam suppositâ fide*, q. d. non qvidem demonstrari hoc argumento septem esse Sacramenta, illustrari tamen numerum, adeoqve suppositâ fide congruere, ut qvemadmodum septem sunt Spiritus S. dona, ita & septem sint N. T. Sacramenta. At verò supposita ab illo fides de septem Sacramentis nondum probata est, adeoqve septenarius ille Sacramentorum numerus nobis ex fide non censetur esse, utpote nondum ex Scripturis demonstratus. Igitur qvomodo illustrari potest, qvod nondum est probatum?

§. 4. Qvæstionem de *numero donorum* Spiritus S. hactenus expeditam, excipit alia & qvidem (3.) de *qvalitate* donorum: nam disqviritur, *qvalia* sint hæc dona? *an saltem creata & finita*, sed humanis imò & angelicis longè excellentiora; an verò *infinita & merè verèq; divina?* Juxta *Calvinianos* qvidem dona saltem finita & creata, qvæ tamen humanis imò & ange-

angelicis longè sint excellentiora, qvasi divina, qvasi infinita atqve infinitis proxima, imò & infinita respectu objectorum & exiguæ nostræ scientiæ, huic Nezer s. Christo sunt collata, qvæ *gratias* vocant *habituales*, animæ ejus s. humanitati subjectivè & formaliter inhærentes atqve augmentum admittentes Luc. 2. 40. easqve mirificè hoc fine extolluut, ut eò melius (uti censent) suam tueri sententiam qveant, qva infinitam illam verèqve divinam sapientiam aliaqve dona increata, à λόγῳ carni assumtæ per unionem personalem esse communicata negant. Nos verò contrà non qvidem inficiamur, finitam qvoqve & habitualem & experimentalem sapientiam (qvam aliàs ἐκτυπον Theologiam humanæ Christi naturæ solemus appellare) aliaqve dona creata animæ ejus subjectivè & formaliter inhæsisse eademqve augmentum admisisse, juxta illud Luc. 2. 40. *at Puer crescebat & confortabatur Spiritu, plenus sapientiâ, & gratia DEI erat in illo.* Item versu 52. *Et JEsus proficiebat sapientiâ & ætate & gratia apud DEUM & homines*; Verùm non illa tantùm finita, sed & infinita & verè merèqve divina dona s. essentialia DEI attributa, Nezer huic s. Christo juxta humanam naturam per unionem personalem & unctionem spiritualem singularem esse collata, docemus, horumqve collationem hîc prædici cum dicitur: *& requiescet super eo Spiritus Domini* &c. juxta analogiam Scripturæ paulò post citandæ, censemus. Siqvidem, teste objecto Lucæ loco, etiam tunc, cum *crescceret* homo Christus JEsus *Sapientiâ* juxta v. 52. sc. finitâ habituali paulò antè descriptâ, jam erat πληρώματος h. e. *plenus sapientiâ* juxta v. 40. nempe divinâ, infinitâ. Aliam ergo fuisse sapientiam in Christo & dona secundum humanitatem oportet, qvibus statim à primo conceptionis momento (ceu infra ad prædicatum §. 8. dicetur) per & propter unionem hypostaticam fuit plenus, sc. divina & infinita: & aliam sapientiam ac dona, qvibus

bus pariter ac ætate suâ, subinde potuit crescere, sc. sapientiam humanam, habitualem & finitam; adeoqve hæc cum illis minimè sunt confundenda. Unde & obiter colligere est, qvid habendum de illo, qvod *Bellarminus* l. 4. de Christi animâ c. 2. ex h. l. arguit, scilicet *Christi animam ab ipsa sui creatione ita repletam fuisse sapientiâ, ut nihil postea didicerit, qvod antea nescierit, eo qvod ab illo statim tempore Spiritus Sapientiæ & Scientiæ super ipsum reqvieverit.* Scilicet Spiritus qvidem Sapientiæ ab incarnationis momento super Christo reqvievit; dona tamen & charismata Christi habitualia & finita, qvibus anima ejus in se se formaliter perficiebatur, ceu dictum, sive Sapientia humana finita, qva pariter ac ætate proficiebat, juxta Luc. 2. 52. non sunt confundenda cum donis infinitis s. attributis divinis per unionis personalis gratiam ipsius humanitati communicatis & h. l. ab Isaia prædictis. Suffragatur nobis Dn. D. *Deutschmannus* in Disp. de *Christologia Prophetica*, ad Isai. 61. v. 1. 2. 3. ubi §. 12. locum qvoq; nostrum allegat, ad eumq; sic commentatur: *Distinctim in Scriptura distribuitur unctionis Christi materia ex qva, Esai. XI. 2. & reqviescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ &c. qvibus certus donorum numerus allegatur, sed totus donorum chorus insinuatur. Non autem hic dona saltem finita & creata juxta Calvinianorum detorsionem intelliguntur, sed potiùs juxta classicum illud Psalm 45. 8. ELOHIM UNCTUS PRÆ CONSORTIBUS, infinito modo: qvia Pater filio Spiritum non dedit ad mensuram* Joh. 3. 34. *Sed tota plenitudo divinitatis habitat in ipso Col. 2. 9.* Ex qvibus VIRI verbis *tria Scripturæ loca* urgemus, qvippe qvæ sic satis declarant, qvalia hîc Spiritus Domini dona, Surculo Jischaiano s. Christo collata, intelligantur. Qvicunq; enim *unctus est Spiritu S. & virtute supra consortes*, ille non eodem oleo s. eodem modo qvo consortes, h. e. non increatis & finitis, sed increatis & infinitis unctus est donis: aliàs enim excellentia unctionis

supra

ſupra conſortes non daretur in Chriſto, ut ſolo unigenito ſoloqve θεανθρώπῳ. Jam verò Chriſtus juxta humanam naturam ita unctus eſt, Pſal. 45. 8. conf. Act. 10. 38. Ergo. Conf. *B. Varenii* Comm. in Iſai. h. l. p. 321. ubi locum Pſal. 45. 8. vindicat, & conſeqventiam argumenti *Bezæ* ex l. c. *Chriſtus habet conſortes in carne & unctione, E. idem eſt oleum Chriſti & conſortium, idem ſpecie donum unctionis*, ineptam docet. Deinde *cuicunq; Spiritus S. non ad menſuram datus eſt*, ille ditatus & donatus eſt donis Spiritus S. verè infinitis. Sed Chriſto ſecundum humanitatem &c. Joh. 3. 34. E. Deniq; *in qvo omnis plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter, is attributa divina* h. e. infinitam ſapientiam aliaqve dona infinita verè & realiter habet communicata. Atqvi in Chriſto ſecundum humanitatem &c. Col. 2. 9. Ergo. Qvicqvid etiam Calviniani contra hæc loca excipiendo ogganniant. Ita ergo *qvalitas qvoq; donorum* nobis pateſcit.

§. 5. Tandem qvæſtionibus his *generalibus, qvot* ſc. & *qvalia ſint* Spiritus Domini dona, hîc nominata? ſuccedit (4.) *Specialis*, qva *ſpeciatim* qværitur, *qvæ ratio ſingulorum ſit donorum? Grotius* qvidem illa ſigillatim ſic interpretatur, ut per Spiritum *Sapientiæ* intelligat *Sapientiam rerum divinarum*, per Spiritum *intelligentiæ cognitionem rerum naturalium*, per Spiritum *conſilii prudentiam, in rebus politicis maximè*, per Spiritum *fortitudinis conſtantiam in adverſis*, per Spiritum *ſcientiæ ſcientiam circa interpretationem legis*, per Spiritum *timoris Domini pietatem, qvæ cetera omnia ſuperat*; Sed nimis jejunè & ex falſa hypotheſi: Supponit enim *Chiskiam* hîc per *ſurculum* intelligi eundemqve *donis hiſmet præ omnibus polluiſſe & præprimis fortitudinem tempore Sennacheribi egregiè oſtendiſſe, ut hoc ei proprium perpetuumq; fuerit, qvod Spiritus Domini ſic ſuper ipſo reqvieverit.* Qvàm temerè verò hæc aſſerat, cum locus hic non niſi de *Meſſia* ſit intelligendus, ſuprà jam ad præcedentem locum fuit oſten-

sum, infràqve §. 9. ad prædicatum hujus loci ulteriùs dicetur. Conf. *B. Calovii* Bibl. illust. h.l. p. 73. Alii verò aliter rationem singulorum horummet donorum explicare amant. Dicunt enim *sapientiam* & *intelligentiam* hîc & Deut. 4. 6. Prov. 2. 5. c. 4. 5. c. 7. 4. distingvi; sed qvo pacto distingvantur, non conveniunt. *Sapientia* enim vel juxta *Forer.* est *cognitio rerum divinarum*, vel juxta Qvendam in Angl. Annot. *donum illuminationis, qvo qvis* idoneus fit ad docendum 1. Cor. 12. 8. (2.) *intelligentia* vel juxta *Forer.* est *judicium qvod ex sapientia oritur, qvo inter res discernimus*, vel juxta Qvendam in dictis Annot. Anglic. est *donum apprehensionis, qvo qvis aptus sit ad discendum*, Matt. 24. 15. 2. Tim. 2. 7. (3.) Sp. *consilii* juxta *Forer.* & *Angl.* est *qvo qvis in rebus dubiis & perplexis se possit expedire*, Prov. 20. 8. c. 24. 6. (4.) Sp. *fortitudinis* juxta Forer. est *qvo qvis constanter exeqvitur*, qvod faciendum statuerit nullâ difficultate territus. Nec temerè juxta *Musculum* conjunguntur *consilium* & *fortitudo: nam consilium sine fortitudine est inane & inefficax; rursus fortitudo sine consilio est temeritas.* (5.) Sp. *scientiæ* juxta Angl. annot. est *facultas dignoscendi res etiam abstrusissimas e. c. corda hominum*, ut Prov. 15. 11. Jer. 27. 9. 10. (6.) Sp. *timoris Domini* juxta easdem Annot. est *filialis honor & reverentia, qva Surculus hic, ut homo est, DEUM colit* Matt. 11. 25. Joh. 11. 41. *cum & in optimis sit timor peccandi* Prov. 28. 14. Eccl. 9. 2. Ita alii ad hæc dona speciatim commentantur. Conf. *Poli* Synops. Crit. ad h.l. & ex eadem *Thilo* in Medul. Theol. V. T. ad h.l. p. 857. & seq. Nos verò cum citato jam *Forerio* censemus, *non esse cur de horummet donorum distinctione subtiliùs agamus, præsertim cum ea tantùm hic enumerentur, qvæ supremum Judicem decent.* Si qva ergo specialis illorum danda exegesis est, sic eam volumus dari, ne infra dignitatem donorum horummet, tanqvam infinitorum, Messiæ collatorum, de illis qvicqvam statua-

ſtatuatur. Licet enim in pium qvoqve & magnis virtutibus conſpicuum Regem illa qvodam modo cadant, qvod ſc. Spiritu Sapientiæ, intelligentiæ, conſilii &c. ſit inſtructus: nam & Slomoni Regi data eſt ſingularis Sapientia & intelligentia 1. Reg. 3. 12. hoc tamen certum eſt, non vulgari ſed eminentiori ratione omnia hîc eſſe intelligenda, cum non vulgaris vel mundani Regis, ſed, fatente ipſo *Targum Jonathane*, Meſſiæ, æterni illius Regis, dona hîc prædicantur, iisqve Surculus hic ſ. Meſſias ab aliis Regibus mundanis diſtingvatur, qvippe de qvibus hæc affirmari non poſſint. Nam *ſuper* Rege hoc Meſſia *reqvieſcit Spiritus Domini*, ita ut non ſolùm immaneat & nunqvam ab ipſo recedat, ſed & intimè & energeticè inhabitet; id verò de nullo Rege terreno dici poteſt, qvippe qvi operationibus S. Spiritus peccatis ſæpe ſuis reſiſtunt ipſumqve contriſtant & excutiunt Conf. *B. Calovii* Bibl. illuſtr. h. l. p. 73. ubi differentiam hanc per omnes donorum ſpecies breviter deduxit. Qvod vero præterea *Forſterus* in Comm. ſuper Iſai. h. l. p. 262. *diſtinctionem* horum facturus *donorum* dicat, *ſapientiam* & *intelligentiam* pertinere ad officium Chriſti *ſacerdotale*; *conſilium* verò & *fortitudinem* ad *Regium*, *ſcientiam & timorem Domini* ad utrumqve, nobis non arridet. Qvare enim *Spiritus ſapientiæ* & *intelligentiæ* non potiùs refertur ad officium *Regium*? nonne DEUS, uti paulò antè relatum, Regi *Slomoni ſapientiam* & *intelligentiam* dabat ad *regendum* rectiùs & *judicandum DEI populum?* Et qvare Spiritus *conſilii* & *fortitudinis* non etiam refertur ad off. *Propheticum?* Nonne enim Prophetæ & Doctores Eccleſiæ bene conſulunt? nonne Meſſias ut magnus ille Propheta & Conſiliarius conſiliũ nobis DEI de noſtra ſalute aperuit Joh. 1. 18. nonne Prophetas in adverſitatibus, cum legem docent & veritatem profitentur, fortes eſſe decet? &c. Hactenus de *ſubjecto* Orationis ſ. Spiritu Domini, cum ſanctiſſimo donorum ſenario.

§. 6. Nunc verò *prædicatum* qvoqve conſideraturi, (qvod m. 1. his effertur verbis: ונחה עליו *& reqvieſcet ſuper illo*, qvodqve duo involvit, nempe *actum reqvieſcentiæ* Spiritus, & *ſubjectum*, ſuper qvo reqvievit) *tres* potiſſimùm qvæſtiones exponere tenemur, (1.) *an* etiam h. l. verbo initiali ונחה *reqvieſcentia Spiritus deſignetur*, an verò aliud qvid? (2.) qvid per *illam Spiritus reqvieſcentiam ſignificetur & qvando hæc inceperit?* (3.) *qvinam ille, ſuper qvo Spiritus reqvievit?* Primâ enim fronte (ut primam ſtatim qvæſtionem aggrediamur) videri cuipiam poſſet, initiale verbum וַנָּחֶה ipſam eſſe Radicem נחה qvæ ſignificat *duxit, deduxit, perduxit*, cum ו converſivo præteriti, ſiqvidem & accentum in ultima habet, ceu Radices ſolent, ut ſenſus fuerit; *& ducet ipſum Spiritus Domini*, ſicut Matt. 4. 1. dicitur, & David petit Pſal. 143. 11. *Spiritus tuus bonus* תנחני *ducat me*. Nec diffitemur, principio nobis ipſis ita viſum fuiſſe. Cum verò cogitaremus, tale interpretamentum non tantùm ſublimitatem rei hîc prædictæ non ſatis exprimere, ſed ab omnibus qvoqve verſionibus & commentariis recedere, qvæ ad conſtantem illam Spiritus S. in Meſſia manſionem ſ. reqvieſcentiam ſ. reſidentiam, hoc verbo ונחה ſignificatam reſpiciunt, prætereaqve loca obvenirent 2. Reg. 2. 15. נחה רוח אליהו על אלישע & Num. 11. v. 25. ויהי כנוח עליהם הרוח & ſeq. v. 26. ותנח עליהם הרוח, in qvibus idem verbum נחה ſemel in eadem forma, bis in alia, & eadem phraſis in ſimili materia reperitur & per: *reqvievit ſuper* &c. ab interpp. redditur, mox aliam verbi hujus ונחה rationem eſſe ineundam, neqve ipſam illud radicem, ſed ab alia potiùs Radice nempe נוח formandam eſſe colligebamus. Nec fallebamur: eſt enim ab illa R. נוח *qvieſcere, irruere ad qvieſcendum*, formata, nempe ſecunda fœm. ſing. præteriti Kal, cujus maſculinum eſt נָחָה ad formam קָמָה unde fœm. קָמָה *ſurrexit illa*. Confirmabat

nos

nos R. *Aben Esra*, cujus ad isthoc loci hujus verbum hæc est commentatio: *eadem hujus verbi forma est ac vocis* ושבה in loco: ושבה אל בית אביה i.e. *& reversa est ad domum Patris*, qvæ verba extant Lev. 22. 13. Illa verò vox שבה est fœm. à masc. שב à R. שוב *reverti*. At verò dices (1.) Si ונחה esset 3. fœm. præt. à Radice נוח, certè non esset vox milra, sed milel, uti eadem vox נחה 2. Reg. 2. 15. & vox ejusdem formæ jam citata, scilicet ושבה Lev. 22. 13. sunt milel: Siqvidem in verbis hismet, secundam Rad. ו habentibus, accentus ad afform. ה. ו & ה non descendit. Sed Resp. ob ו convers. præteriti, verbo huic præfixum, trajici accentum ex pen. in ultimam, uti propter ו illud trajici solet in præteritis penacutis, qvale etiam נחה est. *Dices* (2.) voces tamen citatas & similem וסרה 1. Sam. 16. ult. esse milel & accentum habere in penultima, licet ו præfigatur; hanc verò nostram in ultima: Resp. in vocibus citatis præfixum ו non esse conversivum præteriti, propter qvod accentus ad ultimam trajicitur, qvale h. l. est; sed tantum copulativum.

§. 7. Rectè ergo *versiones* se habent, qvæ verbum ונחה reddiderunt in significatione *reqviescendi* vel *residendi*. Laudamus hoc nomine *Græcam* τὴν LXX. qvi alibi qvidem sc. Ijob. 17. 16. c. 36. 16. verbum hoc reddunt per καταβαίνω *descendo*, fors propter cognationem cum R. נחת *descendit*, qvæ propriè Chaldaica est; hîc verò per ἀναπαύσεται i. e. *reqviescet*, vertunt. Similiter *Vulgatus* & *Pagninus*, *reqviescet*, nec non *Lutherus* Es wird ruhen. Nec procul hinc abit *Targum Jonathan*, dum verbum hoc vertit per תשרי qvod communiter reddunt *residebit*: Est enim à R. שרה qvæ eadem cum שרא multisqve gaudet significationibus, vid. *Buxtorffii* Lexicon Chald. Talmud. Rabb. p. 2523. Apud Ebræos enim significat *solvere*, *dimittere*; ap. Chaldæos verò non tantum *solvere*, *qvod ligatum s. clausum* est, sed & *incipere*, imò & præprimis *habitare*, & usurpatur pro

Ebræo שכן *habitavit* Exod. 40. 35. item *manere, qvieſcere, commorari*, qvomodo id Ebræo נוח & הניח ſæpe reſpondet, imò *caſtra metari, reſidere* & pro Ebræo חנה *caſtra metatus eſt, reſedit*, adhibetur 1. Sam. 26. 5. Qvæ poſteriores ſignificationes ſibi ſunt affines, affinitatẽ Radicum נוח *qvieſcere*, חנה *reſedit*, נחה *deſcendit*, imitantes. *Syrus* tandem verbo נוח *reqvieſcere*, qvod Textus habet Ebræus, alterum שרה *reſedit*, qvo Chaldæus hîc eſt uſus, addere voluit. Qvis ergo dubitaret, verbum qvæſtionis *manſionem* hîc & *reqvieſcentiam Spiritus S. ſuper Meſſiam* deſignare?

§. 8. Ut verò emphaſin verbi hujus tantò magis perſpiciamus, pedem nunc à qvæſtione *an ſit* ſ. an hîc reqvieſcentia talis ſignificetur, promovemus ad qvæſtionem (2.) *qvid ſit*, vel *qvid actus reqvieſcentiæ Spiritus Domini ſuper Surculo importet & qvando is inceperit?* Eqvidem Jhudæi qvidam emphaſin illam verbi נחה non agnoſcere videntur, præprimis Aben Eſra, qvippe qvi non aliter cenſet hoc verbum eſſe intelligendum qvàm illud, qvod de Jhoſua ſcriptum Num. 27. 28. ubi dicitur qvod is fuerit איש אשר רוח בו i. e. *Vir, in qvo Spiritus eſt*; ſed ecce Chaldæus Paraphraſtes, vocem qvæſtionis per *reſidebit*, reddens, nec minùs ipſe contextus, emphaſin verbi confirmat hominemqve retundit. *Dices:* Jhudæum non temerè videri emphaſin verbi illius negare, cum idem qvoqve verbum locis antè citatis, nempe 2. Reg. 2. 15. de *Eliſâ* & Num. 11. 25. 26. de 70. *Senioribus* aliisqve *duobus Viris* adhibeatur, dum *Spiritus* ibi *ſuper illis reqvieviſſe* perhibetur. Sed reſponſionis loco referimus huc verba *B. Varenii* ex *Comm.* ejus *in Iſai.* h.l. p. 319. fin. qvæ ipſa & *B. Thilo* in *medulla* Theol. V.T. ad h.l. p. 857. allegatione digna putavit. *Spiritus*, inqvit, *2. Reg. 2. reqvieviſſe ſuper Eliſam, & Num. 11. Spiritus, diviſus & communicatus 70. Senioribus, qvieviſſe ſuper illos dicitur; ſed expreſsè additur Spiritus Eliæ, Spiritus*

ritus Mosis. Longè verò excellentius est qvod h. l. dicitur: Scilicet, ipse Spiritus Jhovah, & qvidem ternario ita duplicato, reqvieſcet ſuper illum. Arguunt hæc Nazareni excellentiam. Ita ille. Non enim finiti alicujus accidentis, ſed *infinitorum planè donorum* ſuprà aſſertorum ſ. *idiomatum divinorum*, humanæ *ejus naturæ per unionem perſonalem facta communicatio*; nec donorum tantum, ſed ipſius qvoq; *ſubſtantiæ Spiritus Domini* in naturam Nezer effuſio & infinita imanſio, & ſingulariſſima *humanæ Chriſti naturæ ſupra conſortes unctio, hac reqvieſcentiâ Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ* &c. indigitatur, qvod infrà loco parallelo c. 61. 1. Iſaias noſter ita exprimit: *Spiritus Domini Domini ſuper me, propterea unxit me Dominus* &c. Atqve hæc *collatio ſ. communicatio donorum ſ. idiomatum divinorum*, & hæc *unctio Surculi ſupra conſortes* (qvam h. l. reqvieſcentia Spiritus ſuper Nezer importat) *tunc incepit, qvando* Surculus ille è radicibus Jiſchai eſt egreſſus. Notanter enim Propheta hîc, ante illam *Spiritus Domini reqvieſcentiam* verſu ſecundo deſcriptam, jam verſu præced. primo ipſam Surculi *egreſſionem ex radicibus Jiſchai* deſignavit. Qvamvis enim nunqvam fuerit Nezer ſine illa Spiritus S. reqvieſcentia, adeoqve iſthoc momento, qvo egreſſus eſt ex radicibus Jiſchai, ſimul unio naturarum perſonalis & unctio ejus ſupra conſortes ſ. collatio & communicatio idiomatum ſ. donorum verè divinorum ſ. infinitorum ſit facta; actus tamen ipſi non ſunt confundendi, ſed ex natura rei cautè diſcernendi, cum qvidam ſint naturâ priores, qvidam vero poſteriores. Nimirum *prius* danda eſt *ſurculi ex radicibus Jiſchai egreſſio* h. e. ſupernaturalis illa humanæ ejus naturæ *generatio* ſ. *conceptio*, in B. Virgine per ἐπέλευσιν Spiritus S. facta; qvi actus præciſè ſumtus egredienti naturæ tribuit *exiſtentiam*. *Dein* vero dandus eſt *actus aſſumtionis* naturæ in ſubſiſtentiam & ad naturam divinam τοῦ λόγου

λόγυ, & *unionis* naturarum in persona ejus, qvo actu Surculus ille jam est personalis, & *subsistentiam* qvoqve accipit, non qvidem humanam sed divinam filii DEI, cujus interventu subsistentia humana fuit impedita. *Tertiò* dandus est *actus* unctionis & *communicationis idiomatum* s. donorum verè divinorum s. infinitorum: nam unctio Christi formaliter consistit in ipsa reali & totali communicatione Spiritus S. & donorum infinitorum, juxta *Qvensted.* Syst. Th. part. 3. p. 100. b. qvi actus communicationis donorum non qvidem separandus est ab actu unionis, sed tamen nec confundendus, sed distingvendus: nam communicatio illa & immansio donorum est conseqvens unionis & communicationis naturarum, & est vera ac realis propriorum divinæ naturæ participatio, sine ulla tamen confusione, qvâ Nezer hic, per *egressionem* ex radicibus Jischai s. per conceptionem *existens*, & per *unionem* naturarum in persona τῦ λόγυ *subsistens*, jam qvoqve est *infinitè sapiens*, *potens*, *omniscius* &c. adeoqve viribus infinitis ad peragendum Messianum h. e. Regis, Prophetæ & Mediatoris officium summè instructus, armatus, exornatus, ut inde cum delectatione voluntatem Patris faciat Ps. 40. 8. Et hic *actus communicationis* donorum verè divinorum & *unctionis Christi*, hoc versu designatur. Consentit *B. Varenius* l. c. p. 318. Unde & Theologi nostrates probaturi divinam majestatem & dona infinita, speciatim omniscientiam, Christo secundum hum. naturam esse communicata, inter alia ad hujus loci verba provocant: *requiescet super eo Spiritus Domini*, *Spiritus Sapientiæ & scientiæ.* Vid. *Qvensted.* Syst. Theol. part. 3. p. 174. Ubi tamen cavendum erit, ne *communicationem* hanc & *possessionem* Spiritus Domini s. donorum verè divinorum, hoc versu indigitatam, confundamus cum *plenaria & universali & incessante* collatorum jam donorum *usurpatione*, qva sese in statu exinanitionis eva-

evacuavit Phil. 2. 7. illa enim *communicatio* & *possessio* donorum, ceu dictum, facta est statim in egressionis ejus è radicibus Jischai s. conceptionis momento; hæc verò *usurpatio* plenaria & incessans secuta demum est in exaltatione, ceu passim in Systematibus Theol. docetur.

§. 9. Supereſt qvæſt. III. *Qvis ille, super qvo Spiritus Domini* dicitur hîc *reqvieturus?* Is verò ſeqvente particulâ עליו i. e. *ſuper ipſo*, ſignificatur, nec alius eſt, qvàm *Surculus* ille, qvi præced. verſu *ex radicibus Jiſchai* dicitur *egreſſus*: ad illum enim pronomen hîc affixum in עליו i. e. *ſuper ipſo*, reſpicere, nemini dubitatur. Iſtud verò hîc diſputatur, qvis ille *Surculus?* utrum *Chiskias* vel *Zorobabel*, an verò *Meſſias?* Jhudæi qvidam præprimis AbenEſra (per cujus veſtigia ipſe ducitur Grotius) *Chiskiam*, alii *Zorobabelem* intelligunt; qvibus tamen argumenta ex toto contextu ab ipſo R. Abarbenele contra Jhudæorum vulgus collecta & abs nobis ad præced. locum §. 5. recollecta, fortiter repugnant. Ad præſentem verò textum qvod attinet, dictus *R. AbenEſra* prætermiſſis qvinqve donis, uno tantùm *fortitudinis*, fidem conciliari ſuæ putat aſſertioni dicens: כי חזקיהו גבור היה כי כן כתיב i. e. *qvia Chiskias fortis fuit: ita enim ſcriptum eſt.* At verò qvodnam fortitudinis documentum præ ceteris Regibus à Chiskia editum fuit, & ubi id literarum monumentis conſignatum extat? Et qvid qvæſo de reliqvis fiet donis, nempe *Sp. Sapientiæ, ſcientiæ* &c.? Qvod verò longè hæc ſublimiora ſint, qvàm ut prædicto Regi vel alii nudo homini poſſint tribui, non tantùm ſuprà abs nobis oſtenſum eſt, ſed & ipſe ille Jhudæus ſuo ſatis ſilentio commonſtrat, ceu rectè hîc arguit *Friſchmutius* Diſp. in h. l. §. 8. Laudamus verò hîc denuo *R. Abarbenelem*, qvi veritatis vi adactus & veſtigiis *Paraphraſtæ Jonathanis* inſiſtens, non tantùm *Meſſiam* (non verò *Chiskiam*) eſſe illum docet, *ſuper qvo Spiritus Domini reqvieſcere* hic prædicitur, ſed & *Spiritum Domini* cum eodem Jonathane per *Spiritum Prophetiæ* interpretatur, atqve ita ad h. l. (prout verba ejus latinè reddita ſonant) commentatur: *Secunda hæc proprietas attinet propheticam ejus* (Meſſiæ) *prærogativam, qvæ ſumma eſt futura.* Et paulò pòſt: *Qvin tanta erit prophetia ejus, ut cordis qvoqve humani arcana ſit cogniturus, ſicut dictum eſt* (hoc cap. XI. 3.) *non ad viſionem oculorum ſuorum judicabit* &c. Et poſt pauca: *Ex hoc patet, qvod non impleta ſit prophetia hæc in Chiskia, qvia hic non fuit propheta.* Ita ille hîc ſatis rectè

qvidem in theſi & explicatione loci! Qvod verò idem ipſe *Abarbenel* in proximè ſeqventibus vaticinium hoc nobis Chriſtianis, ad Dominum noſtrum Jeſum Nazarenum illud applicantibus, eripere ſuoqve Meſſiæ futuro, qvi figmentum prorſus eſt, vindicare conatus eſt, dicens: ולא ברוב בית שניה h. e. *neqve tempore domus* (templi) *ſecundæ* (hæc prophetia impleta eſt) כי לא היתה בהם נביאה ולא רוח הקדש h. e. *qvia tunc neqve propheta fuit neqve Spiritus S. velut Doctores tradiderunt*, vel (uti ad ſeqv. tertium Meſſiæ characterem, qvi juxta ipſos *miraculoſa* & *perfecta* eſt *ſapientia*, *ſcientia* &c. docet) *hæc conditio non inventa eſt* באנשי בית שניה להמצא במלך המשיח h. e. *in Viris domus ſecundæ* (h. e. qvi ſtante templo ſecundo vixerunt) *ſed invenietur in Rege Meſſia* (qvem ſc. adhuc venturum credunt) in illo certè is toto erravit cœlo; id qvod tandem jam in *applicatione* explicati ſic loci oſtendendum erit.

§. 10. In illa verò *applicatione* loci ad Dominum JESUM noſtrum duo potiſſimùm nobis incumberent, ſcilicet ut non tantùm *applicationem adſtrueremus noſtram*, ſed & dictas jam *Abarbenelis objectiones deſtrueremus*; ſed ob pagellæ anguſtiam vela jam contrahere tenemur, daturi operam, ut *noſtra applicationis adſtructio* illam *objectionum deſtructionem* ſimul complectatur. Certè enim ſi *hiſtoriam Baptiſmi Domini JESU noſtri* & *Prophetias* ejus & ſingulare *docendi acumen* & *miracula* ſimiliaqve conferemus, non minùs ipſi hos Meſſiæ characteres ſc. *reqvieſcentiam Spiritus Domini*, *Spiritus Sapientiæ* &c. qvàm præcedentem primum, ſc. *genealogiam ex familia Davidis*, competere, adeoq; illas Jhudæorum objectiones jamjam præced. §. 9. citatas omnino falſas eſſe deprehendemus. Igitur (I.) pro vaticinii, de *reqvieſcentia Spiritus Domini*, complemento in Dn. JESU noſtro rectiùs oſtendendo, urgemus *illuſtrem* illam *Spiritus S.* in *Baptiſmo ejus ad Jordanem factam apparitionem* Matt. 3. 16. in illa enim Johannes Bapt. teſte Joh. Evangeliſta c. 1. 33. *vidit Spiritum deſcendentem ſuper JEſum & permanentem.* Qvid verò hæc deſcenſio & hæc permanſio Spiritus S. fuit aliud, qvàm publica reqvieſcentiæ Spiritus Domini ſuper Dn. JESU noſtro declaratio, ſimulq; teſtimonium, qvod Spiritum Domini is ipſe acceperit & qvidem *non ad menſuram*, ceu idem Joh. Baptiſta teſtatur Joh. 3. 43. adeoqve *ſupra conſortes* unctus *oleo ſit lætitiæ*, uti Pſ. 45. 8. prædictum, hoc eſt *Spiritu & virtute*, ceu exponitur Act. 10. 38. (II.) Pro *Spiritu Prophetiæ* (prout *Targum Jonathanis* & cum eo R. Abarbenel *Spiritum Domini*, uti ſupra dictum, interpretantur) contra Jhudæos urgemus *varias* Domini Servatoris noſtri

noſtri *Prophetias*, qvæ conferantur deſcriptæ (1.) Joh. 6. 70. Matt. 26. 21. 25. (2.) Matt. 16. 21. c. 26. 2. Luc. 18. 31. 32. 33. Joh. 2. 19. (3.) Matt. 26. 7. 13. (4.) Luc. 24. 49. Act. 1. 4. (5.) Matt. 24. 2. 23. Luc. 19. 43. (6.) Matt. 23. 38. (7.) Matt. 24. 14. (8.) Matt. 21. 3. 7. &c. Annon enim hæc atqve cetera, qvæ prædixit is, exactè ſunt impleta? Nonne ſatis à Dno JESU noſtro præſtitum eſt, ô Jhudæi, qvod majores olim veſtri, ipſummet patientem irriſuri, flagitabant dicendo: *Prophetare nobis Chriſte*, Matt. 26. 68. Neqve (III.) minora hîc documenta pro *Spiritu Sapientiæ & intelligentiæ & conſilii* militare deprehenduntur. Annon enim ille, qvi *Sapientia nobis à DEO eſt factus* juxta 1. Cor. 1. 30. & *in qvo omnes theſauri Sapientiæ ſunt abſconditi* Col. 2. 3. jam Puer duodecennis in templo ſecundo, (in qvo ceteroqvi qvotidie is docebat Luc. 19. 47.) ipſos Doctores Hieroſolymitanos in ſui admirationem rapiebat, ſupraqve ætatem ſic ſapientem ſe Spirituqve ſapientiæ impletum probabat. Luc. 2. 47. annon aſtutiſſimos ſæpe Phariſæos ſapientiâ ſuâ cepit? Matt. 22. 17. 22. item verſ. 46. annon docebat ὡς ἐξουσίαν ἔχων Matth. 7. 29. ita ut ſimilem ejus ſvadæ ſapientiæqve nunqvam ſe audiviſſe ipſi teſtarentur Jhudæi? Joh. 7. 46. Annon & *ſapientiſſima* nobis *conſilia* tum per ſe tum per Apoſtolos de conſeqvenda æternæ ſalutis felicitate Matt. 5. & 6. paſſimqve alibi ſuppeditavit? annon *omnem DEI voluntatem* & *conſilium nobis annunciavit?* Joh. 1. 18. Qvem ulteriùs & (IV.) de *Spiritu fortitudinis* vel *potentiæ* eidem collato dubitare ſinunt tot *effecta fortitudinis?* Qvomodo enim gravitatem is atqve difficultatem officii ſuperare, perpetuòqve ſe ſub ingentibus invidiis, perſecutionibus, laboribus & paſſionibus erigere potuiſſet (qvod inprimis ex oratione ejus περαγωνίῳ Joh. 17. videre licet) niſi fortitudinis Spiritu fuiſſet armatus? Ejusdem fortitudinis ſ. potentiæ effecta non poſtrema fuerunt *miracula* ejus, ne fando qvidem audita Joh. 9. 32. c. 15. 24. cumqve ſtupore videntium pro arbitrio ab ipſomet edita Marc. 8. 2. Joh. 5. 20. Qvis verò illum negaret fortem, qvi Dæmones ejicit & qvidem καθ' ἐξουσίαν Marc. 1. 26. 27. conf. Luc. 11. 14. 21. 22. qvi motos maris fluctus etiam verbo compeſcit Matth. 8. 26. qvi norbos omnem Medicorum operam eludentes verbo curat Joh. 5. 8. Matth. 9 6. qvi mortuos reſurgere facit &c. Joh. 11. 43. 44. &c. Conf. & Matth. 11. 5. His ergo ipſis Spiritum potentiæ verumqve ſe Meſſiam eſſe juxta Jſai. 35. 5. 6. ſatis ſuperqve probavit. Tandem & (V.) *Spiritum ſcientiæ & timoris Domini* in ipſo reqvieviſſe vel inde remur ſatis conſtare, qvod is Dominus noſter (*in qvo omnes theſauri ſcientiæ ſunt abſconditi* Col. 2. 3. & cui Petrus teſtimonium omniſcientiæ perhibuit Joh. 21. 17.) non tantùm futura ſciverit

verit, ceu ex prophetiis ejus suprà laudatis innotuit, sed & *abscondita & arcana cordis*, vel *quæ in homine sunt*, perfectè cognoverit, qvomodo hoc donum scientiæ R. Abarbenel interpretatur conf. præced. §. 9. Annon enim omnes cognoscebat Hierosolymitanos ita ut non indigeret, ut aliqvis testimonium de homine ferret, qvia noverat qvæ in homine sunt? Joh. 2.24.25. Annon Pharisæi Simonis ἐνθυμήσεις sive cogitationes inspiciebat easqve egregio mox simili revelatas dignè refutabat? Luc.7.39.40. Conf. præterea Matth. 21. 2.3. Matth. 22.18. Luc. 5.22. &c. Et qvid tandem qvæso contra *timorem Domini* egit? annon *DEI Patris voluntati usqve in mortem se conformavit*. Matt. 26.39. Phil.2.8. &c. Eat nunc *R. Abarbenel* & ex traditione Doctorum dicat, *tempore domus secundæ hanc prophetiam de Spiritu Domini non fuisse impletam*: garriat, *tunc neqve prophetiam neqve Spiritum S.* fuisse: ajat *conditiones has, nempe Sapientiam, scientiam, consilium & fortitudinem sine defectu in Viris templi secundi inventas non fuisse*! Contrarium certè ex hactenus dictis meridianâ luce clariùs elucescit.

§. 11. Deniqve verò applicationem sic adstructam excipit *Usus* loci *didacticus*, Consectaria qvædam subjungens. Ex hoc enim loco seqvitur (1.) ex *V. qvod T. clarè satis Patribus innotuisse* nobisqve constare *SS. Trinitatis mysterium*. Sicut enim alibi in V. T. e. c. Jsai. 63. 7. seqq. diserta fit mentio *DEI, Angeli faciei*, qvi est Filius, & *Spiritus S.* Item Jsai. 48. 16. tres personæ nominantur verbis: *Nunc Dominus misit me* (Jhovam filium, qvi hæc loqvitur) *& Spiritus ejus*: ita & h. l. nominatur 1. *Spiritus* super Messia reqviescens, 2. *Jhovah*, cujus est Spiritus 3. *Filius* qvi *Nezer* personalis, super qvo Spiritus reqviescit. Unde & (2.) consequitur, *Spiritum S. distinctam esse à Patre & Nezer s. Filio personam*. Imò & (3.) consequitur, rectèqve à nostratibus ex h. l. probatur, *Christo communicatam esse omniscentiam aliaq; dona verè divina*, & qvidem *secundum humanam ejus naturam*. Secundum illam enim naturam accepit dona & unctus est, secundum qvam est Nezer s. Surculus, & secundum qvam egressus est ex radicibus Jischai v. 1. & secundum qvam reqvievit super ipso Spiritus Domini h. l. Atqvi hæc omnia tribuuntur illi secundum humanam naturam, non vero divinam: qvia secundum div. naturam non est surculus qvi egressus est è radicibus Jischai; qva verò est surculus de radice Jischai, reqviescit super illo Spiritus: nec secundum divinam naturam Spiritus super illo reqviescit, sed ab illo procedit. Conf. supr. §. 2.

Præ-Eximio Dn. Respondenti.

SUrculus æterno & cælesti è stipite cretus
Fine carens simul ac principioqve carens.
Principium rerum primum, qvi finis & idem,
Et sine principio & non sine principio.
Principium sine principio, finis sine fine,
Surculus & finis principiumqve simul.
Principium ex radice tamen qvi in tempore sumsit,
Principioqve prior, posteriorqve suo.
Surculus hic radicem & vitâ & robore vincit,
Surculus omnipotens, omnisciusqve simul.
Surculus & radix æqvales; surculus illam
Immensis superat viribus, arte, gradu.
Surculus est unus, radice ex duplice surgens,
Radice haud major, nec minor ipse suâ.
Hæc Tu concilia, LUTKMANNE, & gloria cedet
Tunc Tibi, qvi studiis ingenioqve vales.

De felici studiorum successu impensè gr.

J. Fechtius, D. P. P.
Superint. h. t. Ac. Rector.

Eximio Clarèq; docto Viro Juveni,

DN. TIMOTHEO LÜTKEMANNO,

secundùm jam
In illustriora ISAIÆ Loca,
& hac qvidem vice in Locum ISA. XI. 2.
de
SPIRITU DOMINI
super SURCULO JISCHAIANO reqviescente,
publicè disputaturo
FATA SECUNDA!

DUm primis satis eximiè clarescis ab annis,
Maturè studii dans documenta Tui,
MANE † mihi LUCENS meritò, *Lütkmanne*, vocaris;
Maturæ frugis non sine laude ferax.
Gratulor hos *medios*, qveis vis *maturior* ardet,
Ac precor, ut *magni* sint Tibi signa *Viri*, Ut

Ut DOMINI sanctus dominetur SPIRITUS in Te,
Qvo duce Tu LUCES † MANè *manesq;* ferax;
Qvo duce Tu vitium vitas ac otia rectè
Odisti, *frugem* qvæ *radiosq;* fugant:
Qvo duce Tu PATRUI potes æmulus esse beati,
Nomine qvi *parvus*, *magnus* at arte fuit.

† LUeTKEMANNUS:

Anagr. *LMq;*
TU MANè LUCENS. A. D. HABICHHORST, D.

Sap. VIII. 2.

Ταύτην ἐφίλησα καὶ ἐξεζήτησα ἐκ νεότητός μου.

* * *

VOn Jugend auff gesucht/ das ist die beste Ahrt/
Wer kan der Weißheit Kunst im Schlaff und Trägheit finden?
Nuhr Fleiß und Arbeit wird uns mit der Kunst verbinden.
Drum hat Herr Lütkemann die Arbeit nicht gespaart/
Die Jugend steht allhie mit Tugend schön verpahrt/
Das Zeugniß hört man offt in unsern Rosen-Gründen.
Nuhn Sein beliebter Fleiß wird ihm die Krohne winden.
Woll Ihm! der Weißheit sucht mit Ernst und guter Ahrt!

Bey abermahl rühmlich abgelegter Probe seiner Wissenschafft/ schrieb dieses dem Herrn Respond. zum Freund-Andencken

M. J. L.

Der Haubt-Kirchen zu St. Marien Archi-D.

NUn ist es eben Zeit zu handlen von dem Geiste/
Vom Geist der Weißheit/ der auff dem Messia ruht/
Nun da es Pfingsten ist. Ich wünsch' Ihm großen Muht/
Herr Lütkemann/ dazu: derselbe Geist der leiste
Ihm Beystand/ Raht und Krafft zu dem was Er beginnet/
Daß zu der Seingen Trost Er werd' ein großer Mann/
Der GOttes großen Ruhm mit Ernst befodern kan/
Der Seelen ohne Zahl dem Satan abgewinnet!

Mit diesen wenigen Zeilen hat aus schuldiger affection dem Herrn Respondenten gratuliren wollen

H. H. Wildhagen/ Holsat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0318
DFG

PARTIS PRIMÆ
ILLUSTRATORUM ISAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA
VIGESIMA,
De

ODORATU
SURCULI JISCHAIANI
IN
TIMORE DOMINI EXERCENDO,

Ad ISAI XI. v. 3.

Quam

Auſpice DEO-Homine & Ven. FCte TH. conſentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

Doctore & Profeſſore Theologo Ordinario,
Conſiſtoriiqve Duc. Mekelb. Aſſeſſore ac Collegii Profeſſorum Ducalium Seniore,

ad d. XIII. Januar. A. 1692. in Aud. Maj. inclutæ Univ. Roſtock.
ἐζετάσει Academicæ exponit

ULRICUS DARJES,
Roſtochienſis.

ROSTOCHII,
Typis JACOBI RICHELI, Ampliſſ. Senat. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0319
DFG

VIRIS

Adm. Reverendo, Nobilissimis, Excellentissimis, Consultissimis, Clarissimis, Doctissimisque,

DN. SIMONI HENNINGIO,

S. Theol. D. & ad Ædem Jacob. hîc Archid. ut & Cænobii ad S. Cruc. Pastori dexterrimo atque per multos jam annos meritissimo,

Dno Patrono Animæque Curatori, ut & Præceptori Studiorumque Promotori ad cineres usq; devenerando,

DN. CASPARI ELLERHUSIO,

J. U. D. & Practico gravissimo,

Domino Fautori atque Amico æstumatissimo,

DN. JOH. JOACH. BESELINO,

J. U. L. & Consist. Ducalis Advocato Ord. digniſſimo,

DN. M. JOHANNI MANZELIO,

Olim Græcæ hîc lingvæ Prof. Publ. nunc Gymnasii Güstrovienſ. Rectori meritissimo,

Dominis Affinibus singulariter Colendis & suavissimis,

DN. ULRICO ELVERS,

Juris Practico solertissimo,

Domino Avunculo unico honoratissimo dilectissimoque,

Has studiorum meorum primitias

Indebiti jamdudum obsequii, gratique semper animi documentum, nec non favoris erga me ulterioris incitamentum, sub auspicium novi hujus anni, strenæ loco, cum voto omnigenæ felicitatis, officiosissimè dico offeroque

U. DARJES, Resp.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0320
DFG

DECADIS IV.

LOCUS I. ISAI. XI. 3.

Disp. XX.

De

Odoratu Surculi Jischaiani, in timore DOMINI exercendo.

Requiescentiam Spiritus Domini super Surculo Jischaiano h. e. Messia (de qva proximè ad versum 2. cap. XI. est disqvisitum) sic satis arguunt *operationes* ejusdem Nezer, tanqvam effecta reqviescentiæ illius, qvæ in seqq. memorantur. Has inter in seqv. statim tertio versu designatur *Odoratus Surculi in timore Domini exercendus*, in qvo R. Abarbenel *qvartum veri nominis Messiæ characterem* observat. Cumqve Interpretes tam Ebræi, qvàm Græci & Latini circa illummet in omnia alia concedant, præteriri locus is abs nobis non debebat, qvi in fonte sic habet: והריחו ביראת יהוה h. e. *& odorari ejus* (erit) *in timore Domini.* Pro methodi verò nostræ instituto, dispiciendũ præprimis de sensu loci erit & inqvirendum (1.) in ODORANDI verbum והריחו (2.) explicandum, qvid sibi velit יראת יהוה i.e. *timor Domini*, in qvo Messias hîc *odorari* perhibetur? Qvibus dein *usus* loci & *applicatio* characteris hujus ad DOMINUM & Servatorem nostrum JESUM *Jessæum* & *Nezer* NAZARENUM, ceu in præcedentibus qvoqve factum, subjungetur.

§. 2. Circa I. nempe ODORANDI verbum, duo hîc præstanda: (1.) ostendenda est *genuina vocis* והריחו *forma* & *subjectũ* (2.) dispiciendum, qvidnam illâ voce hîc qvoad REM significetur? Ad primum, sc. *formam* vocis & *subjectum* ejus, non temerè qværitur, an והריחו sit *Præteritum* in Conjug. *Hiphil* & qvidem *transitivè* significans, adeoqve reddendum per *odorari faciet illum* sc. Surculum Messiam, ita ut *subjectum* verbi, ad

qvod referatur, sit *Spiritus ille Domini*, præced. v. 2. descriptus, hoc sensu: *Et ille Spiritus Domini*, qvi reqviescet super Surculo Jischaiano, *odorari faciet illum*, sc. Surculum h. e. Messiam? an verò sit *infinitivus in Hiphil*, *intransitivè* significans adeoqve vertendum per: *& odorari ejus* (h.e. odoratus ejus sc. Surculi) erit *in timore Domini*, ita ut *Subjectum* verbi sit ipse Surculus s. Messias? Priorem sententiam de *præterito Hiphil* & *transitiva* significatione verbi, cujus *subjectum* sit *Spiritus* Domini, suam fecit Jesuita *Caspar Sanctius*, ceteroqvi Scripturarum inter Pontificios Interpres haut postremus, qvi certè hîc, uti ipse fatetur, à communi Patrum sententia discedit, dum ita ad h.l. commentatur: *Verisimilius mihi est, illud nomen* הֲרִיחוֹ *esse in præterito Conjugationis Hiphil & propter vau conversivum explicandum esse per futurum. Tunc verò verbum ad Spiritum S. refero, tanqvam ad Suppositum in hanc sententiam: reqviescet super eum Spiritus Domini & Spiritus idem olere faciet Christum timorem Domini, i. e. qvocunqve in opere aut loco odorem emittet ex se timoris Domini.* Ita *Sanctius*, cui & suffragari, si non præire, videtur *Avenarius* in Lexico Ebr. qvando sub Rad. רוּחַ hunc Isaiæ locum allegat & sic vertit: *& faciet eum odorari in timore Domini.* Ceterùm illam interpretationem Sanctio hîc nulla necessitas imperavit, qvippe cui obstat (1.) *præcedens constructio* nominis רוּחַ i. e. *Spiritus* cum Verbo fœminino וְנָחָה & *reqviescet*, in membro 1. præcedentis primi versus. Conf. præced. Disp. XIX. ad v. 2. cap. hujus XI. §. 6. Si enim verbum qvæstionis הֲרִיחוֹ esset *præteritum Hiphil* & *subjectum* haberet idem nomen רוּחַ *Spiritus*, proximè præced. versu primo positum, tunc certè verbum illud non in genere masc. וְהֲרִיחוֹ sed in fœminino formari diciqve וְהֲרִיחָתְהוּ debuisset. Licet enim nomen רוּחַ testantibus Lexicographis sit gen. communis; qvia tamen præcedente jam primo versu in genere fœmin. accipi-

tur,

tur, qvando cum verbo fæm. נחה conſtruitur, vero ſimile non eſt, Spiritum S. genus in proximè ſeqv. verſu variaſſe, præſertim cum nomen illud רוח freqventiùs in fæminino genere adhibeatur, uti vel ex Pſ. 143. 11. & 1. Sam. 16. ult. pateſcit, ubi non tantùm adjectiva fæminina טובה & הרעה ſed & verba tertiæ perſ. fæmininæ תנחני *ducat me* & וסרה *& receſſit*, cum eodem nomine conſtruuntur. Conf. & Gen. 1. 2. ac 1. Reg. 19. 11. &c. unde & in plurali habet רוחות qvæ terminatio fæmininorum eſt. Obſtat (2.) *uſitata verbi hujus ſignificatio*: non enim niſi in Conjug. *Hiphil* reperitur. In illa verò Conjugatione nunqvam huic verbo ineſt ſignificatio *tranſitiva*, ſcilicet *facere, ut qvis odoretur*, ſed *intranſitiva odorandi*; qvicqvid etiam contrà in Lexico ſuo ſtatuat *Avenarius*, ubi is verbum hoc non tantùm in *Hiphil* format, in qva Conjugatione id juxta ipſum ſignificationem habet tranſitivam, *facere odorari*: ſed & in Conjug. *Kal*, ubi intranſitivè ex ejusdem ſententia ſignificat: exempla enim, qvæ ſub conjugatione Kal produxit Autor, nempe אריח Lev. 26. 30. Amos. 5. 21. יריח Ijob. 39. 25. וירח Gen. 8. pen. & c. 27. 26. יריחן Pſ. 115. 6. יריחן Deut. 4. 28. non ſunt *Futura* in *Kal*, ceu ille putavit, ſed in *Hiphil*, qvod terminatio in (י.) ſic ſatis oſtendit, pro qva tamen nonnunqvam (-) etiam eſt, præcipuè ſub & ante gutturales עהח uti in וירח Gen. 8. v. pen. & c. 27. 26. Obſtat (3.) *reſpectus prædicati hujus in membro I. ad prædicata membri ſeqv. 2.* ubi ſubjectum non eſt *Spiritus* ſed *Surculus*. Qvare enim aliud ſubjectum prioris membri in verbo qvæſtionis והריחו *odorari ejus*, ſtatueremus, qvàm eſt ſubjectum poſterioris membri ſeu verborum וישפט *judicabit* & ויכח *corripiet?* Nonne enim hæc membra arctiſſimè cohærent? Relinqvitur ergo והריחו eſſe *infinitivum* Conjug. Hiphil & *ſubjectum* ejus non *Spiritum Domini*, ſed *Surculum* eſſe *Jiſchaianum*, adeoqve reddendum: *& odorari ejus* (Surculi nempe, ſu-

per qvo reqvieſcit Spiritus Domini) h. e. *odoratus ejus* erit &c. ita ut *infinitivus* hîc loco nominis ſit vel nominaſcat. Neqve enim hîc cum *Friſchmutio* facimus, qvi *Sanctii* Jeſuitæ jam-jam notati ſententiam refutaturus in Diſput. ad h. l. Iſai. II. 2. de *ſecundo, tertio & qvarto Characteribus, qvos in veri nominis Meſſia Judæi exigunt*, ita §. 15. ſcribit: *Infinitivus, qvi Vau converſivi minimè capax, qvandoqve ex uſu ſcripturæ cum affixo loco verbi finiti ponitur, uti Job. 9. 27.* אמרי pro אמרתי *Atqve ita h. l. pro futuro poſitus eſt infinitivus, neqvaqvam præteritum, ut Jeſuita cenſet.* Hactenus ille. Licet enim haut diffiteamur, ו ſæpius eſſe converſivum & infinitivum non eſſe capacem ו converſivi: nec inficiemur, infinitivum qvandoqve in Scripturis pro Futuro adhiberi, uti & 2 Sam. 3. 18. הושיע *ſervare* pro אושיע *ſervabo*, imò & eundem nonnunqvam præcedenti vel ſeqventi verbo correſpondere, ut Eccleſ. 8. 9. ראיתי ונתון את לבי i. e. *vidi* (illa omnia) *& dare* (dedi) *cor meum*, ubi infin. נתון *dare* pro præterito adhibetur, qvia præcedens verbum ראיתי præteritum eſt; hoc tamen loco והריחו ו non eſt converſivum, nec illis hîc ambagibus opus eſſe putamus, cùm uſitatiùs & commodiùs hîc ſtatuatur infinitivus nominaſcere vel loco nominis poſitus eſſe, qvomodo alibi ſæpe in ſcripturis V. T. & in N. qvoqve nonnunqvam adhiberi ſolet. Sic in uno verſu 27. 2 Reg. 19. qvater infinitivus pro Nomine ponitur, cum dicitur, ושבתך וצאתך ובאך ידעתי ואת התרגזך אלי i. e. *& ſedere tuum* (ſeſſionem) *& egredi tuum* (egreſſum) *& venire tuum* (adventum) *ſcio*, & furere tuum (furorem) contra me. Plura vid. ap. *Glaſſ. Phil. Sacr.* l. 3. Tr. 3, can. 44. n. 5.

§. 3. Cum ergo ſic de *forma & ſubjecto* verbi והריחו ſatis, ut arbitramur, conſtet, jam ulteriùs (2.) qva *REM ipſam* circa idem non immeritò diſqviritur, *qvidnam vocabulo odorandi hîc ſignificetur?* Ubi ludere nobis operam haut videmur, ſi me-

methodi memores noſtræ potiſſimas ſuper hoc argumento ſententias tum proponamus tum examinemus, minùs probabilibus rejectis & deſtructis, eaqve retentâ & adſtructâ, qvæ Scriptori ſacro & contextui convenientior comprehendetur: Ita enim genuinum loci ſenſum tantò rectiùs aſſeqvemur. Inter omnes verò Interpretes à veritate hîc longiùs abludit *R. Abarbenel*, cujus ceteroqvi ſententias, præcedentibus aliqvot diſputationibus, ex merito probare debuimus. Odoratum enim Meſſiæ, qvem *qvartum* ejus *Characterem* ſtatuit, de *fomite peccati* vel *vitioſâ Meſſiæ concupiſcentia* exponit, *qvàm ille juxta ipſum compeſcere debeat, ita ut cupiditatibus is corporalibus haut indulgeat, ſed frenum iis injiciat.* Verba ejus ex libello *Maſchmia Jſchua* brevitatis ergo non allegamus, in qvibus ceteroqvi de ſenſibus is prolixè qvidem nec adeo malè commentatur, ſed ridiculè tamen Meſſiam odoratu, qvi tenuior ſit aliis ſenſibus, ad delicias, reliqvorum Regum more, non eſſe uſurum fabulatur, adeoqve craſſum planè errorem, qvem circa perſonam Meſſiæ erravit, ſatis prodit, qvippe de qvo, tanqvam ψιλανθρώπῳ eoqve peccaminoſo homine, ſic garrire non erubeſcit, qvem potiùs cum veteri Eccleſia Jhudaica ſ. cum priſcis V. T. fidelibus ut DEUM ſimulac hominem juxta Geneſ. 4. 1. Iſai. 9. 16. Mich. 5. 2. 2 Sam. 7. 14. 19. &c. atqvè ut Sanctiſſimum juxta Dan. 9. 24. venerari ſimul ac confiteri debuiſſet.

§. 4. Contrà ex Chriſtianis, & primò qvidem noſtratibus, nonnulli in voce *odorandi* hîc ἀνθρωποπάθειαν dari contendunt, ita ut per *odoratum Meſſiæ* intelligatur *Sacrificium ejus propitiatorium, in obedientia usqve ad mortem crucis Patri præſtitum.* Ita odoratum hîc interpretatur *Prüknerus* in Vindic. V. T. part. 3. ad h. l. p. 29. ſecutus haut dubiè *Glaſſium*, cui ſimpliciſſimè omnium (ceu loqvitur) hoc verbum intelligitur de *ſacrificio Chriſti propitiatorio, in obedientia usqve ad mortem crucis Patri*

præstito, qvam *obedientiam* is ipse hîc *timorem Domini* à Propheta vocari putat, l. 5. *Phil. Sacr. Tr. 1. c. 7.* *Glassius* verò per *Lutheri* vestigia ductus esse deprehenditur, qvi in Glossa margin. Bibl. German. ad vocem Riechen h. l. odoratum hunc per metalepsin (ceu *Forsterus* in Comm. ad Isai. h. l. p. 263. censet) de *officio Christi Sacerdotali*, qvo se ipsum pro nobis oblationem & victimam DEI in odorem bonæ fragrantiæ tradidit, interpretatur. Verba glossæ ita habent: Sein Opffer / das für GOtt woll reucht / und sein Reuchwerck wird nicht seyn wie des alten Priesterthumbs / des Gesetzes / in äusserlichem Rauchwerck / sondern in der Furcht Gottes / das ist sein Gebet wird im Geist geschehen Joh. 4. 23. denn räuchern heißt beten / riechen heißt erhören. Qvibus tamen verbis Megalander odoratum hunc non de propitiatorio (ceu *Glassius* & *Forsterus* glossam ejus accipiunt) sed de *Spirituali* Christi *sacrificio* s. de *precibus* ejus intelligit, ceu inspectio verborum docet. Qvamvis autem illæ nostratium interpretationes phrasibus scripturæ non disconveniant, neqve negemus nos, verbum הריח *odoratus est*, ut & nomen ריח *odoratus*, freqventissimè de sacrificiis V. T. adhiberi, item τὸ *suffire* nonnunqvam significare *preces fundere*, & *odorari* cum ב constructum, ubi DEO tribuitur, *exaudire preces*, *acceptare* & *gratum habere*, qvemadmodum Lev. 26. 32. DEUS dicit: לא אריח בריח ניחחכם i. e. *non odorabor odorem gratum à vobis*, ceu *Tremellius* reddit h. e. *sacrificia vestra, qvæ vos putatis fore odorem gratæ qvietis, non odorabor, non placabunt, non placebunt, non grata erunt, non accepta.* Similiter de primo post diluvium sacrificio Gen. 8. 21. dicitur, qvod DEUS *odoratus sit odorem svavis qvietis*, h. e. qvod placaverit & placuerit, qvod gratum acceptumqve DEO fuerit: qvomodo & alibi freqventissimè sacrificia dicuntur ריח הניחח *odor gratæ qvietis* s. *placationis*, conf. Exod. 29. 18. Lev. 1. 9. 13. 14. &c. Inde tamen non confi-

conficitur, qvod ista interpretatio de sacrificio Messiæ sive propitiatorio sive spirituali i. e. precibus ejus, huic etiam loco conveniat: siqvidem scopo hîc Prophetæ textusqve circumstantiis non est consentanea, ceu ex dicendis §. 9. eluceſcet. B. qvidem *Varenius* in Comment. super Isai. h. l. p. 323. suffragari in initio dictæ Lutheri Glassiiqve sententiæ videtur, dum ita ad h. l. commentari infit: *Sed qvid illud: & odorari ejus erit in timore Domini? constabit illud ex paralleliſmis Lev. 26. 32. ubi DEUS iratus: non odorabor odorem gratum à vobis &c.* & paulò post scribit: *qva rem ipsam notetur, qvod verbum illud in significatione odorandi, ut & nomen* ריח *frequentissimè de sacrificiis V. T. dicantur &c.* Ceterùm qvi seqventia VIRI verba rectè attendit, satis deprehendit, eundem neqve *Lutheri* glossam hîc, neqve *Glassii* & *Prukneri* commentationem (licet nullam harum alleget) probare, sed in nostrammet, dehinc adstruendam, pedibus ire.

§. 5. Qværitur verò ulteriùs, si interpretatio de *Sacrificio* Messiæ tam *propitiatorio* qvàm *Spirituali* locum hîc non inveniat, annon saltim *respectus* aliqvis *sacrificialis* hoc odoratu juxta alios significetur, ita ut indicetur, *Messiam pro sacrificio boni odoris habiturum esse pietatem*, vel gratum acceptumqve habiturum esse *timorem Domini* eodemqve delectatum iri? vel, uti laudatus jam *B. Varenius* l. c. sensum qvæstionis hujus exponit: an significetur, *Messiam non externos sacrificatores & victimas, sed internam* יראת יהוה *h. e. reverentiam Jhovæ, respecturum esse, illumqve ipsi odorem fragrantissimum acceptissimumqve & spirituale sacrificium fore, adeoqve non ad aspectum oculorum* (uti h. l. seq. membro additur) *Messiam judicaturum neqve ad auditum aurium suarum esse correpturum, sed corda renesqve scrutaturum, an internum is cultum, nempe timorem Domini, in qvo illi beneplacitum, inveniat?* Talem enim interpretationem

Bata-

Batavos in animo habuisse ex seq. ipsorum commentatione ad h. l. colligitur: Syen Kiken (inqviunt) sal zyn in de Vreese des Heern i. e. hy sal seer wiselick ende verstandelick alles vernemen ende gewaer werden/ hy sal als een Kender der Herten weten ende verstaen/ by wien de Vreese des Heern is/ ende bi wien sie niet en is/ h.e. *valde sapienter is atq; intelligenter omnia percipere & cognoscere debet, ipse tanqvam cordium scrutator cognoscere & intelligere debet, apud qvem timor Domini sit & ap. qvem ille non sit.* Eqvidem denuo largimur, verbum *odorari* cum ב constructum (qvalis constructio & hîc datur) talem sæpe respectum sacrificialem aliis in locis importare; hoc tamen loco talem nobis interpretationem s. respectum sacrificialem à contextu non imperari vel inde constat, qvod *timor Domini* (ceu rectè hîc idem *B. Varenius* l. c. p. 324. observat) *ponatur non ut in Nazarenis* s. Christi fidelibus *sed ut in ipso Nezer, super qvo reqviescit Spiritus ille, qvi præced. v. 2. Spiritus scientiæ & timoris Domini ultimò nominabatur.* Aliam ergo significationem verbi qvæstionis & interpretationem loci, qvæ contextui sit conveniens, dare oportebit.

§. 6. Qværitur hinc, an hujusmodi interpretatio sit hæc *Grotiana: Et consolari (i.e. solatium) ipsius in timore Domini, h.e. propietate suâ maximis in periculis DEO confidet?* Apage illam prorsus novam, & à phrasi & contextu scopoqve Prophetæ alienam planè, qvis oscularetur? hæc enim omnia qvùm turpiter hîc negligat *Grotius* ceteroqvi sic satis perspicax, fieri non potuit, qvin desultoriâ qvadam & in Interprete valde improbanda levitate alienam vocabulo *odorandi* significationem affinxerit, minimè id facturus, si non de Chiskia, sed de Messia hîc agi, ut crederet, impetrare â se potuisset. Etenim Propheta post descriptionem reqviescentiæ Spiritus S. super Messia s. collationis donorum verè divinorum, præcedente

dente versu 2. propositæ, versatur jam v. 3. & seqq. in explicatione exercitii donorum s. operationum s. officii, & docet qvomodo id à Rege Messia administretur. Igitur nihil hîc de *consolatione* & *confidentia* Surculi illius Jischaiani cogitandum erat. Et ubi, ubi ריח s. *odorari* significat *confidere* s. *consolari?*

§. 7. Ceterùm qvid habendum est de *Calvini* & *Anglicanorum* sententia, qvam seqventi sua versione designant: *& sagacem illum reddet in timore Domini?* Eqvidem non procul ab illorum sententia, qvam deinde probaturi sumus, abire videntur; in eo tamen graviter peccant, qvòd verbũ hoc *Intransitivum* הריח i. e. *Odorari*, vel juxta Calvinum, *sagacem* esse, transitivè accipientes reddunt per *sagacem reddere*, atq; ita perperam subjectum propositionis & verbi nonMessiam sed Spiritum S. cum *Sanctio* statuere comprehenduntur, qvæ sententia jam suprà est retusa, conf. §. 2. n. 2. & 3. Neqve illam *Forerii: respirare ejus erit in timore Domini i. e. nihil nisi pietatem spirabit*, contextui & phrasi scopoqve Prophetæ respondere putamus.

§. 8. An verò id præstet seqvens *Arnoldi Bootii*, dispiciendum paulò pluribus erit. Eqvidem in *animadversionibus suis* part. 3. l. 11. c. 4. p. 1061. censet, *nimis negligenter ac impropriè hîc verbum* הריח *à plerisqve* per *odorari esse redditum*, & contrà speciosè satis *odoratum* hîc tanqvam *speciem sensuum* pro *genere* positum docet, cum *& alibi*, nempe Judic. 16. 9. & Job. 39. 15. *ita accipiatur & Ebræi nullum habeant verbum peculiare, qvod* τῷ *sentire respondeat*, adeoqve locum sic interpretatur: *& sensus ejus timore Domini erunt imbuti i. e. religiosè omnia persentiscet: religio erit velut norma sensuum ejus*; At verò, qvò minus *calculum* illa nostrum mereatur, obstare non omnino nulla, ex dicendis patebit. Licet enim haut inficiemur, loco *Jud. 16. 9.* (qvem *Bootius* citat, & in qvo idem infinitivus cum affixo reperitur, qvi h. l. extat) τὸ *odorari* per *sentire* explicandum esse

h. m. *& rupit, ceu rumpitur filum ſtupæ,* בהריחו אש *in odorando ipſum ignem* i. e, cum olfacit h. e. *ſentit ignem*, ut adeo *ſpecies* illic pro *genere* ponatur, & præterea ſenſus, qvi animalis eſt proprius, aliis rebus καταχρηστικῶς tribuatur, qvomodo & Job. 14. 9. dicitur: *arbor progerminat, cumprimum aqvam olfecerit* i.e. ſenſerit, & Dan. 3. 27. dicitur: וריח *& odor* (h. e. ſenſus) *ignis non tranſiit* in eos. Conferatur de his qvoqve locis *Bocharti Hierozoicon* part. 1. l. 2. c. 19. p. 151. An verò & loco poſteriori Job. 39. 28. (qvem idem Bootius produxit) *odor* ſimpliciter pro *ſenſu* accipiendus ſit cum dicitur: *Eqvus è longinqvo prælium odorabitur*, qvin dubitemus, facere non poſſumus, præſertim cum & *Bootius* & *Bochartus* ad illum Jobi locum aliam adhuc ſignificationem obſervent, ita ſcribentes: *eqvus odorabitur* i. e. *ſentiet, perſentiſcet pugnamqve futuram præſagiet*, ſimulq; additam ſignificationem iſtam phraſi illâ Ciceronianâ ad Atticum: *odorari qvid futurum ſit*, Bochartus illuſtret. Qvum verò dicto hoc poſteriore Jobi loco τὸ *odorari* plus ſignificet qvàm *ſentire*, nimirum *præſentiſcere, præſagire*, certe nec priora hîc à Bootio producta probabunt, qvod ad hunc noſtrum de odoratu Meſſiæ locum probare intendit, ſc. odoratum hîc de *ſenſibus* qvoqve ejus *timore Domini imbuendis*, intelligendum eſſe: qvare enim non potiùs hîc qvoqve ſignificet *præſentiſcere, præſagire* vel *ſagaciter cognoſcere, judicare &c.?* qvalem verbi ſignificationem Autorum in ſubſeqq. laudandorum ſententia, nobismet comprobanda, rectiùs hîc obtendit.

§. 9. Alii enim vocabulum hoc commodiùs de *maxima vi præſentiſcendi* vel *cognoſcendi & judicandi* exponendum hîc eſſe rentur, adeoq; per *odoratum*, qvi ſenſus eſſe vividus minusqve errori obnoxius, qvàm viſus & auditus, putatur, hîc non tantùm *facilitatem cognoſcendi* ſ. *ſagacitatem & perſpicacitatem*, ſed & *cognitionis infallibilitatem* atqve *certitudinem*, qva Meſ-

fias

sias qvasi odore narium facilè & curatè possit cognoscere & inter pios ac impios discernere, imò & judicare de iis qvæ ceteroqvi sunt recluſa, nec opus sit illi auditu vel aspectu, indigitari censent. Et ex his qvidam (referente *Förſtero* in Comm. ad Isai. h. l. p. 263.) *metaphoram* addunt, à *ſagacitate canum* desumtam, qvi odoratu aliqvid indagant: Hac enim canes præprimis excellunt, unde & Poëtis vocantur *odoriſeqvi* & ap. *Virgil.* 4. Æneid. v. 15. *odora canum vis* laudatur. Qvam illorum sententiam (1.) laudatus suprà *locus Job. 39, 28.* & qvæ ad illum præcedente jam §. 8. notavimus commendant: qvorsum adhuc illud referimus, qvod & latini non infreqventer hoc odorandi vocabulo in hac metaphora pro *præsentiscere* & *judicare* utantur: siqvidem ipse *Tullius* modò ad Atticum (ex relatione Bocharti paulò antè auditâ,) scribit: *odorari qvid futurum sit*, modò lib. de Oratore dicit: *ſagaciſſimè odorari, qvid exiſtiment judices*, ſehr ſcharff mercken/ & in Verrem: *perveſtigare & odorari* &c. (2.) *Contextus* eandem satis insinuat: siqvidem non tantùm *proximè præcedens* versus 2. inter dona Spiritus S., Messiæ collata, ultimo loco *ſcientiæ* & *timoris Domini* donum proponit, cujus mox operationem seqv. versu tertio, & præsenti qvidem loco, per *odoratum in timore Domini* exercendum exponit: sed & rursus *proximè* seqvens ejusdem tertii versus membrum (ita habens: *neqve* (non enim) *ad aſpectum oculorum ſuorum judicabit, neqve ad auditum aurium ſuarum corripiet*) pro scripturarum more exegesis loci hujus (nempe prioris tertii versus membri) censetur, qva *odoratus* ille declaratur, q. d. Messias non judicabit fretus aurium oculorumqve judicio, utpote qvod fallere potest; sed odoratu qvasi, qvi minùs errori obnoxius est, facile & infallibiliter, etiam recluſa & abscondita oculis auribusqve cognoscet ac judicabit (3.) Rationibus his succenturiamus *autoritates*, tum *Ebræorum* tum *Chriſtianorum*,

qvi illammet sententiam osculantur. Ex Ebræis agmen ducat *Kimchius*, cujus verba latinè reddita brevitatis causa hîc citamus: *qvia*, inqvit ille, *odoratus est sensus facilimus, res qvæ facilè percipi potest verbo odorandi exprimitur* e. c. *è longinqvo odorabitur bellum, & rupit qvemadmodum rumpitur filum stupæ in odorando ipsam ignem* (verba hæc vel exempla habentur Job. 39. 28. Jud. 16. 9. paulò antè à *Bootio* qvoqve producta) *atqve ita ille ait* (Isaias h. l.) *& odorari ejus in timore Domini* q. d. *facili negotio homines malos pios q; dignoscet neq; opus habebit visione oculorum &c.* Altiùs hîc provehitur *R. Aben Esra* dum *odorandi* verbũ h. l. non tantùm de *facilitate*, ceu Kimchi⁹, sed & de *infallibilitate* & *certitudine* cognitionis interpretatur, inqviens: *qvandoq; sensus auris errat, ubi tamen nulla vox est, & oculus errat, dum videre sibi aliqvid videtur qviescens, qvod tamen movetur. Sed sensus odoratus non solet aberrare. Odorari enim ejus, tanqvam odoretur rem aliqvam, in timore Domini, cujus est judicare non ad oculorum visum & aurium auditum.* Neqve verò recentiores tantùm, sed & *prisci Jhudæorum Magistri* odoratum hunc de *sagaci cognitione* & *infallibili* Messiæ *judicio* intellexerunt, prout ex Talmudico qvodam Codice, *Massechet Sanhedrin* c. XI. & *Jalkut* ad h. l. apparet. Cum enim referente illo Codice, *famosus* qvidam *impostor*, tempore *Hadriani Imp. Romani*, (qvi seculo II. rerum potitus est) Messiam se professus, nomen *Bar-Cocheba* h. e. *filius stellæ*, ex Prophetia Bileami Num. 24. 17. prætenderet (qvod nomen deinceps, fraude intellectâ mutarunt in *Bar Coseba* i. e. *filius mendacii*) Jhudæi rectiùs cognituri, an genuinus esset Messias, dixerunt: de Messia scriptum est, qvod olfaciens judicaturus sit; videamus ergo an hîc ita judicare possit, cumqve id ab illo præstari non posse intelligerent, occiderunt ipsum. Licet verò alii non tantùm occisionem Plani hujus factam, sed & attributum illi hoc verbum הריחו fuisse negent,

negent, nobisqve adeo perinde sit, an verum illud an confictum fuerit; hoc tamen urgemus, qvod *odoratus* hic, teste illo codice Talmudico, jam olim pro *Messiæ prædicato* sit habitus & de *sagaci cognitione* à Jhudæis intellectus. Conf. *Frischmutius* l.c. §. 21.

§. 10. Ex *Christianis* qvoqve huic sententiæ favent non pauci, præprimis *Vatablus* & *Piscator*, dum *odoratum* per *acre judicium* exponunt, idqve ex seqventi membro nobiscum declarant. Similiter *Junius* h. l. *non infirmè*, inqvit, *tenuiter & humanitus singula odorabitur & cognoscet in speciem; sed recto judicio penitus omnia cognoscens judicabit.* Suffragatur his in *Antibarb. suo Biblico Sixt. ab Amama* lib. 4. p. 653. cujus qvoq; expositionem cumprimis probat totamq; adscribit laudatus modo *Frischmutius* Disputatione citatâ §. 16. Nos verò initium saltem & clausulam ejus huc referemus: *ad rerum*, inqvit, *naturam penitius pernoscendam olfactus magis qvàm visus & auditus valet: nam multa simulata & efficta oculorum sensum & auditum fallunt, at verò odor ipse minimè omnium fallit.* Et post pauca: *His ergo verbis: & odoratus ejus in timore Domini erit, maxima cognoscendi, sentiendi & judicandi vis indicatur, non feret judicium ex aspectu oculi vel auditu auris i. e. non ex apparentia & signis externis, qvæ fallere solent, sed de unoqvoqve secundum illud qvod in eo, infallibili judicio qvasi odorabitur, faciet arbitria.* Hactenus ille. Sed dices, Autores jam laudatos esse vel *Jhudæos*, vel *Pontificios* vel *Calvinianos*, qvi, qvoniam fortè ex odio erga B. Lutherum ab ejus glossa ad h. l. superius §. 5, citatâ recedunt, nostrum non facilè calculum merebuntur. At verò laudatus jam *Frischmutius* num fuit Pontificius vel Calvinianus? Is tamen l. c. Sixtinum ab Amama seqvens, eandem facere suam non dubitavit. Qvod si verò *Frischmutius*, tanqvam *Philologus*, non sufficit, ecce ex nostris qvoqve *Theologos* eosqve magni nominis pro nostra advocare sententia non pigramur.

Osiander enim ita h. l. exponit: *judicabit argutè, sed semper cum vero DEI timore.* Osiandro jungimus *Calovium*, qvi in *Bibl. illustr.* h. l. p. 73. *Lutheri* qvidem sententiam ex glossa ad h. l. *Glassiique* interpretationem de *odore sacrificii, qvi DEO sit gratus*, allegat, calculum verò suum non addit; contrà verò sententiam hactenus probatam, tanqvam non inconvenientem ipsisqve Rabbinis (qvos præced. §. citavimus) non improbatam laudat dicens, *hîc innui, qvod Messias pios & impios homines facili negotio sit discreturus, neqve opus habiturus visione oculorum vel auditu aurium, qvia sensus odoratus certior videtur, qvàm auditus & visus qvandoqve soleat.* Imò & *Sixtinum ab Amama* paulò antè auditū pro hac sententia conferre idem ipse jubet. Tandem *Calovio* B. qvoq; *Varenium* Philologum & Theologum nostratem planèq; insignem sociamus, qvi qvidem *Comment. in Isa.* h. l. p. 323. sententiam suam circa præsens *odorandi* vocabulum prima fronte non apertè satis proponere & exponere videtur, ex illis tamen, qvæ proponit, verbis colligere licet, qvod huic, qvam probavimus, sententiæ faveat, dum non tantùm p. 324. rejectâ Batavorum paraphrasi, superiùs qvoqve abs nobis improbatâ, sic concludit: *ita scil. reqvievit e. c. Spiritus* בינה (scientiæ) *ut sicut DEUS corda renes qve scrutatur ac ipso statim intuitu discernit inter verum credentem & hypocritam: Ita qvoqve hic Nezer accuratè cognoscit, qvæ sunt in homine Job. 2. 25. Matth. 9. 4. c. 22. 17. qvia sc. omne odorari ejus est in perfecta conformatione Jhovah:* Sed & seqv. p. 327. sic pergit: *objicitur Nazareno hypocrita, videt, audit actu naturali hypocritam falsa & subdola loqventem, ceterum* הריחו יראת יהוה i. e. odoratus ejus in timore Domini, *sive visio illa, qvæ ex inhabitante vel reqviescente Spiritu Jhovah oritur, penetrat cor & renes, agnoscit latentes dolos.* Ecce hîc *odoratum* de *accurata cognitione* s. de *visione* interpretatur, qvæ *cor & renes penetrat dolosqve latentes agnoscit*, adeoqve nobis adstipulatur.

§. 11. Post

§. 11. Post *odorandi* vocabulum ipsumqve adeo Messiæ *odoratum*, qvoad *vocem* ac *rem* sic satis, ut arbitramur, expositum, nunc II. qvoqve diſpiciendum paueis erit, qvid sibi velit יראת יהוה h. e. *timor Domini*, in qvo Messias hîc *odorari* perhibetur? Vulgo qvidem *timorem* hunc *Domini* de *qvovis pio & religioso erga DEUM affectu* exponunt, ita tamen ut alii illum cum *Calvino* affectũpro *certa judicandi regula*, juxta qvam Messias sit judicaturus, poni statuant; Alii verò ut *Anglicani* in Annot. eundem ad *objectum* odoratus s. perspicacitatis vel visionis ejus infallibilis referant, q. d. *in rebus ad pietatem spectantibus discernet, qvæ ei congruunt, vel ab ea discrepant, &c.* Nos verò suprà jam §. 5. ostendimus, *timorem Domini*, h. l. poni non ut *in fidelibus* Messiæ, sed ut *in Nezer* s. *Messia ipso*, super qvo reqviescit Spiritus Domini, qvi præced. versu nominabatur ultimò *Spiritus Scientiæ & timoris Domini*. Igitur primò hîc timor Domini extra Messiam non est qværendus.

§. 12. Porro *Junius* qvidem in Notis (qvem seqvitur *Prüknerus* in Vindiciis h. l.) existimat, *timorem Domini* h. l. *Synecdochicè* poni illoqve reliqva etiam Spiritus dona præced. versu 2. nominata, nempe *Spiritum sapientiæ & intelligentiæ* &c. indigitari, cum Ebræi soleant per ὑςέρωσιν ab ultimo inchoare. Nos verò licet aliàs talem dari Synecdochen atqve ὑςέρωσιν non inficiemur; hîc verò ut eandem statuamus non tantùm nullâ necessitate cogimur, sed & à contextu, ne talem admittamus, prohiberi videmur. Cum enim τὸ *Odorari* (prout suprà monitum) præcipuè declaret proximè præcedens *donum scientiæ* notetq; Messiam *& in cognoscendo*, etiam ea qvæ ceteroqvin *abscondita* sunt, *& in judicando, summè perspicacem esse*, nonne absonum foret dicere, odoratum Messiæ s. cognitionem & scientiam ejus esse in scientia? qvod absonum proveniret si sub *timore Domini* (in qvo *odoratus Messiæ* dicitur exercendus) hîc Synecdochicè comprehenderetur scientia & alia Spiritus S. dona, præced. versu nominata. Malumus igitur *timorem Domini*, sine Synecdoche positum hîc esse, illoqve amplius qvid h. l. designari, qvàm vulgo concipitur, existimamus.

§. 13. Non enim ratione caret, qvod Isaias ultimo inter dona loco *timorem Domini* ponat & immediatè statim explicet, qva ratione *Spiritus timoris Domini* in Messia debeat reqviescere, sc. ita vel propterea ut והריחו s. *odorari ejus* sit ביראת יהוה s. *in timore Domini*. Nimirum hoc ipso indigitari videtur, *timorem Domini* hîc poni ut *summam perfectionem*, &, qvi ipsâ pollent, esse in *conformatione DEI*, ad cujus umbram viatores qvidem & discipuli Sapientiæ non nisi per gradus, nempe per בינה s. intelligentiam s. discretionem & per דעת s. sci-

ſ. ſcientiam, Spiritus S. gratiâ provehuntur; in Chriſti verò humanitate Spiritus Sapientiæ, ſuper eadem reqvieſcens, non per gradus, ſed uno in inſtanti, ceu alia dona infinita, ita & donum *timoris Domini* ſ. *perfectæ conformationis DEI*, produxit, ut ſcilicet e. c. id *velit, Chriſtus* ut homo, qvod vult ut DEUS, voluntate illâ, qvæ Patri, Filio & Spiritui S. cummunis: item ut *ſcrutetur* & *cognoſcat* corda renesqve unâ eademqve cognitione, qva id facit ut DEUS. Hoc adeo vult ſibi יראת יהוה ſ. *timor Domini*, in qvo Meſſias hîc odorari perhibetur! Denuo hîc nobis ſuffragatur *B. Varenius, Comment. in Iſai.* h. l. ubi non tantùm p. 325. diſertè ait, *amplius qvid termino illo* יראת יהוה ſ. *timoris Domini notari, qvàm vulgo concipitur*, nempe *perfectionem ſummam*: Sed & p. præced. 324. illum timorem Domini per *conformationem DEI perfectam* interpretatur, dum verba ſuperiùs circa finem §. 10. integrè citata ſic concludit: *ita qvoqve hic Nezer accuratè cognoſcit, qvid erat in homine, qvia ſcil. omne odorari ejus eſt in perfecta conformatione Jhovah &c.*

§. 14. Senſum Loci de odoratu Meſſiæ hactenus explicatum ſeqvitur *uſus* & *applicatio* ejus ad Dominum noſtrum JESUM *Jeſſæum*, qvæ oſtenſu ſatis eſt proclivis. Nonne enim Johannes c. 1. 47. 48. teſtatur, qvod ipſe *Nathanaëlem viderit abſentem & ſub ficu ſedentem*, imo & de arcano cordis ejus judicaverit dicendo: *ecce verus Iſraelita, in qvo falſi nihil eſt*. Nonne is ipſe juxta Matt. 9. 4. in hiſtoria miraculoſæ *ſanationis paralytici*, vidit audivitqve ipſas *cogitationes ſpectatorum*, qvas ita corripit: *qvid vos cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et tamen nihil ipſi apertè loqvebantur, qvod ignominioſum eſſet Domino Servatori noſtro. Unde & ſi juxta naturalem hominis viſionem judicari hîc debuiſſent, certè abſolvendi fuiſſent miraculi ſpectatores. Ceterum hic valet præſens Iſaiæ oraculum: *odorari ejus eſt in timore Domini: neqve ſecundum oculorum ſuorum aſpectum judicabit &c.* Conf. & loca ſub finem proximè præced. XIX. diſputationis §. 10. n. 5. allegata. Ut vel hinc concludere rurſus contra Jhudæos liceat: *Jeſum Nazarenum eſſe veri nominis Meſſiam in ſecula benedoctum.*

§. 15. Præterea qvoqve argumentum hoc odoratus Meſſiæ, cum ſuppoſita Spiritus Domini reqvieſcentiâ concretum, oſtendit & docet nos *incomparabile Chriſti privilegium*, qvo ipſi *ut homini nulla deeſt excellentia divina*, cujusq; intuitu conſortes is non habet Pſ. 45. 8 Ecqvis enim ex φιλανθρώποις abdita cordis & abſcondita oculis perſpicit eademq; odore qvaſi nariũ facilè cognoſcit deqve iis infallibiliter judicat, ut oculorum viſionem auriumqve miniſterium non reqvirat? unde & conſeqvitur communicationem idiomatum e. c. omni-

ſcientiæ, carni ejus ex Jiſchai oriundæ factam, eſſe veram & realem.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0336
DFG

COROLLARIA RESPONDENTIS.

1. DOgma *incarnationis Filii DEI*, qvod aliàs assumtio humanitatis in personam τοῦ λόγου dicitur, non implicat nec absurdum est.
2. Incarnationem hanc verè factam probant inter alia Joh. I. 24. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο & Gal. IV. 4. ὁ θεὸς ἐξαπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ γενόμενον &c.
3. Spiritus Sanctus (non exclusâ Patris Filiiq; persona) est causa efficiens incarnationis filii DEI, qvi tamen non dicendus est pater Christi.
4. Subjectum qvod incarnationis est filius DEI; non ergo alius est filius DEI, alius verò filius Mariæ.
5. Subjectum ex qvo est Virgo Maria, qvæ rectè dicitur DEI-para.
6. Caro, qvam DEI filius assumsit, vera, perfecta ac integra humana natura est, secundum qvam adeo nobis est ὁμοούσιος.

Ad Extmium Clarèq; Doctum DN. DARJES,

Post privata ingenii, industriæ & eruditionis specimina,
hactenus tum in gemino Collegio nostro disputatorio
super AUGUST. sc. CONFESS. & FORMULAM CONC.
tum in aliis apud alios, edita,
Jam in Collegio Exegetico-Isaiano
De ODORATU MESSIÆ ex ISA. XI. 3.
Sub initium recentis anni (qvem fortunatum Lectoribus precor)
publicitus Responsurum.

I.

DUm novus annus adest, studiis *ardore* novello
Officiisqve decet qvemqve vacare suis.
Qvod bene perpendens Tu, pulpita primus, AMICE,
Hoc properas anno scandere sacra novo.
Sic *lucem* redamans, non otia qværis, at * ARDES:
Namqve VIR * es LUCIS. Prosit id, opto, decus!

* ULRICUS DARJES. *Anagr.* VIR LUCIS ARDES.

II.

ARS Tibi † SUMMA placet, generosus ludicra RIDES,
Et studio RADIANS, SIDERA celsa petis.

DARJES. *Anagr.* 1. ARS † DEI. 2. RIDEAS. 3. RADIES. 4. SIDERA.

ARS † DEI per Ebraismum dicitur pro *arte summa* h. e. scientia Theologica. Ebræi enim *Superlativum* qvandoqve formant addendo Substantivis nomen DEI. Sic *cedri DEI* h. e. maximæ s. procerissimæ, *ignis DEI* i. e. maximus &c. *LMq;*

A. D. HABICHHORST, D.

Βάλσαμον Eoæ planta est & gloria terræ,
Judæa hoc Plinio possidet una bonum.
Non ulla in terris magè svavem spargit odorem,
Aut ullum citius fert medicamen opem.
Βάλσαμον hoc CHRISTUS, Judæi surculus horti,
Isaicæqve audit stirps generosa domus.
Naribus haud odor est plantæ jucundior ullus,
Certior haud cunctis est medicina malis.
Hoc argumentum Tibi conciliabit odorem
Et reddet clarum nomen, AMICE, Tuum.

Ex affectu benevolentissimo præclaris Dn. Respondentis conatibus adplaudit

JO. FECHT, D. P. & h. t. Dec.

VIrtutem sistis nunc dogmata laude tuendo,
Qvæ Codex promit disseruisse juvat.
Intrepidè solvas objectum, sudor honorem
Splendentem gignet, gratulor huncce Tibi.

Eruditissimo Dn. Respondenti, Auditori ob industriam morumq; elegantiam æstimatissimo sincerum affectum his volante crena scriptis, testatur

M. HENR. CHRIST. Tielcke/
SS. Theol. & J. U. Candidatus.

WJe mag ich liebster Freund/ nach Würden gnugsam loben/
Daß DU schon gibst gar jung uns deines Fleisses Proben/
Und vom Geruch des HErrn zu handeln dir erwehlest/
Und also JEsu Lob uns öffentlich erzehlest/
In dieser Freuden-Zeit/ darin Er ist gebohren/
Der Zweig aus Davids Stamm/ der längst von GOtt erkohren.
Derselbe wolle/ da sein Lob du außzubreiten
Dich rühmlichst itzt bemühst/ DJEH ferner also leiten
Und mit dem Neuen Jahr gesegnen dein Studieren/
Auff daß du mögest bald desselben Kirche zieren.

Dieses schrieb in Eyl seinem liebsten und getreuesten Freunde zu Ehren

Aug. Andr. Kiel/
S.S.Theol.& Phil.Stud.

(o)

PARTIS PRIMÆ
ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO EXEGETICA XXI.
De,

SPIRITU LABIORUM MESSIÆ, ET LUPORUM

Cum

AGNIS CONTUBERNIO MIRABILI,

Ex ISA. XI. 4. & 6. 7. 8.

Quam

Auxilante DEO-Homine & Ven. FCte THEOL. consentiente,

PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

Doctore & Professore Theologo Ordinario,
Consistoriiqve Duc. Mekelb. Assessore ac Collegii
Professorum Ducalium Seniore,

ad d. 27. Febr. A. 1692. in Aud. Maj. Celeberrimæ Univ. Rostoch.

ad publicam sententiarum collationem proponit

JULIUS FRIDERICUS HARTMANNUS,

Erwalâ Curlandus.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Sen. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0339
DFG

Illustrissimi Celsissimique

DUCIS CURLANDIÆ

CONSISTORII,

qvod MITAVIÆ est,

PRÆSIDI ET ASSESSORIBUS GRAVISSIMIS MERITISSIMISQVE, VIRIS

Maximè Reverendo, Magnificis, Nobilissimis, Strenuis, Pl. Reverendis, Amplissimis, Clarissimisq;,

Salutiferæ doctrinæ propagatoribus magnis,

Musarum Patronis benignissimis,

Dominis Promotoribus, Fautoribus & Consangvineis observandissimis,

Speciatim

DN. M. JULIO HARTMANNO,

Laudati jam Consistorii Curlandici Assessori dignissimo,

& Ecclesiæ Erwalensis Pastori vigilantissimo,

Dn. Parenti omni amore & obseqvio filiali perpetim colendo,

Pagellas has Theologicas,

In signum devotissimæ observantiæ & gratitudinis atqve in ulteriorem sui studiorumqve commendationem dedicat & consecrat,

Simulqve ab ipso inexhausto veræ salutis fonte JESU JESSÆO & NEZER NAZARENO, Omnigenam Salutem, & cum perpetua veritatis cælestis professione Consiliorum prosperitatem vitamqve longævam, ardentissimis precatur suspiriis

obseqviosissimus Cliens & Filius

J. F. Hartman/ Resp.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0340
DFG

LOC. II. ISAI. XI. 4.

Disp. XXI.

De

Spiritu labiorum Messiæ, quo impius interficitur.

POst odoratum & infallibile justumqve Surculi illius Jischaiani h.e. Regis Messiæ judicium (de qvo proximè fuit ex parte disqvisitum) interserit Propheta *virtutem verbi Messiæ*, sub nomine *virgæ oris ejus*, simulqve *Spiritus labiorum ejus, qvo impius interficitur*, mentionem habet, his qvidem verbis: והכה ארץ בשבט פיו וברוח שפתיו ימית רשע h. e. *& percutiet terram virgâ oris sui & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Ubi per שבט פיו s. *virgam oris ejus*, qva *terram* h. e. homines hactenus terræ filios, *percutiet*, qvin sceptrum *potentis verbi DEI* intelligatur (qvod & Ps. 23. 4. *virgæ* & *baculo* comparatur & Apoc. 1. 16. c. 19. 15. *gladio oris* indigitatur, cujusqve δύναμις prædicatur Rom. 1. 16. & Ebr. 4. 12. qvam vel exemplum percussæ per hoc sceptrum terræ probat Act. 2. 37.) non dubitatur. Disputatur verò, qvid seqvens sibi velit incisum, sive qvid per רוח שפתיו h. e. *Spiritum labiorum ejus, qvo impius interficitur*, sit intelligendum? Cumqve à Socinianis aliisqve *sensus* ejus genuinus invertatur, non possumus, qvin paucis & tumultuaria hac vice operâ, qvippe pluribus intenti, in eundem qvoqve *sensum* inqviramus ejusqve *usum* dehinc annectamus.

§. 2. Princeps qvæstio hîc est, an per *spiritum labiorum ejus* scil. Messiæ, intelligatur *verbum Messiæ* qvod ore ejus & Apostolorum est prolatum, & præcedente inciso dicebatur *virgæ oris ejus*, ita ut hic locus sit exegesis inciси prioris? an verò ipse *Spiritus Domini? Sociniani*, speciatim *Enjedinus*, in Eplic. Locorum V. & N. T. p. 67. uti Psal. 33. 6. per *Spiritum oris Domini*,

ita & h. l. per *Spiritum labiorum Messiæ*, non ὑφιστάμενον *Spiritum*, sed *sermonem ore prolatum*: Similiter *Græci* cum *Armeniis verbum Evangelii*, utpote qvod nominetur virga oris Christi, cum ex sancto ejus ore sit profecturum, significari contendunt. *Socinianis* hîc suffragantur *Calvinus* in Instit. c. 13. Sect. 15. item *Piscator* & *Anglicani* h. l. *qvi aliam periphrasin verbi* his dari verbis opinantur. Nostrates verò, qvibus calculum meritò nostrum addimus, non verbum DEI neq; verbum Evangelii, sed ipsum *Domini Spiritum* hîc denotari censent. Qvamvis autem *B. Varenius* in Comment. ad Isai. h. l. p. 326. qvatuor saltem lineis hunc locum tangens, alienus sit à nobis cum dicit: *Spiritu labiorum suorum occidet improbum i. e. eadem prædicatione verbi improbos & ἀσεβείας & ἀδικίας potenter convictos in conscientiâ ita percutiet, ut se reos mortis & æternæ damnationis agnoscant &c.* qvin tamen mens ejus tanqvam Theologi planè orthodoxi sana sit verbisq; illis: i. e. *prædicatione verbi improbos percutiet*, Spiritū S. includat, nulli dubitamus: nam prædicatio Messiæ non est sine Spiritu, verbum qvoqve DEI est *gladius Spiritus* Eph. 6. 17. Alii enim Theologi sc. *B. Calovius* in Bibl. illustr. ad h. l. p. 74. *Hunnius* Tom. 2. op. lat. p. 643. & 728. *Thummius* in Ἀποδ. S. Trin. p. 78. seq. *Scherz.* Coll. Antisoc. Disp. 63. p. 521. *Spiritum S.* hic intelligunt. Imò & *Calovius* in Syst. & Compend. Theol. p. 163. *Lobechius* Disp. 3. in Aug. Conf. p. 54. *Cromaierus* Theol. pos. pol. Artic. 2. th. ult. p. 184. *Qvenstedius* Syst. Theol. part. 1. p. 404. *processionem Spiritus S. à Filio* probaturi, hunc Isaiæ locum producunt. Qvamvis verò ap. *Qvenstedium* non Isai. c. XI. 4. sed Isai. IX. 4. sit citatum; vitium tamen Typographicum ibi dandum esse, præmissa loci hujus verba ostendunt, qvibus dicit *Spiritum S.* l. e. *Spiritum labiorum Messiæ* vocari. Pluribus sententiam hîc nostram proponit *Forsterus* in Comment. sup. Isai. h. l. p. 264. & his qvidem verbis: *Qv. qvid sit Spiritus labiorum?*

Resp.

Resp. Non verbum Evangelii, sicut Græci & nonnulli alii Sophisticantur, sed ipsemet Spiritus S. ita dictus, qvod æqve à filio atqve à Patre procedat &c.

§. 3. Neqve difficulter nostra probatur sententia & adversa reprobatur: Nam (1.) non recedendum est à litera & proprietate sermonis nec à famosiori vocis acceptione, nisi id necessitas reqvirat: jam verò vocabulum *Spiritus* Messiæ communiter notat *Spiritum S.* siqvidem idem ipse Spiritus etiam paulò ante præced. v. 1. *Spiritus Domini* vocabatur: Adeoq; (2.) etiam *contextus* favere videtur: qvo minùs enim idem hîc *Spiritus Domini* per *Spiritum labiorum Messiæ* denotetur, qvem præced. v. 1. super eodem *reqviescere Messiæ, ex radicibus Jischai prodeunte*, sacer Vates prædicit, nihil obstat, (3.) succurrit *Analogia fidei*, qva Spiritus S. alibi, nempe Joh. 16. 8. dicitur *arguere mundum de peccato* &c. idem ergo & h. l. *impium occidere* h. e. eundem impietatis & injustitiæ potenter redargutum s. convictum in conscientia ita percutere, ut se reum mortis & æternæ damnationis agnoscat, imò nisi maturè convertatur actu ipso lethaliter punire prædicitur. (4.) idem ex *parallelo* constat *loco*, 2. Thess. 2. 8. ubi *Spiritus S.* dicitur *Spiritus oris Christi* s. Domini & qvidem *interfecturus* ὁ ἄνομος, pariter ferè ac h. l. dicitur *occisurus* רשע *impium*. Qvæ verò differentia est inter *Spiritum labiorum Messiæ* & *Spiritum oris ejus?* (5.) licet *verbum Evangelii* dicatur *virga regni Christi* Ps. 110. 2. nusqvā tamen in scripturis vocatur *Spiritus Christi*. Nec obstat (1.) qvod *verbū DEI* aliqvando vocetur *Spiritus*, qvia verbū Spiritus est; non tamen fas esse putamus, per *Spiritum* intelligi *verbum*, cum is *verbo* uti h. l. contradistingvitur simulq; peculiariter ut *Spiritus labiorum Christi* describitur. Neq; (2.) conjungitur h. l. Spiritus cū verbo, ut voces *Spiritus labiorū Messiæ* sint exegesis *virgæ oris ejus* h. e. verbi, qvod præcedente incisō memoratur; verùm ut non tantùm *causa in-*

ſtrumentalis percuſſionis terræ h. e. hominum terrenorum ſ. terræ filiorum & impiorum, qvæ eſt *verbum*, ſed & *cauſa principalis*, qvæ eſt *Spiritus S.* nominentur. Spiritus S. enim verbo DEI terræ filios ſ. impios de peccato arguit & in conſcientia percutit, ut reos ſe mortis æternæ agnoſcant &c. Joh. 16. 8.

§. 4. Hactenus breviter & leviter *ſenſus* loci eſt indagatus, cujus certè *uſus elenctico-didacticus* conſpicitur (1.) in *Artic. de Spiritu S.* & qvidem in qvæſtione ſic ſatis inter *Orientalem* & *Occidentalem Eccleſiam* ſ. inter Græcos & Latinos agitata, *an Spiritus S. non tantùm à Patre ſed & à Filio procedat?* Ubi noſtrates Theologi ſuperiùs laudati inter alia affirmativam rectè ex *denominatione* Spiritus *Chriſti* & qvidem inter alia ex hoc Iſaiæ loco probant, qvia ſcil. is æqvè vocatur *Spiritus labiorum Meſſiæ* h. l. & *Spiritus oris ejus*, 2. Theſſ. 2. 8. ac dicitur *Spiritus oris DEI Patris*. Pſ. 33. 6. Uti enim *Spiritus* is *oris DEI* appellatur, eò qvod ex incorporali ore eſſentiæ ipſius Paternæ, tanqvam Spiraculum ſ. Spiritus ejus coeſſentialis & ἐνυπόστατος ſpiratione inenarrabili procedit: ita & ipſe ille Spiritus ſalutatur *Spiritus labiorum* & *oris Chriſti*, qvoniam ex incorporali Deitatis Chriſti ore ſpiratur & procedit, uti hîc loqvuntur *Æg. Hunnius*, *Forſterus*, *Lobechius*, *Calovius* ll. cc. Faceſſant ergo *Græci non antiqviores* (qvibus per errorem hic error tribuitur: in primis enim qvatuor ſeculis usqve ad Baſilii M. tempora communiter omnes Chriſtiani atqve ita etiam Græci crediderunt & docuerunt Spiritum S. à Patre & filio procedere, ceu teſtatur *Gregorius Nazianz.* Epiſt. 2. ad Celid. & alii. Seculo a. qvinto ſc. à Baſilii M. tempore usqve ad nonum timidiuſculè & à paucis de hac controverſia actum eſt, niſi qvod Neſtoriani in Symbolo ſuo, qvod ſeculo V. in Epheſino produxerunt Concilio, ſtatuerunt, *Spiritum S. non per Filium ſed à ſolo Patre ſuam habere ſubſiſtentiã*, à qvibus & ſeductus tunc eſt *Theodoretus Cyri Epiſcopus*, qvi

qvi seculo V. *primus Patrum Græcorum æmulatione Cyrilli Alexandrini concitatus*, ceu loqvitur *B. Danhauerus in stylo vindice processionis Sp. S. à P. & F.* Sect. 1. art. 2. §. 2. p. 11. *contentiosas ivit inficias, primusqve palam scripsit, SPIRITUM S. NON ESSE à FILIO, NEC PER FILIUM, sed à solo Patre*; Vid. *Theodoret.* in refutat. anathematism. Cyrilli c. IX. & conf. *Cent. V. Magdeb.* p. 1006. qvanqvã in proximè seq. Concilio Chalced. Ecclesiæ reconciliatus est denuoq; veritati subscripsit. vid. *B. Calovius* Syst. Th. T. 3. de Spiritu S. c. 3. qv. 2. Idem refert *B. Qvenstedt.* Syst. Th. part. 1. p. 403. Seculo VIII. Iconomachico *Damasceno* eandem propugnare sententiam sed obscuriusculè cœpit (qvia in verbis magis, qvàm in ipso dogmate hæsit) sed *recentiores* Græci, qvi postea seculo IX. per *Photium* Patriarch. Constantinop. tempore *Nicolai* Pap. R. & dehinc duce *Theophylacto* Bulgarorum Archi-Episcopo acriter processionem Sp. S. â Filio negare cœperunt & hodienum constanter eandem unà cum *Moscowitis*, &c. impugnant & Spiritum S. nullo planè modo à Filio procedere contendunt. Qvibus hoc seculo adstipulatus ferè est *D. Joh. Reinboth*, Superint. qvondam Sleswico-Holsat. apud nos A. 1645. promotus. Facessant qvoqve *Sociniani*, qvi *processionem à Patre & Filio*, negant esse *Characteristicam* Spiritus S. *proprietatem*, illamqve non de processione æterna, sed temporaria intelligendam esse dicunt, qvæ nihil aliud sit qvam *missio*, qva Sp. S. ad Apostolos aliosq; mittitur, cumq; nostrates hunc & similia urgent loca, excipiunt (qvos hic seqvitur dictus jam *Reinbothius*) dici ita, qvod *à Patre & Filio missus clarissimè de eo testatur*. Ceterum si hæc vera esset appellationis ratio, certè *Paulus* etiam Patris & Filii Spiritus esset, qvia missus à Patre Filioqve de Christo clarissimè testatur. Ejusdem farinæ est *Græcorum exceptio* ad h. l. & 2. Thess. 2. 8. qva dicunt, Filii Spiritũ dici, *qvod cum ipso ex uno progrediatur fonte*: nam sic etiam

Filius esset Spiritus Sancti filius, qvia cum Spiritu S. ex eodem fonte procedit.

§. 5. Deinde *usus* loci conspicitur in controversia de *hæreticis*, vel qvæstione *utrum hæretici ferro sint interficiendi?* qvã *Pontificii* & *Calviniani*, præsertim ex his illi, qvi seculo superiori vixerunt, affirmant; Nos verò negamus. Siqvidem Messias hîc prædicitur *Spiritu labiorum suorum*, non ferro, s. Spiritus dicitur verbo h. e. gladio oris, non ore gladii h. e. ferro interficere impium, per qvem qvidem promiscuè *impii*, singulariter v. *Anti Christus*, non exclusis aliis hæreticis, intelligitur, qvemadmodum jam olim Apostolus 2. Thess. 2. 8. ex h. l. prædixit. Conf. *Forster.* l. c. & *Calov.* Bibl. illust. h. l. Tyranni ergo sunt & Satanæ ministri, non regni Messiæ administratores Pontificii, qvi ipsimet hæreticissimi armis carnalibus, vi, cæde, sangvine hæreticos h. e. omnes qvi Ecclesiasticæ constitutioni à Papa sine verbo introductæ obtemporare detrectant, delere & exstirpare gestiunt, ceu scripta illorum & nupera Gallorum praxis abundanter ostendunt. Eqvidem non verentur hîc excipere dicendo, *ab inclusiva ad exclusivam N. V. C.* qvoniam hæretici tum *gladio oris* refutari, tum *ore gladii* è medio tolli qveant. In hoc verò principium petere videntur. Nos non ferro sed oris gladio atqve ita spiritualiter hæreticos, qva tales, interficiendos esse ex scriptura probamꝰ. Qvod si verò cum gladio oris simul gladii os conjungendũ sit, ex scripturis id probari & solidè qvidem fas est. Qvod ubi non licet probare: pugnat enim Pontificia & Gallicana praxis cum interdicto Christi Matth. 13. 30. cum exemplo Apostolorum, meliùs à Christo informatorum Tit. 3. 10. *hæreticum devita* & Joh. Ep. 2. 10. *nolite eum recipere in domum*, cum praxi veteris Ecclesiæ & cum proprietate regni Messiæ, qvod non est de hoc mundo, adeoq; arma ejus carnalia non sunt 2. Cor. 10. 4. sed virga oris h. l. ideoq; locus noster exclusivè meritò accipiendus est. LOC.

LOC. III. ISAI. XI. 6. 7. 8. 9.

De

Mirabili luporum cum agnis & pardorum cum hædis contubernio, tempore Messiæ conspicuo.

INter admiranda planè gratiosi regiminis effecta, qvæ cap. XI. de *Surculo Jischaino* h. e. *Messia* hactenus deprædicato, prædixit Isaias (qvalia qvidem de nullo Rege mundano adeoqve nec de Chiskia, ceu in præcedd. ostensum est, prædicari qveunt,) haut postremum est *pax singularis & animorum antea se invicem hostiliter insequentium consensio, tempore Christi conspicua*, qvam figurato is sermone v. 6. 7. 8. & 9. hisqve proponit verbis: וגר זאב עם כבש *& habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit* &c. in qvibus Propheta *mirabile luporum* similumq; bestiarum *cum agnis* hædisqve *contubernium, tempore Messiæ conspicuum*, describit. Cumqve non *Jhudæi* tantùm, sed & *Sociniani* simul ac *Anabaptistæ*, in locis de CHRISTO & *Magistratu politico*, hoc vaticinio abutantur, operæ prelium erit haut contemnendum, non obiter illud ac perfunctoriè legendo percurrere, sed eidem aliqvantisper meditando inhærere, verumqve adeo *sensum* ejus explicate, explicatum ad tempora Servatoris nostri JESU JESSÆI & NEZER NAZARENI *applicare*, imò & *usum* loci orthodoxum indicare eumqve simul ab *abusu* Jhudaico similiqve vindicare. Pro genuino autem *sensu* mirabilis hujus θεολογίας Propheticæ & *contubernii luporum cum agnis* perveſtigando, *tria* cumprimis capita nobis tractanda, cum qvæstionibus in iisdem latentibus, occurrunt: nimirum (1.) ipsi *cohabitatores, lupi agniqve* &c. (2.) Cohabitantium s. in contubernio viventium *directores* (3.) Cohabitationis hujusce tum *fructus* s. *effectus*, qvi est *omnigena noxiæ* s. *violentiæ ab Ecclesia Christi remotio*, tum

tum *causa* vel *ratio*, qvæ est *agnitionis* Messiæ DOMINI *abundantia*: qvæ omnia paucis, qvantum pagellæ permittunt, exponemus.

§. 2. Circa I. sc. *ipsos cohabitantes*, rursus *tria* disqvirentur (1.) *an* ea, qvæ de *lupis & agnis* aliisqve *cohabitatoribus* hîc prædicuntur, *intelligenda sint juxta literam & corporaliter*, *an verò metaphoricè & spiritualiter?* vel (2.) an mutatâ saltem suppositione in terminis brutorum, *priora* nempe lupi & pardi &c. *supponant propriè*, *posteriora* verò nempe agni & hædi *metaphoricè*, adeoqve locus de minori brutorum noxa Messiæ subditis promissa sit intelligendus? (3.) qvinam tandem per lupos agnosqve &c. intelligendi, utrum fors *nationale* hic *discrimen Jhudæorum* & *gentilium* insinuetur? Ad I. qvæstionem qvod attinet, utrum illa, qvæ de *cohabitaturis* hîc bestiis prædicuntur *juxta literam* s. *proprie* ac *corporaliter*, an verò *improprie* & *spiritualiter* sint intelligenda? *Jhudæi* certè *crassiores* prophetiam hanc rigidè *juxta literam* & *corporaliter*, de *naturalibus* intelligunt *animalibus* & de *totali* qvadam *naturæ ipsorum mutatione*, tempore Messiæ futura, interpretantur, dicentes fore, ut qvemadmodum in prima creatione, ita qvoqve in diebus Messiæ & saltem בהר קדשו h. e. *in terra sancta*, alia sit bestiarum conditio, qvàm nunc est, adeoqve naturæ ipsorum sint mutandæ vel temperandæ, ita ut ferociſſima animalium, ferocitate suâ depositâ, prorsus mansvescant & cicures cum cicuribus conversentur. Abs qva Jhudæorum sententia non multùm abludit *Lactantus* l. 7. instit. c. 24. ubi Chiliastica qvoqve somnia is somnians, locum hunc de aureo exponit seculo, tali scil. ubi inter reliqvas felicitates, qvibus homines tunc temporis sint cumulandi, etiam hæc non postrema sit futura, qvod bestiæ mites fuerint ac cicures. *Christiani* verò cum *sanioribus* qvibusdam *Ebræis improprie* & *spiritua-*

liter

liter illam cicurationem & illud luporum cum agnis contubernium accipiant, qvamvis & ratione circumstantiarum nonnihil inter se dissentiant. *Grotius* enim Jhudaizans locutiones has qvidem figuratas dicit, sed de *alta & corporali pace, qvæ post tempora Sennacheribi, sub Rege Chiskia, erat futura, per qvam infirmissimi qviqve suum erant, sine metu rapinæ, obtenturi*, interpretatur, eamqve Regum justitiæ effectum dicit. Sed utraqve sanè tam Jhudæorum qvàm Grotii sententia nobis improbatur. Qvod enim ad *priorem*, *Jhudæorum* nempe *crassiorum* sententiam attinet, illam (1.) *Contextus* refutat tam in *subsequent.* qvàm *antecedentibus.* Nam in seq. vers. 9. immediato planè nexu subjungitur *ratio mirabilis contubernii* pacisqve hujus, & his qvidem verbis: כי מלאה הארץ דעה את יהוה i. e. *qvia repleta est terra agnitione Domini*, de qva inferiùs; hujus verò agnitionis belluæ non sunt capaces. Ergo non belluæ sed homines sub belluarum nominibus indigitantur: cumqve in proximè *præcedentibus* de rebus agatur summè spiritualibus, sc. de *verbi divini efficacia*, de *Spiritus S. officio*, de *cingulo Messiæ*, nimius certe saltus foret, si à rebus his summè spiritualibus Propheta ad terrestria brutorum contubernia digrederetur. *Deinde* nec veritati consonum est, per voces בכל הר קדשי i. e. *in omni monte sanctitatis meæ, terram Israelis* hîc significari, adeoqve hunc Messiæ effectum vel beneficium in *sola Israelis terra* futurum hîc dici. Qvamvis enim illi terræ prærogativam qvandam qvoad illum concedamus titulum, qvatenus scil. in & ex illa Nezer noster Nazarenus est egressus & natus, qvatenus in eadem pax h. l. prædicta primitus conspecta & qvatenus ibidem plenitudo agnitionis Domini primò omnium per ipsummet Nezer & Apostolos ejus est instaurata; non tamen hæc sola Israelis terra est *mons Sanctitatis Domini*, nec sola hæc agnitione Domini reple-

ta est. Siqvidem uti sonus s. prædicatio Apostolorum, ita & per prædicationem agnitio Domini replevit orbem, uti h.l. dicitur, adeoqve per *Sanctitatis Domini montem* potiùs intelligitur *sancta Christi Ecclesia* per orbem diffusa, in qva Sanctitas Domini prædicatur, Sanctissimus Messias recipitur, plenitudo agnitionis ejus conspicitur. Tandem (3.) *Crassioribus* Ebræis opponimus *saniores* (1.) *R. Mosen Ægyptium*, qvi profectò talismodi interpretationem tanqvam absurdam rejicit, dum in suis Hallechoth h. e. sententiis super librum Judicum latinè redditis ita scribit: *non ascendet super cor tuum, qvod in diebus Messiæ deficere debeat aliqvid de via hujus mundi, vel ut tunc innovari debeat aliqvid de operibus sex dierum, sed potius qvod mundus ire debeat juxta solitam viam suam. Qvod igitur ap. Isai. c. 11. dictum est: & habitabit lupus cum ariete, cum reliqvis, sensus est: qvod Israel habitaturus sit confidenter cum impiis seculi, qvi leonibus & lupis ac pardis comparantur &c.* (2.). *Maimonidem*, qvi in *Moreb Nevochim* p. 3. c. 2. sermonem hunc de *hominibus sub appellatione brutorum* esse, nobiscum contendens, longè rectiùs de temporibus Messiæ sensit. Et in *Hilk. Melachim* c. ult. *noli*, inqvit, *arbitrari, diebus Messiæ qvicqvam de mundi consvetudine cessaturum esse aut res creatas mutatum iri; sed mundus in sua natura subsistet.* וזה שנאמר בישעיהו וגר זאב עם כבש משל h. e. *Et illud qvod dictum est in Isaia: & habitabit lupus cum agno &c. parabolicè & ænigmaticè dictum est.* Et porro: *omnia ejusmodi dicta de diebus Messiæ rationem habent metaphoræ & in diebus Messiæ manifestabitur omnibus, ecqvid ea parabola denotet & qvid significet.* Ita *Maimonides.* Cui, qvod addit, *in diebus demum Messiæ sui manifestatum iri, qvis parabolæ hujus, ceu vocat, sit sensus,* nos Christiani haut concedimus, qvi dudum jam satisqve ex rationibus paulò antè memoratis novimus, qvid sibi hoc luporum cum agnis contubernium velit,

ita

ita ut ulteriori manifestatione, sive à ficto Jhudæorum Messia s. ab alio Propheta qvodam præstanda, opus haut fuerit. Nimirũ qvod *non* juxta *literam* nec *propriè* nec *corporailter* de *brutis*, sed *impropriè* & *Spiritualiter* de *hominibus* sit intelligendũ, adeoq; hoc contubernio denotetur mutua & mira animorum anteà qvidem dissidentium, sed Messiam nunc agnoscentium & recipientium consensio, sublatis, qvæ pugnarum causæ fuerant, odiis & invidiâ, ut sic non aliter homines, antea feroces & inimici, invicem agant, qvàm si lupus cum agno habitet cumqve vitulo stabuletur leo- Deinde & *posterior* nempe *Grotiana* interpretatio nimis jejuna est: præterqvam enim qvod nimiopere fallit, dum hanc vaticinii particulam pariter ac præcedentes ad tempora Chiskiæ restringit, qvæ neutiqvam ad Chiskiam sed Messiam spectant (sicut ad superiores jam versus in præcedd. Dispp. est ostensum) minimè etiam, qvæ h. l. prædicuntur, ad tempora Chiskiæ qvadrant: licet enim publica tunc bella; non tamen privatæ lites, rapinæ & cædes cessarunt, nec defuere piis lupi, nec leones &c. Conf. *Calovius* in Bibl. illustr. h. l.

§. 3. Qværitur autem (2.) si locus hîc *non propriè* & *corporaliter* juxta literam de *totali qvadam naturæ brutorum mutatione*, ex Jhudæorum qvorundam sententia, sit accipiendus, annon saltem juxta *Brentium* aliosq; *mutatâ suppositione in terminis brutorũ*, *priora* nempe *lupi*, *pardi*, *leones* & *ursi propriè*; *posteriora* verò, nempe *agni*, *hædi*, *vituli* & *vaccæ* supponant *metaphoricè*, adeoqve locus de *minori brutorum noxa*, *Messiæ subditis promissa* intelligendus, qvæ passim in benedictione fidelibus & justis promittitur, sicut noxiarum bestiarum immissio in maledictione infidelibus & malis proponitur Lev. 26. 6. 22. Deut. 32. 24. atqve adeo verborum hic evadat sensus: *lupi*, *pardi*, *leones aliæqve feroces belluæ fidelibus Christi*, *per agnos hædisqve hic notandis*, *tempore Messiæ non nocebunt*, licet à persecutoribus ad hoc

incitatæ iisqve fuerint immissæ? Sed neqve tali interpretamento nos calculum esse addendum censemus. Qvamvis enim (1.) rapacitas noxiarum omnino ferarum maledictis s. terræ infidelium conveniat; benedictis verò & fidelibus liberatio ab illa sit promissa: Qvamvis & (2.) privilegia hæc credentium in Nezer Nazarenum, de immunitate à noxa belluarum, ostensu fuerint proclivia, tum ex *signis* qvæ *credentes sequi debebant* juxta Marcum 16. 17. ubi dicitur: *serpentes tollent* &c. tum ex eorum *exemplis*, qvibus atroces belluæ damnum inferre non valuerunt, nempe tam *Apostolorum* præcipuèqve *Pauli*, cujus certè manus, à vipera ap. Miletenses, hodie dictos Maltenses, tunc barbaros arrepta, nihil planè mali, nedum lethale qvid, passa est, Act. 28. 5. qvorsum & referenda est ejusdem *Pauli* θηριομαχία s. *pugna cum bestiis* 1. Cor. 15 32. qvàm *Martyrum* non omnino nullorum, qvibus belluæ ceteroqvi truculentissimæ non sunt ausæ dentes inferre; tamen hîc non minus impropriè priora *luporum* & *pardorum* similiumqve bestiarum nomina, qvàm posteriora *agnorum* & *hædorum* similiumqve animantum esse accipienda, argumentis seqventibus probamus (1.) qvia privilegium tale de immunitate à dentibus belluarum non est universale s. non omnibus Christianis indultum. (2.) qvia talis mutatio suppositionis in terminis brutorum, qva qvidem *lupi*, *pardi* &c. *propriè*; *agni* verò *hædi* &c. *improprie* sumantur, præter necessitatem toleranda non est. Ideoqve (3.) aut omnia brutorum nomina, qvæqve de illis hîc prædicuntur, accipienda sunt propriè, aut omnia sumenda sunt impropriè. *Non prius:* qvia (1.) sic non tantum danda esset *naturæ brutorum immutatio*, qvæ superiùs jam retusa, & de qva qværere ulteriùs liceat, ad qvid illa immutatio profutura fuisset Messiæ fidelibus, vel qvid illis tale luporum cum agnis contubernium vel concordia esset commodatura? sed & (2.) *argumenta*, præced. §. 2.

ex

ex *contextu* & aliunde prolata, essent contemnenda, qvæ tamen fortiùs in contrarium militare deprehenduntur. *Ergo posterius*, adeoqve si per *agnos*, *hædos*, *vitulos* & *vaccas* metaphoricè *homines Christiani jam conversi* & mansveti sunt intelligendi, qvod adversantes concedunt, oportet qvoqve per *lupos*, *pardos*, *leones* & *ursos* intelligi *homines ferociores*, incredulos hactenus & persecutores, sed *nunc* qvoad animum mutatos & *conversos*. Cum qva interpretatione conveniunt non tantùm Servator noster, *Apostolos* & LXX. discipulos sic allocutus: *ecce mitto vos* ut *agnos in medium luporum*. Matth. 10. 16. Luc. 10. 16. sed & *exempla* (ut vaticinium statim ad tempora Christi Servatoris nostri liceat applicare, illudqve per applicationem & exempla illustrare) *exempla* inqvam *luporum* i. e. impiorum hactenus tyrannorum & Ecclesiæ persecutorum, *cum agnis* i. e. conversis Christi fidelibus, *habitantium*. Taceamus nunc *Centuriones* aliosqve hactenus feroces ac impios, in agnos Christi sævientes lupos ursosqve, sed jam conversos cumqve agnis humiliter habitantes, qvibus tum Acta Apostolorum, tum historia passim Ecclesiastica ad stuporem usq; refulgent; prodeat verò ex actis tantum *Saulus*, qvi certè feris ferocior ante conversionem leo & *lupus*, dehinc verò & ipse *agnus*, de qvo qvidem ita *Hieronymus* ad h. l. *Lupus enim Paulus, de qvo dictum est: Benjamin lupus rapax, habitavit cum agno vel Anania, à qvo baptizatus est, vel Petro cui dictum est: pasce agnos meos*; sed graphicè magis pro sua, qva pollebat, facundia hunc nobis *Lupum* vel *Leonem Saulum cum agnis habitantem* sistit *B. Varenius Comment. in Isai. h. l. p. 328. Saul*, inqvit, *ante conversionem repræsentabat Leonem impastum, qvi* manditqve trahitqve molle pecus, *cum apud Stephanum lapides loqverentur Adversarii, in tam pulchro facinore triumfabat Saulus*, turbator *rigorosus & inqvisitor* planè *Hispanicus* vid. *Act. c. 8. 1. 2. 3. & seqq. c. 9, 1. & seqq. c. 22. 4.*

§. 6. 1. Tim. 1. 13. at idem factus frater conversus, mansvetus, humilis errorum suorum præteritorum confessor, agnum ostendit, & humiliter cum discipulis aliis (qvi in initiis conversionis ad memoriam Saulis veteris ejusdemq; leoninam rabiem trepidabant adhuc & minùs tutam cum tanto, paulò antea insaniente, Leone æstimabant conversionem vid. Act. 9. 26.) conversatus exemplum fuit illius (contubernii) *qvod h. l. Isaias prædixit.* Hactenus ille. Idem ferè voluit *visio magni lintei*, Petro valdè esurienti & ἐκστασόι oblata, in qvo erant *qvadrupedia, reptilia, volatilia* &c. Act. 10. 10. qvam adeo non tantùm idem *Hieronymus* ad h. l. breviter adducit, sed & idem *Varenius* l. c. p. 332. paulò pluribus exponit. Etiamsi verò discrimen aliqvod inter animalia in illo Petri linteo & in θηριολογία hac Isaiana licet observare: ibi enim qvadrupedia &c. pro solis sumuntur Gentilibus convertendis; hîc verò lupi, leones &c. non tantùm significant ferociores inter Gentiles, sed & inter Jhudæos ad Christum convertendos, qvod ex seqv. qvæstione patebit; qvoad ipsam tamen rem utrobiqve *commune figuratum* esse judicamus: utrobiqve enim, qvæ de qvadrupedibus & lupis aliisqve brutis dicuntur, ἀλληγορέμενα sunt & significant convertendos ad regnum Messiæ & ad agnorum aliorumqve mitiorum omnino animalium mansvetudinem & humilitatem, sub mansvetissimo & humilimo DEI agno Christo, redigendos & cum conversis jam agnis ovibusqve Christi placidè, familiariter & beneficè conversaturos, qvi hactenus luporum similiumqve qvadrupedum indolem & truculentiam ostenderunt.

§. 4. Tandem (3,) circa hos *cohabitatores* lupos agnosqve &c. qværere necessum est, utrum ostenso jam figurato omnium in hac θηριολογία nominum sensu, *discrimen* tamen *nationale* hîc statuendum sit, ita ut per ferociores bestias, sc. *lupos*, pardos, leones & ursos tantùm *gentiles*; per mitiores verò nempe

pe *agnos*, hædos, vitulos & vaccas tantùm *Jhudæi* notentur? Affrmativa placet Jhudæis, amore nationis suæ fascinatis, sed nullâ ratione solida nixis. Nos verò qvi suppositâ vaticinii hujus applicatione ad Dominum nostrum Jesum Nazarenum, verum Messiam (qvippe in qvo impletum est, qvicqvid de Nezer Jessæo ejusqve temporibus hîc prædictum, ceu ex superioribus innotuit ampliusq; ex seqq. elucescet) simulq; consultis Christi & Apostolorum ejus tum actis tum passionibus, sic satis deprehendimus, non majores Christum DEI agnum Servatorem nostrum &, qvi ipsum professi sunt, fideles agnos, habuisse hostes leones luposqve, qvàm consangvineos ejus Jhudæos, facere profectò non possumus, qvin strenuè negemus, tale hîc discrimen insinuari, solosqve gentiles per lupos similesqve belluas ferociores, solosqve Jhudæos per agnos similiaqve animalia significari, contràqve asseramus, tam inter Jhudæos, imò & magis hos inter, qvàm inter Gentiles qværendos esse leones luposqve &c. adeoqve non in natione Jhudæorum agnos tantùm esse dandos, cum qvibus lupi habitarint; sed qvotqvot ex illa Jhudæorum natione facti sunt agni, non minus, sed vel magis, antea lupos fuisse ac leones, qvàm alios ex Gentilibus ad Christum conversos. Consentit *B. Varen.* l. c. p. 331. ubi vel tribus hæc verbis tangit: Et ex eodem *Tbilo* in *Medulla Theol. V. T.* h. l. p. 868. ubi qvidem non *Varenium*, sed *Calovium* laudat; hic tamen ne verbulum de hac qvæstione in Bibl. illustr. ad h. l. proponit. Conf. & *B. Qvensted.* Syst. Th. part. 1. p. 129. ubi ad qvæst. de *sensu Scripturæ literali*, laudatâ Varenii interpretatione, hunc locum pro exemplo *sensus literalis Rhetorici* s. *figurati*, adducit simulqve illam nonnullorum sententiam, qvi *Jhudæorum* tanqvam agnorum, & *Gentium*, tanqvam luporum *conjunctionem* in genere hîc per agnorum & luporum cohabitationem denotari ac prædici volunt, hac ratione

tione breviter refutat: *Lupi, pardi &c. in hoc textu Esaiano non supponunt pro solis gentilibus, cum & in Judæorum natione lupi &c. dentur.*

§. 5. Hactenus in mirabili hoc contubernio ipsos vidimus *cohabitatores*, sensumqve verborum literalem hîc non esse Grammaticum, sed *Rhetoricum* h. e. *figuratum*, adeoqve non *mutationem naturæ* brutorum, nec *mutationem maledictionis in benedictionem* (qvâ ne bestiæ qvidem fidelibus nocumento esse qveant) sed *mutationem animorum* hactenus ferocium tam *Judæorum*, qvàm *Gentilium* hîc prædici ostendimus. Seqvuntur jam II. videndi *mirabilis contubernii hujus s. cohabitantium Directores s. ductores*, qvi simul sunt *ministeriales* mutationis animorum hîc prædictæ *curatores*. Hos verò sacer Vates talibus sistit verbis, juxta Pagnini versionem: v. 6. *Et vitulus & catulus leonis & pingve pecus simul* (sc. erunt s. pascentur) *& puer parvus ducet eos*: & v. 8. *Et delectabitur lactens super foramen aspidis & super cavernam Reguli* (Basilisci) *ablactatus manum suam extendet.* Hîc denuo *tria* pro genuino verborum sensu rectiùs inqvirendo qværuntur (1.) *qvomodo se habeat puer* hîc *parvus* ad lupos, agnos &c. item *lactens* & *ablactatus* ad *aspides* & *basiliscos*, an uti *contubernales*, an verò ceu *ductores* &c.? (2.) qvinam per *puerum* hunc parvum, item per *lactantes* & *ablactatos?* qvinam item (3.) per *aspidem* & *Basiliscum* significentur & qvomodo *lactens* delectetur super foramina aspidis & *ablactatus* manum mittat super cavernam Basilisci? Ad 1. Resp. qvod *puer parvus* v. 6. item *lactens* & *ablactatus* v. 8. notanter contradistingvantur *contubernio* s. *cohabitantibus*, ita ut *puer parvus* ad leones &c. ac *puellus* lactens ad aspidem, & puer *ablactatus* ad basiliscum se non habeant, sicut agnus ad lupum, hædus ad Pardum, vitulus ad leonem, vacca ad ursam: neq; puer parvus v. 6. ita jungatur lupis &c. neq; v. 8 lactens aspidi, neq;

abla-

ablactatus basiliſco, prout hactenus partim v. 6. lupus cum agno, pardus cum hædo, vitulus & pingve pecus cum catulo leonis, in familiari *cohabitatione*, partim v. 7. vacca cum urſa & utriusqve catuli in communi *paſtura* conjunguntur; ſed diſertè (1.) *puer* parvus v. 6. dicitur נוהג בם i. e. *ductor inter ea*, ſc. bruta, erit. Pagninus vertit: *ducet eos*, Arias Mont. *ducens in eis* ſc. brutis. Sed qvare illud נוהג (qvod ceteroqvi *participium* præſens in Kal eſt) non *nominaliter* hîc accipitur adeoqve per *ductorem* ſ. *Ducem* ſ. *Paſtorem* redditur? prout multa ap. Ebræos participia *nominaſcunt* e. c. שופט *Judex* Iſai. 3. 2. &c. præſertim cum hîc non *accuſativus* ſeqvatur (cum qvo ceteroqvi verbum conſtruitur, uti Eccl. 2. 3. Iſai. 20. 4.) ſed particula ב in בהם, qvæ adeo commodè hic reddenda per *inter*, ut ſit ſenſus: *Dux* (paſtor) *inter ea* ſc. erit, i. e. paſtoraliter ſe, non contubernaliter (ut ita loqvamur) habebit. Nec (2.) *puello lactenti* & *ablactato* v. 8. tribuitur *cohabitatio* & *luſus* cum *aſpide* & *baſiliſco*, prout qvidem *B. Calovius* in Bibl. illuſtr. h. l. p. 75. f. a. ſtatuere videtur, ita ſcribens: *Tanta erit in hoc regno immitium beſtiarum manſvetudo, ut Serpentum qvoq; natura manſveſcat ac luſuri ſint puelli cum aſpidibus & ſerpentibus.* Non enim dicitur hîc וגר ושעשע יונק על פתן h. e. *& oblectabitur lactans ſuper aſpide*, vel יונק על פתן i. e. *& habitabit lactens cum aſpide*, qvomodo præced. v. 6. de *lupo* & *agno* dicebatur; ſed *oblectabitur lactens* על חר פתן i. e. *ſuper foramine aſpidis.* Nec eodem verſu 8. puero *ablactato* tribuitur *cohabitatio* vel *luſus* cum *baſiliſco*: non enim dicitur *ablactatus manum ſuam extendet* על צפעוני *ſuper baſiliſcum*, vel: *ablactatus* עם צפעוני ירבץ i. e. *cum baſiliſco cubabit*, qvomodo præced. v. 6. de *pardo* & *hædo* prædicebatur; ſed *ablactatus manum ſuam extendet* על מאורת צפעוני i. e. *ſuper cavernam baſiliſci.* Dices: *foramen* & *cavernam* hîc poni *metonymicè*, tanqvam *continens* pro *re contenta*, ſ. pro ipſa *aſpide* & *baſiliſco*; verùm nulla nos neceſſitas cogit ad *metonymiam* confugere, cum *foramen* & *caverna propriè* accepta notabilem planè ſenſum hîc obtineant, uti ex dicendis mox eluceſcet. Nimirum *puello lactenti* & *ablactato* tribuuntnr *actus miniſteriales*, intrepidè & confidenter *mutationem* in ipſo aſpidis *foramine* & baſiliſci *caverna curantes.* Dicimus *intrepidè* & *confidenter*: id enim inferre videtur verbum ושעשע *& oblectabitur* (qvod eſt formæ *qvadriliteræ*, in Piel pro Dages characteriſtico geminans literas radicales, omiſſâ tertia Rad. ר: eſt enim à R. שעה *aſpexit*) qvi enim cum intuitu oblectationis in foramen aſpidis agit, is confidenter agere cenſetur. Qvid verò *actus* ille *lactentis* & *ablactati* in foramen aſpidis &c. importet, deinceps §. 7. exponemus.

§. 6. Interim verò hîc (2.) qværitur, qvinam per *puerum parvum ductorem* & *puellum lactentem*, ut & *ablactatum* significentur? Non facimus cum illis, qvi per *parvum* hunc *puerum*, nec non per *lactentem* atq; *ablactatum* (uti & per *agnum*) hîc ipsum intelligi *Christum* putant. Qvod enim in hac θηριολογίᾳ non ipsius Christi, paulò antè jam qvoad originem, conditionem, regimenqve gratiosum & justum descripti; sed *subditorum* regni ejus tam *convertendorum* qvàm *conversorum status* vel *qvalitas* depingatur, qvod scil. qvi ante conversionem ad regnum Christi, fuerunt crudeles & violenti, luporum aliorumqve brutorum ferociorum similes, ita mutari & mansvescere debeant, ut vel à parvo puero in Ecclesia, i e. ab infimo contemtoqve verbi Ministro, pastoraliter se duci patiantur, ex contextu satis patescit. Malumus ergo cum aliis per *puerum parvum* & *lactentem* atqve *ablactatum*, contemtos humilesq; *Christi discipulos* horumq; successores, nullâ seculi gloriâ conspicuos, sed coram mundo pro stultis omnino pueris habitos intelligere, id qvod vel ex *applicatione* vaticinii (qvam & hîc statim inserimus) ad Messiæ nostri DOMINI JESU Nazareni tempora, in qvibus & hæc qvam eximiè sunt impleta, adeoqve ex complemento magis clarescet. Nonne enim (1.) Servator noster Apostolos suos & LXX. discipulos planè *contemtos*, *infirmos*, *ignobiles* & pueros qvasi ac *stultos* coram mundo, conf. 1. Cor. 1. 26. 27. 28. *in medium luporum misit?* Matt. 10. 16. Luc. 10. 6. Nonne hi discipuli multos ex lupis & leonibus &c. h e. ferocioribus Jhudæis, lucrati sunt Christo & ad mansvetudinem agnorum Christi redegerunt, redactos pastoraliter duxerunt? Nonne (2.) idem Christus his LXX. discipulis (ex medio luporum reversis & cum triumfo referentibus, *etiam Dæmonia sibi in nomine Christi subjecta fuisse* Luc. 10. 17.) non tantùm privilegium istud *lactentium in aspidem, & ablactatorum in basiliscum*, sic satis explicuit dicendo: *ecce do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones & omnem vim hostis:* sed & eodem momento eosdem discipulos ex medio luporum reversos disertè ac notanter *infantibus* & *lactentibus* comparavit, dum in suis ad Patrem precibus tunc gratias ipsi egit, *qvod mysteria sapientibus seculi occultata, infantibus & lactentibus manifestare voluerit* h. e. humilibus infirmisqve discipulis suis, majori ex parte ἀγραμμάτοις & idiotis, Act. 4. 13. Nonne (3.) Discipuli Servatoris nostri ante ascensionem ejus & ante *Pentecostalem Flaminis baptismum* instar *lactentium* qvidem habebant, tunc qvasi lacte à Christo cibati, & hanc ejus vocem audientes: *multa adhuc dicere vobis habeo, sed jam portare* (tanqvàm lactentes) *non valetis* Joh. 16. 12. post illũ verò pentecostalem baptismum, acceptâ scil. Spiritus S. supervenientis virtute

tute Act. 1. 8. *ablactatorum* instar erant, solido jam pane vescentes & majori doctrinæ atqve animi robore gaudentes? Tunc enim *Spiritus S. illos omnia docebat* Joh. 14. 26. Conf. *Varen.* l. c. p. 333. & ex eodem *Thilo* l. c. p. 868.

§. 7. Cognito sic *puero parvo* & *lactente* ut & *ablactato*, jam (3.) de *actibus* illorum actuumqve *objectis* (in qvibus differentiam observare qvandam supra licuit) dispiciendum qvoqve erit. Et qvidem ad *actus pueri parvi* qvod attinet, qvi consistunt in *ductura* & *pastura* luporum & agnorum &c. illi qvidem ex jam dictis clarescunt, adeoqve singulari explicatione non indigent: nonne enim tunc temporis sub pueris his ductoribus videre licebat juxta v. 6. *vitulos & leonum catulos & pecus pingve* (h. e. armenta domi saginata, in qvæ ceteroqvi belluæ hæ, catuli leonum voraciſſimi & rapaciſſimi, libentiùs irruere solent) *simul* pascentes? imò & *leones fœna cum bobus comedentes*, juxta v. 7. h. e. principes, potentes, Tyrannos, & Sapientes mundi, hactenus rapinis mundiqve voluptatibus saturatos pascuæqve verbi Christi contemtores, tunc una cum Christi agnis & fidelibus pascuâ verbi à discipulis Christi se pasci patientes? Sed qværitur hîc tantùm circa *actus lactentis* & *ablactati*, qvidnam per *aspidem* & *basiliscum*, item per *foramen* & *cavernam* horum serpentum hîc significetur, & deniqve qvid sibi velint hi *actus lactentis* & *ablactati*, circa foramen aspidis & cavernam basilisci? Non refert hîc magni disqvirere, qvid פתן & צפעוני h. e. *aspis* & *basiliscus* sint, uti communiter has voces reddunt: qvid, inqvam, sint *aspis* & *basiliscus*, cum nomina hæc *propriè* sumuntur? Sufficit scire, *aspidem* bestiolam ex serpentum genere, basilisco minorem; *basiliscum* verò serpentum regem esse, qvi solo aspectu necare perhibetur. Illud verò nostra hîc maximè interest qværere & cognoscere, qvinam per *aspidem* & *basiliscum* (nominibus his impropriè pariter ac præcedentia luporum & agnorum aliorumq; sumtis) intelligantur? Ad qvam qvæstionem respond. dubium nobis cum *B. Varenio* l. c. p. 331. & 335. non esse, qvin h. l. sub nominibus *serpentum* respectus ad *antiqvum* habeatur *serpentem* Apoc. 12. 9. atq; ita hîc per *aspidem* & *basiliscum*, significentur illi *serpentes* & *scorpiones*, *in qvos* certè *calcandos lactentibus suis discipulis potestatem dedit* Nezer noster Nazarenus loco jam citato Luc. 10. 19. & de qvibus iidem, ceu etiam paulò antè relatum, ad Christum reversi ita referebant: *etiam dæmonia nobis subjecta sunt* h. e. ex obsessis excesserunt, *in nomine tuo* v. 17 unde & colligitur per *foramina* & *cavernas* aspidis & basilisci partim intelligi *spiritualiter obsessos*, qvales in ipsa qvoqve Jhudæorum gente, in ipsaqve Scribarum & Pharisæorum, in cathedra Mosis sedentium, caterva fuisse, vel *elenctica Christi concio*

apud

apud Matth. c. 23. v. 2. 33. docet, in qva certè is Phariſæos ab obſeſſore & in malo ipſorum corde, tanqvam caverna ſua, habitante antiqvo ſerpente appellavit *ſerpentes & viperarum progeniem*, gehennæ condemnationem haud effugituros conf. Matth. 12. 34. Qvàm confidenter autem ex hac ipſa qvoqve viperarum progenie, aſpidisqve & baſiliſci cavernis, *lactentes & ablactati, extenſâ manu* h. e. miniſterio ſuo, multos converterint, & ſic qvoq; *aſpides & baſiliſci* hi impropriè dicti, ad mirabile hoc contubernium aggregati ſint, non tantùm *hiſtoria Proto-Baptiſtæ*, qvi ad illosmet Phariſæos & Sadducæos, cum baptiſmum peterent, dicebat: *viperarum progenies, qvis monſtravit vobis* &c. Matth. 3. 7. ſed & Apoſtolorum acta ſic ſatis oſtendunt: partim *corporaliter obſeſſos* vel δαιμονιζομένους, qvi *domus* antiqvi ſerpentis vocantur Matth. 12. 44. Luc. 11. 24. ſuper qvam aſpidis domum ſ. cavernam *lactentes & ablactati* Servatoris diſcipuli cum שעשועים h. e. *oblectationibus*, ceu hîc prædictum, h. e. fiducialiter, in reſpectu ad *Chriſtum*, infernalis baſiliſci contritorem, in nomine ejus, *extenderunt manus* & ſic *aſpidem* ex foramine ejecerunt, juxta promiſſionem Marc. 16. 17. & juxta exemplum, qvod cum triumfo referebant diſcipuli Chriſti paulò antè laudati Luc. 10. 17. Conf. *B. Varen.* l. c. p. 335. & 336. Qvanqvam non diſſimulandum, qvod & fides *lactentium* adhuc diſcipulorum Chriſti tam lactea qvandoqve fuerit, nempe ante Pentecoſtalem Flaminis Baptiſmum, ut pares illi baſiliſco, magis noxio in genere Dæmoniorum, expellendo non fuerint, qvale exemplum legitur Matt. 17. 19. qvi tamen jam *ablactati* (qvales poſt Pentecoſtalem illum Flaminis Baptiſmum Diſcipulos Chriſti fuiſſe præced. §. 6. in fine diximus) feliciter & confidenter in nomine Jeſu manus ſuas ſuper antiqvi ſerpentis, ipſiusqve Baſiliſci cavernas & foramina aſpidum h. e. corporaliter obſeſſos, extenderunt & Dæmonia expulerunt. Conf. exempla Act. 16. 16. c. 19. 9. &c. Ex qvibus jam patet *actus* hos *lactentis & ablactati* eſſe *miniſteriales*, intrepidè mutationem foraminis & cavernæ ſerpentum h. e. *obſeſſorum* curantes.

§. 8. Hactenus de contubernii tum *incolis* ſ. *cohabitatoribus* ipſis, tum *directoribus* vel *ductoribus* ſic ſatis, ut opinamur. Nunc qvoqve diſſerendum III. ex v. 9. eſſet de *effecto* cohabitationis luporum cum agnis, ſc. de *noxæ omnis & violentiæ ab Eccleſia Chriſti remotione*, ejusdemqve & omnium actuum hactenus expoſitorum *ratione* vel *cauſa*, nempe *ſcientiæ* ſ. *cognitionis Domini Meſſiæ abundantia*, ut & de *uſu & abuſu* loci; ſed anguſtia pagellarum Diſſertationi huic deſtinatarum abrumpere hîc filum cogit. Proximâ tamen Diſp. qvæ reſtant D. d. ſeorſim ad v. 9. exponentur.

Ad Præstantissimum

DN. HARTMANNUM,

Ex Acadd. Regiom. & Gryphica ad nostram Mekelburgen-
sium nuperrimè, præviis Fautorum commendatitis,
transeuntem,
Et mox in Collegiis privatis Disputatoriis super Aug. Conf.. & Form. Conc.
nec non Philologico sacro Auditorem meum assiduum,
Insimulq; in Collegio publico ISAIANO
De
LUPORUM cum AGNIS CONTUBERNIO MIRABILI
promtissimè Responsurum.

VIx nostras ingressus eras Studiosus Athenas,
Vixqve mihi Nomen forte professus eras,
Ut sacra privatim tractares Symbola, nec non
Consuleres fontem, qvo sacra Scripta fluunt,
Et simul en! Cathedram conscendis, ut inde profectus
In studiis clarè publicitusqve probes.
Egregium facinus! Sic perge † *fidelius* artes
Et percontari Symbola, gratus eris:
Perge, Prophetarum † *repetendo* scita, sacrosqve
Fontes scrutando, discere, *charus* eris:
Charus eris Patriæ *Vir*, *charus* erisqve PARENTI,
Cui, qvæ conaris, gaudia grata ferant,
Sintqve Tibi, precor, hæc decori multæqve saluti,
Utqve brevi pascas *Dux* gregis almus *oves*,
Atqve *lupos* plures convertas Pastor in *agnos*.
Interea *Christi cognitione* * vale,
Qva qvicunqve valet * plenè, mox omne *lupinum*
Odit is ingenium, qvin *ovis* instar habet.

* Juxta v. 9. loci.

† JULIUS FRIDERICUS HARTMANNUS.

Anagr. LMg

TU CHARUS VIR, RUMINANS FIDELIUS.

A. D. HABICHHORST, D.
Inge.

INgenium exercere suum non ultima laus est,
Qvando damus doctis nomina nostra scholis.
Id facis, atqve alios exemplo impellis, AMICE,
Ut studeant similem laudis inire viam.

Doctissimo Dn. Resp. humanissimæ gratulationis c. s.

JO. FECHT, D. & P. P.
Fac. Th. nunc Dec.

PUblica dum grato conamine pulpita scandens,
Verba Sacri Vatis mystica plana facis,
Publica, Amice, probè Sapientum puncta mereris,
Doctorumqve bonâ laude per ora volas.
Gratulor, ex voto tandemqve seqvantur honores,
Conatus studii qvos meruêre Tui.

Honoris & Amoris ergò lmq; scrib.

M. JACOBUS Burgmann/ Sch. Rost. ConR.

QVam belle studiis incumbas, *dulcis Amice*,
Id patet ex cœptis, qvæ bene cœpta, Tuis.
Porro colas Musas: Cultores namqve vicissim
Condecorare suos semper honore solent.

Hæc paucula Amico suo festinante calamo adjicere voluit

ALBERTUS JOACHIMUS Krakevitz/
Nob. Megap.

HEm I gratare tibi, celeberrime Pinde Rosarum,
Qvod tua jam tales pulpita sacra petant,
Qvi simulac veniunt doctrinæ semina produnt,
In claris pridem qvæ didicere locis.
HARTMANNUS *venit*, tua tectaqve splendida *vidit*,
Vox: *vicit*, supereſt, sed secutura citò,
Qvando sacram cum laude parat decorare palæstram,
Velificans CHRISTO SPIRITUIQVE SACRO.
Pergas sic, *Pylades*, pugnas committere plures,
Pergas ardorem continuare sacrum,
Præmia *vincentem* te lausqve decusqve manebunt,
Nec poteris Patriæ displicuisse Tuæ.

Qvod in signum amicitiæ nunqvàm intermorituræ literatissimo Dn. Resp. gratulabundus raptim precatur

JOHANNES Rauch/ Rug. S. Th. St.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0362
DFG

PARTIS PRIMÆ
ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO EXEGETICA XXII.
De

COGNITIONE DOMINI,

QVA

TERRA EST REPLETA, SICUT AQVÆ MARE OPERIUNT,

EJUSQVE

EFFICACIA ET FRUCTU,

Ex ISAI. XI. v. 9.

Quam

Auxilio DEI-Hominis & Ven. FCtis THEOL. consensu
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,

Doctore & Professore Theologo Ordinario,
Consistoriiqve Duc. Mekelb. Assessore ac Collegii
Professorum Ducalium Seniore,

ad 19. Mart. 1692. in Aud. Majori inclutæ Universitatis Rostoch.
placidæ sententiarum collationi sistit

DANIEL CHRISTIANUS Stavenhagen/
Büzovio-Mekelburgicus.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0363
DFG

Generosissimis maximèq; strenuis Dominis,

DN. JOH. ALBERTO à Plußkau/

Consiliario Ducali Mekelb. Provinciali splendidissimo & Principatus Sverinensis Mareschallo æstimatissimo, Domino in Trechau/ Belitz/ Boldenstorff/ Treptau & Tatschau/

DN. NICOLAO HARTVICO à Werkentin/

Præfecturæ Büzovienſis Capitaneo gravissimo, & fortalitii ibid. Commendatori fortissimo, in Hohen-Pritz Domino,

ut &

Pl. Reverendis Clarissimisq; VIRIS,

DN. GEORG. FRIDERICO MÆRKIO,

DN. STEPHANO Engel/

Ecclesiæ Büzovienſis Pastoribus dexterrimis & vigilantissimis;

nec non

Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimis, Doctissimis & Spectatissimis VIRIS,

DN. MARTINO BURGHARDO,

DN. ANDREÆ SCHRöDERO,

Civitatis Buzovienſis CONSULIBUS dignissimis & fidelissimis,

DN. HARTVICO Lilienthal/
DN. JOHANNI Gerbern/
DN. STEPHANO Danckwart/
DN. JOACHIMO BUSSINGIO,
Not. Cæs. Publ. &
DN. DANIELI LAURENTIO Oſtwald/
Secretario &
DN. DAVIDI Sahlfeld/

} Ibidem Senatoribus Civitatis meritissimis.

Dominis Mæcenatibus, Patronis, Fautoribus & respectivè Benefactoribus observandissimis & singulariter colendis,

Pagellas has Theologicas, studiorum primitias, in observantiæ signum & favoris majoris incitamentum, cum voto omnigenæ cognitionis Domini & felicitatis in eodem, officiosissimè dicat & offert,

D. C. Stavenhagen/ Resp.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0364
DFG

LOC. IV. ISAI. XI. 9.

Disp. XXII. & penult. PARTIS PRIMÆ.

De

Cognitione Domini Messiæ, qvâ terra est repleta, ejusq́, efficacia & fructu.

TRia qvidem ad præcedentem, de *mirabili luporum cum agnis contubernio*, locum tractare proposueramus, scil. (1.) ipsos *Cohabitatores* s. *contubernales*, lupos & agnos &c. (2.) cohabitantium *directores* s. *ductores*, qvi simul mutationis animorum ferociorum curatores. (3.) *cohabitationis* tum *effectum*, sc. *noxæ omnis & violentiæ in sancta Christi Ecclesia cessationem*, tum *rationem* s. *causam*, qvæ est *cognitionis Domini Messiæ exuberantia.* Cum verò tertium hoc, versu 9. descriptum, angustia pagellarum Disputationis præcedentis capere non potuerit, nunc illam, *cognitionem Domini Messiæ, qva terra est repleta*, ejusqve *fructum* sc. *noxæ & violentiæ omnis in Ecclesia Christi cessationem* (qvæ simul *effectus* est mirabilis contubernii nuper expositi) seorsim & plenius considerare non pigramur. Locus autem versus 9. juxta *Pagnini* versionem sic habet: *non nocebunt & non perdent in universo monte sanctitatis meæ: qvia repleta est terra cognitione Domini, sicut aqvæ mare cooperientes.* Ad qvem, pro *sensu* ejus evolvendo, tria sumus exposituri (1.) ipsam דעה את יהוה s. *cognitionem Domini*, tum qvoad *phrasin Ebræam*, tum qvoad *rem* (2.) *cognitionis exuberantiam* (3.) *cognitionis efficaciam & fructum*, qvi est *noxæ & violentiæ in sancta Christi Ecclesia cessatio*, qvam qvidem Propheta priori versus noni membro tanqvam *effectum* mirabilis luporum cum agnis contubernii, v. 6. 7. & 8. prædicti, proponit; nobis verò nunc, qvia potissimùm de *cognitione Domini* agimus, (qvæ tanqvam *ratio* & *causa* non tantùm mirabilis illius *contubernii*, sed & *cessationis noxæ & violentiæ* in Ecclesia, subjungitur) priori qvoqve loco agere licebit. Qvibus dein tum

usum, tum *abusum* hujus & præcedentis loci, qvem pagellæ præced. disp. excludebant, breviter sumus annexuri.

§. 2. Circa I. s. *ipsam cognitionem Domini*, sc. DEI & Messiæ (qvippe de qvo in præcedd. ab initio capitis agitur sub nomine Nezer, super qvo Spiritus Domini reqvieſcit, qvi infallibiliter omnia odoratur & cognoscit justèqve judicat, qvi terram h.e. homines terrenos virga oris sui percutit & Spiritu labiorum suorum impios occidit, & in cujus Ecclesia, conversis ad ipsum lupis & leonibus h. e. ferocioribus Tyrannis & agnorum Christi persecutoribus, noxa omnis & violentia cessat, qviqve, ceu seqventia docent, in vexillum populorum erectus est, ad qvem recurrerunt gentes per Evangelii prædicationem vocati, qviqve Jhova s. verus atqve æternus est DEUS) circa hanc inqvam *cognitionem* duo hîc exponenda veniunt, (1.) *phrasis in fonte*, qva cognitio illa dicitur דעה את יהוה 2. *res ipsa*. Ad 1. sc. *phrasin* qvod attinet, qværitur utrum particula את in verbis דעה את יהוה sit h. l. *præpositio*, *elliptice* posita pro מאת *a, ex*: an potiùs *accusativi* aut *Genitivi nota? B. Thilo* in Medulla Theol. V.T. ad h. l. p. 86. ex *Polo* & hicex *Musculo* ad h. l. *phrasin* vel *constructionem* hanc statuit *inusitatam*, *sic explicandam*, *scientia à Domino*, *ut* את *sit præpositio* elliptice posita *pro* מאת *a, ex*. Qvibus verò non adstipulamur. Eqvidem si τὸ *inusitatum* illi sumunt pro minùs freqventi, vel *comparatè* id intelligunt, qvod sc. hæc constructio non tam usitata sit, qvàm illa, qva τὸ את post verbum activum est accusativi, & post verbum neutrum & passivum qvandoqve nominativi nota, item illa, qva post neutrum eadem particula את est præpositio significans עם *cum*, facilè consentimus. Sin verò *simpliciter* vocem *inusitati* accipiunt, meritò dissentimus: siqvidem non hîc tantùm (juxta ipsorũ mentem) talis constructio, qva את elliptice sumitur pro מאת *à, ex*; sed & alibi sæpi-

sæpiusculè & qvidem post verba copiæ (qvale hîc est מלאה i. e. *repleta est*) & inopiæ neutra & passiva, item post alia neutra reperitur. Sic Ezech. 10. 2. *& impleta est domus* את החצר i. e. *à nube, & atrium plenum fuit* את נגה כבוד יהוה i. e. *à splendore gloriæ Domini.* Conf. & Jerem. 6. 11. Joel. 2. 19. &c. Consentit *B. Wasmut.* in Hebr. Restit. App. 2. Gram. p. 293. Ceterùm id cum verbo activo nunqvam obtingit, scil. ut תו את *præpositio* sit, & vel notet עם *cum*, vel ellipticè posita pro מאת significet *à, ex.* Si verò obtingat, certè aliud nomen vel pronomen interceſſit, cum qvo verbum activum jam est constructum, ceu ostensum pluribus in Disp. nostra I. ad Gen. 4. 1. de *Triverbio Evæ*, m. 2. punct. 1. §. 2. Ubi & præsentem Isaiæ locum n. 6. adduximus simulqve censuimus, תו את h. l. juxta nonnullos (intelligimus *B. Wasmutium* in Gram. Ebr. Reg. 19. m. 6.) esse *Genitivi* notam, adeoqve phrasin דעה את יהוה hic esse reddendam non per *cognitionem à Domino*, sed per *cognitionem Domini.* Et de hâc constructione (qvam versiones *Lutheri, Pagnini, Vulgata* &c. probant, reddentes per: *cognitione Domini,*) itidem negamus, qvod planè sit inusitata: siqvidem & alibi non semel reperitur, ut Deut. 10. 12. dicitur ליראה את יהוה *ad timorem Domini:* Sic & Num. 10. 2. & erunt למקרא עדת ולמסע את המחנות i. e. *ad convocationem cœtus & ad translationem castrorum*, item Ezech. 17. 9. למשאות אתה *ad sublationes ejus*; qvanqvam his aliisqve in locis rectiùs statuitur *Accusativus per Ebraismum positus pro Genitivo*, ita ut *nomen verbale* s. *absolutum* ut h. l. דעה *cognitio*, s. *constructum*, ut למסע *ad translationem* Num. 10. 2. regat verbi sui casum sc. Accusativum, mediante particulâ את, ejusdem casus notâ, atqve ita exponatur: *terra est repleta cognitione* (vel cognoscendo) *Dominum* i. e. *cognitione Domini.* Sic Num. 10. 2. *ad translationem* (ad transferenda) *castra*, juxta *Wasm.* in App. Gram. de idiotism.

Synt. p. 287. lit. δ. Priorem ergo sententiam *Thilonis* & *Musculi* aliorumqve de את pro מאת improbamus. Licet enim (ceu antea dictum & probatum) τὸ את post *verba copiæ & inopiæ neutra & passiva*, ellipticè qvandoqve ponatur pro מאת adeoqve tunc significet, *a, ex*, & hîc qvoq; *verbum copiæ* מלאה i. e. *plena est*, præcedat, adeoq; videatur Regula qvoq; de verbis copiæ jam adducta huc qvadrare, & vi regulæ hujꝰ particula את post verbum illud copiæ h. l. pro מאת i. e. *à, ex*, posita esse; propterea tn. hoc loco talis constructio & interpretatio (*scientia à Domino*) locũ obtinere neqvit: non enim τὸ את יהוה sed vox דעת h. e. *scientia*, cum illo copiæ verbo מלאה hîc construitur h. m. *terra plena est* דעת i. e. *scientiâ*. Si verò sic diceretur: *terra est plena* את־דעה (uti loco paulò ante citato Ezech. 10. 2. *domus impleta est* את־העגן i. e. *à nube* &c.) tunc qvoqve את dici posset ellipticè posita pro מאת *à, ex*. Nunc verò, cum ita h. l. non legatur, sed potius τὸ את post vocem דעת positum construatur cum יהוה *Domino*, alia certè constructio & Ebraismus hîc obtinet paulo ante laudatus.

§. 3. Ceterum si alia isthæc constructio & interpretatio, qva את h. l. vel sit *Genitivi* nota, vel accusativi, ita ut hic accusativus per Ebraismum pro Genitivo sit positus, difficilior vel obscurior paulò videtur, ecce aliam adhuc, faciliorem clarioremqve, dare non pigramur, qva vocem דַּעַה non *nomen* hîc, notans *scientiam*, sed *formã anomalam infinitivi* cum ה parag. ab eadem Radice ידע *scivit*, statuimus, qvalis præter illam freqventiorem infinitivi formam anomalam דַּעַת cum ת paragogico, reperitur: ut sic infinitivus דַּעַה stans h. l. pro nomine, regat accusativum יהוה intercedente particulâ illa את accusativi post verbum activum notâ, h. s. *qvia terra repleta est* דַּעַה *scire* (cognoscere) *Dominum* i. e. *scientiâ* vel cognitione Domini. Ne verò temerè id statuisse videamur, rationes subjungimus

gimus non unas. Ita enim (1.) non cogimur ambagibus uti, nec famosiorem particulæ illius acceptionem, qva post verbum activum (qvale hîc infinitivus, à R. ידע scivit) deserere, & ad Ebraismum recurrere non adeo freqventem. Neqve (2.) ab hoc tantùm verbo ידע sed ab aliis qvoqve ejusdem anomaliæ verbis e. c. ילד *peperit*, ירד *descendit*, infinitivi talis formæ anomalæ (qvalis hîc דַּעַת censetur) reperiuntur. Siqvidem à ירד non tantum est infinitivus freqventioris anomaliæ לָרֶדֶת sed & minùs freqventioris לָרֶדָה vid. Isai. 37. 4. & 2 Reg. 19. 3. ללדה *ad parere* s. *ad pariendum*. Similiter à ירד non tantùm legitur infin. רֶדֶת sed & רדה vid. Gen. 46. 3. מֵרֶדָה *à descendere* s. *à descendendo* i. e. ne descendas. (3.) Suffragantur nobis LXX. qvarum certè versio, cum abs nobis consuleretur, ansam nobis de hac interpretatione cogitandi suppeditavit: Siqvidem & illi talem formam infinitivi agnoscunt, qvando vocem qvæstionis דעה per infin. γνῶναι, i. e. cognoscere, seqvente accusativo τὸν Κύριον i. e. *Dominum*, reddunt, ita habentes: ὅτι ἐπλήσθη ἡ σύμπασα γῆ τοῦ γνῶναι τὸν Κύριον. (4.) Vestigia qvoq; talis anomaliæ in infinitivis verborum primam Rad. י habentium observamus ap. Wasmut. in Gr. R. 37. Ann. 2. ubi & hunc locum exempli loco laudavit, qvanqvam idem, Regularum suarum XIX. m. 6. & App. II. de Idiotism. Synt. suprà nobis allegatarum haud dubiè memor, corrigere se mox videatur. Qvicqvid autem de illa correctione fuerit, confirmare (5.) nos videtur *locus* certè *parallelus* Chabacc. 2. 24. ubi eadem ferè qvæ h. l. verba habentur & pro nostro minùs freqventi infinitivo לדעת legitur alter ejusdem verbi infinitivus דעת cum præfixo ל h. m. כי מלאה הארץ לדעת את כבוד יהוה כמים יכסו ים : i. e. *qvia terra replebitur* לדעת *scire* (cognoscere) *gloriam Domini* &c. Licet verò infinitivus ille לדעה uti & alii (e. c. hoc ipso capite XI. v. 2. והריחו & *odorari ejus*) sæpe nominascant,

adeoqve & דעת *scientiam* significet e. c. Isai. 53. ברעתו *per scire suum* i. e. per cognitionem sui, *multos justificabit servus meus*; qvò minus tamen l. c. parallelo maneat infinitivus & non nominascat, non tantùm nihil obstare, sed & seqventem accusativum, qvem certè idem regit præcedente את accusativi nota, adstare nobis opinamur. Ut ita nec l. c. parallelo famosiorem את acceptionem deserere & ad Ebraismum minus freqventem (qvo את sit Genitivi nota vel accusativus pro Genitivo post nomen verbale positus) recurrere & ambagibus uti, adeoq; illum *similiter*, *uti* alii hunc, reddere teneamur: *qvia terra replebitur cognitione gloriam Domini*. *Dices*: si ערת h. l. non esset nomen verbale cum ה affirmativâ generis fœm. sed infinitivus formæ anomalæ cum ה paragogico (uti alter infinitivus דעת à ת paragogico) tunc certè vox ערה non esset *milra*, accentum h. l. in ultima habens, sed *milel* i. penacuta. Nam ה paragogicum & locale semper vocem facit penacutam, qvomodo ab ה affirmativa generis discernitur, cum qva vox est milra. vid. *Wasm*. R. 9. m. 1. Exc. 2. Sed Resp. (1.) ex positu accentus h. l. nihil contra nos obtineri vel certi qvid concludi potest, an vox milra fuerit, an milel: nam accentus *Paschta* Dux (qvi h. l. in ult. litera ה vocis ערה reperitur) est *postpositivus*, qvi cum tribus aliis similibus sc. *Sgolta*, *Sarka* & *Tlischa-Ktannâ*, semper ultimam vocis literã occupat: unde is cum aliis sui similibus per se non acuit vocem, nec adeo in elevatione Syllabarum est attendendus, sed Syllaba tunc elevanda semper ex regulis de nativa accentuum sede vel de translocatione illorum ex ista sede nativa est dignoscenda. vid. *Wasm*. R. eadem 9. m. 1. annot. 2. Cum ergo vox habens ה paragogicum regulariter sit penacuta, etiam רֵעָה talis erit, licet *Paschta* in ultima h. l. literam occupet. (2.) Regula de ה paragog. (qvod semper vocem faciat penacutam) qvæ probationis loco citatur,

tur, uti est exceptio à Regula generaliori (qvæ dicit accentum è regulari natura sua ultimam occupare Syllabam, vid. *Wasm.* ead. Reg. 9. m. 2.) ita nec ipsa illa de ה parag. regula est universalis, sed suas patitur exceptiones, uti aliæ solent regulæ: nam (α) cum præcedit Schva in verbis, tunc accentus manet in ultima. vid. ead. R. 9. m. 2. exc. 2. & Reg. 16. m. 2. Sic in infinitivo ejusdem anomaliæ רָדָה à R. ירד paulò ante citato ex Gen. 46. 3. accentus est in ultima: nullum enim Schva potest sustinere accentum *Wasm.* Reg. 2. in fin. not. 2. accentũ inqvam, actu acuentem: alia enim ratio est accentuũ præpositivorum Reg. 9. m. 1. Ann. 2. Item (β) qvædam etiam verborum secundum Rad. ו habentium in imperativo Kal cum ה parag. modò sunt milel modo milra e. c. שובה imperativus, à R. שוב *reverti*, modò est milel vid. Jerem. 3. 12. modò milra vid. Num. 10. 36. & alibi. conf. *Wasm.* Gr. R. 36. Ann. 2. lit. β. Qvid igitur obstaret, qvò minùs pariter de his infinitivis formæ anomalæ cum ה parag. à verbis primam Rad. Jod habentibus statuerem, qvod non tantùm sint milel, sed & milra, uti Isai. 37. 4. 2 Reg. 19. 13. in infinit. לָלֶדֶת i. e. *ad parere* s. *ad pariendum*: nam particulæ לְ infinitivis præfixæ, notant latinorum gerundia, W. Reg. 18. m. 9. *Dices:* vocem illam לָלֶדֶת esse nomen commodèqve reddi posse non tantùm ad *parere* s. ad *pariendum*, sed & ad *partum*, ideoqve & h. l. עֶרֶה nomen esse. Resp. 1. posse infinitivos per nomina reddi, imo & sæpius nominascere vel nomina fieri concedimus, qvia sæpe stant loco nominum: sicut & nostro in loco infinitivus *cognoscere Dominum* commodè per nomen exponitur: *repleta est terra cognoscere Dominum*, i. e. cognitione Domini; inde verò non seqvitur qvod hîc & ll. cc. formâ suâ non sint infinitivi cum ה paragogico irreguraliter formati.

§. 4. Expositâ sic phrasi Ebræa דעה את יהוה pedem

jam

jam ad *rem ipsam* promoventes, qværimus, *qvænam* hîc *scientia* s. *cognitio Domini* intelligenda sit? nam in vocibus *scientia DEI* s. *cognitio DEI*, ut in voce *amor DEI*, ambiguitas est. *Propriè* scientia s. cognitio DEI est illa cognitio in DEO & Christo infinita, qva *DEUS & Christus omnia* & præcipuè suos perfectissimè & plenissimè *novit* Ps. 139. 6. 2 Tim. 2. 19. unde & scientiarum divitiæ DEO tribuuntur Rom. 11. 2. dicitur aliàs *activa*. *Improprie* verò cognitio DEI est, *qvam nos habemus de DEO*. Gal. 4. 9. dicitur alias *passiva*. Et hæc cognitio DEI *passiva* vel est *communis* hominibus etiam gentilibus, dicta *naturalis*, qvalis est ea, qvæ post lapsum remansit & ex *lumine* vel *libro naturæ* habetur Rom. 1. 19. & 20. Verùm hæc imperfecta, obscura & insufficiens ad salutem est, qvod innuitur 1 Cor. 1. 21. c. 2. 8. Actor. 17. 27. vel *specialis* & *salvifica*, qvalis est ea qvæ ex *relevatione* s. ex libro scripturæ contingit, dicta idcirco notitia DEI *revelata*, aliàs scientia viarum DEI Isai. 58. 2. Scientia s. cognitio salutis Luc. 1. 77. Scientia sanctorum, Prov. 30. 3. &c. Qværitur ergo utra hîc scientia vel cognitio intelligatur? Responsio ad affirmandum posterius, sc. de *cognitione DEI passiva* & qvidem *revelata*, est in promtu. Nam (1.) talis cognitio DEI hîc indigitatur, qva *terra* i. e. homines in terra viventes, *replentur*; non autem scientiâ DEI *activa*, qva DEUS omnia novit, sed *passiva*, qva abs nobis cognoscitur, terra repletur, mediante Evangelii prædicatione, cujus sonus in omnem terram exivit Ps. 19. 5. Rom. 10. 8. (2.) Cognitio DEI hîc adducitur tum ut *ratio* & *causa* conversionis animorum mutuæqve charitatis, humilitatis & mansvetudinis in contubernio luporum & agnorum h. e. convertendorum hominum ferociorum & mitiorum Christi ovium jam convertorum, præced. v. 6. 7. 8. descripto: tum ut contubernii ejusdem *effectus* qvi est *noxæ omnis & violentiæ in Ecclesia Christi cessatio*;

ſatio; Talia verò ſpiritualia dona & bona (1.) non *præſcientia* ſ. *ſcientia* DEI, qva omnia cognoſcit, ſed cognitio DEI & Chriſti, qva nos illum cognoſcimus, qvæqve per prædicationem Evangelii excitatur, efficit, ceu infrà ex dicendis de efficacia cognitionis patebit. Neqve (2.) *notitia DEI naturalis*, talia in homine operatur, qvia imperfecta & obſcura eſt & mediatoris Chriſti penitus ignara, imò & reſpectu revelatæ ferè nulla. Hinc lupos illa non convertit in agnos &c. aliàs nec gentiles fuiſſent *lupi*, *pardi*, *leones* & *urſæ*, qvibus tamen nominibus hîc iidem ante converſionem æqvè ac Jhudæi nondum ad Chriſtum converſi à Propheta deſcribuntur, (ceu diſp. præced. §. 4. ad præced. v. 6. 7. 8. eſt oſtenſum) aliàs nec iidem Gentiles notitiâ qvidem naturali pollentes, ſed eandem ſpernentes, teſte Apoſtolo Rom. 1. 28. fuiſſent pleni injuſtitiâ, malitiâ, odio cæde, inſidiis, ſuperbiâ, ferociâ, immiſericordiâ &c. teſte eodem Apoſtolo ibid. v. 29. 30. 31. Contrà verò *cognitio revelata*, qva cognoſcitur DEUS, qvod ſit pater in Chriſto miſericors, qva ſcimus, qvod Chriſtus æternus DEI filius in tempore ex radicibus Jiſchai prognatus Iſa. 11. 1. & juxta hum. nat. infinitis omnino donis ad peragendum opus redemtionis inſtructus, ibid. v. 2. nos DEO reconciliaverit, à peccatis & peccatorum pœnis, ab ipſoqve inferno redemerit, & æternam ſimul ſalutem reparaverit &c. hæc inqvam cognitio invitat cognoſcentes, beneficium agnoſcere, gratiæ DEI in Chriſto ſe ſubmittere eidemq; confidere: inde porro per cognitionem hanc fiducialem affectus, intuitu amoris gratiæqve DEI & meriti Chriſti, mitigantur, ut odio hactenus diſſidentes ſincero mutuoqve amore conveniant 1 Joh. 4. 7. 11. &c. ceu infrà ad efficaciam cognitionis oſtendetur. Neqve enim *nudam* hîc notitiam DEI intelligimus ſ. *merè theoreticam*, qvæ ſolùm intra intellectum ſe continet, adeoqve tantorum effectuum cauſa pro-

xima & vera non censetur: aliàs enim nec Christianorum multi ipsiqve illorum Antecessores non pauci, notitiam rerum divinarum & salvificarum omnino habentes, essent lupi & leones h.e. feroces, injusti, superbi, fratres falsi, insidiatores, exteriùs amorem & favorem præseferentes, interius odium, invidiam, insidias, iniqvitatem coqventes, eamqve tandem occasione datâ crudeliter opere ipso exercentes, jurium proximi oppressores, ejus contemtores, osores, irreconciliabiles, immisericordes, qvales qvidem effectus & affectus inter ipsos Gentiles suprà observavimus ex Rom. 1. 29. 30. 31. qvi verò à sancta Christi Ecclesia de jure procul esse juxta h. l. deberent; sed *notitiam* DEI *practicam, vivam* & *affectuosam* s. *fiducialem*: verba enim notitiæ, uti aliàs in scripturis, ita qvàm maximè h. l. affectum connotant, ceu loqvitur *B. Dorschæus* in Theol. Zachar. part. 1. c. 5. p. 68. ubi & pro exemplo notitiæ affectuosæ inter alia hunc Isaiæ locum adducit. *Practicam* dicimus cognitionem, non qvatenus respicit *bonorum operum praxin*, sed qvatenus unà cum assensu *veram cordis fiduciam* s. *fiducialem Christi receptionem & apprehensionem* (unde succum & sangvinem trahit vitalem) includit, & immediato conseqventiæ nexu cum DEI & proximi dilectione conjuncta est. Nam cognitio talis, qvæ ipsa fides salvifica censetur, per charitatem & bona opera, tanqvam arbor per fructus, efficax est Gal. 5. 6. &c. de qva efficacia inferius.

§. 5. Cognitæ sic cognitionis hujus qvidditati, succedit expendenda II. *cognitionis hujus exuberantia*, qvam sacer Vates sic declarat: *qvia repleta* (plena) est *terra cognitione Domini, sicut aqvæ mare operientes*. Ubi duo rursus occurrunt disqvirenda (1.) *subjectum*, qvod cognitione hac repletum est (2.) *modus* repletionis. *Subjectum* est הָאָרֶץ i. e. *terra*, qvæ vox variè sumitur in Scripturis, h. l. *metonymicè*, pro creaturis in terra viven-

viventibus, non qvidem generatim omnibus, etiam irrationalibus, qvippe qvæ cognitionis Domini jam descriptæ non sunt capaces; sed *specialim* pro *hominibus*: non qvidem hujus vel illius saltem terræ, neqve terræ tantùm sanctæ; sed, pro substrata materia aliisqve testibus locis, *universæ terræ*. Siqvidem de temporibus Nezer h. e. Messiæ, ex radicibus Jischai progressi h. e. N. T. loqvitur Propheta, in qvibus lupi habitarunt cum agnis, & pardi cum hædis, qvos parvus puer, item lactentes & ablactati h. e. contemti Servatoris Apostoli, duxerunt (ceu ad præced. v. 6. 7. 8. disp. præced. pluribus est ostensum) in qvibus & *Radix Jischai* h. e. Christus in signum populorum erectus est, ad qvem gentes concurrerunt, ceu immediatè seq. v. 10. Propheta loqvi pergit. His verò temporibus discipuli Servatoris in omnem terram exiverunt & prædicatione Evangelii de Christo, omni creaturæ facta, terram omnem impleverunt, Matth. 28. 19. Marc. 16. 11. & qvò non pes Apostolorum, eò certè vox & sonus eorum pervenit, qvi in omnem terram exivit Ps. 19. 5. Rom. 10. 18. Igitur per hanc universalem Evangelii prædicationem, cognitio Domini in toto terrarum orbe *copiosè* & *abundanter* fuit excitata, ut terram repleverit, sicut aqvæ operientes mare. Et hic *modus* repletionis (2.) describitur his verbis: terra repleta est cognitione Domini כמים לים מכסים h. e. juxta *Pagninum*: *sicut aqvæ mare operientes* sc. sunt; at juxta *Vulgatum*: *sicut aqvæ maris operientes*, qvam seqvitur hîc Germ. *Lutheri*: Wie mit Wasser des Meers bedeckt. Ubi tria qværuntur: (1.) *utra versio præferenda?* (2.) qvis verborum *sensus* ratione *phraseos*, qvæ modum plenitudinis designat (3.) qvæ tandem *res ipsa*, per aqvam mare operientem significata? Qvod (1.) ad versiones attinet, *Vulgatæ* & Germanicæ obstat (1.) *litera textus Ebræi*, in qvo vox *aqvas* notans, non est status constructi: non enim dicitur כמי לים

qvemadmodum aliàs voces dantur constructæ mediante particulâ ל, ב, מ, ut Ps. 2. ult. חוסי בו i. e. *confidentes in ipso*, & Isai. 9. 2. כשמחתם בקציר i. e. juxta *lætitiam in messe*. conf. Jerem. 23. 23. Ezech. 13. 2. &c. Et licet forma talis constructa cessare hîc, diciqve posset, *substantivum* posterius לים cum præfixo ל h. e. *in mari*, stare hic pro *adjectivo* h. s. *sicut aqvæ in mari* (h. e. marinæ) *operientes sunt*, uti Gen. 1. 22. legitur: מים בימים *aqvæ in maribus* i. e. marinæ, *Wasmut.* App. 2. Gram. de idiotism. p. 288. lit. γ. tamen (2.) versioni obstaret *accentuatio*: juxta Vulgatam enim in voce במים si constructi status esset, daretur *accentus conjunctivus*, sicut & in exemplis jam citatis & mediante ל, ב, מ, constructis, conjunctivus reperitur; at in לים h. e. *aqvæ*, stare deberet distinctivus *Tipcha*; jam verò contrarius est accentuum positus, qvi adeo versionem *Pagnini*: *sicut aqvæ mare operientes*, præferendam esse probat. Eidem qvoqve favet tum *Græca* τῶν LXX. ὡς ὕδωρ πολὺ καταλύψει θαλάσσας: *tum locus parallelus* Chabacc. 2. 14. כמים יכסו על ים i. e. *sicut aqvæ operient super mare*: ubi inter vocem *aqvæ* & *mare* ponitur verbum *operient*, adeoqve *aqvæ* non dicuntur *aqvæ maris*, ceu Vulgata hîc habet, sed *aqvæ* perhibentur *operire mare*. Porro (2.) sensus *Phrasios* hujus: *sicut aqvæ mare operiunt*, varié ab Interpp. exprimitur (1.) *Tigurini* ita: *sicut aqvæ maris tegunt* sc. omnia s. terram, qvam ripis perruptis inundant, qvalis inundatio prædicitur Isai. 8. 7. 8. Jer. 52. 45. Ceterum hæc explicatio nititur versione, qvæ fonti non respondet, qvalis hîc Vulgata. (2.) *Vatablus* sic interpretatur: *Sicut aqvæ operiunt mare* i. e. *superficiem maris. Sicut aliàs in scripturis magnus numerus per arenam maris solet indigitari, ita magnam extensionem cognitionis Domini hic per superficiem maris significat.* (3.) *Piscator* τὸ mare de *alveo maris* per meton. adjuncti intelligens, ita exprimit: *Sicut aqvæ operiunt alveum maris.* Qvæ duæ expositiones fonti

non

non reclamant. Tandem (4) (ut aliorũ nunc prætereamus) *Castalio*, licet non verbũ de verbo reddat, non malè tamen ita sensum verborum exprimit: *qvantis operitur aqvis mare* q. d. tam copiosè repleta est terra cognitione Domini, qvàm multis aqvis mare operitur. Ex qvibus apparet, tertium comparationis h. l. in *copia* s. *exuberantia* consistere, q. d. sicut aqvæ operientes mare s. alveum maris, copiosæ sunt, ita & cognitio Domini in N. T. erit copiosa, vel: terra in N. T. tam plena erit cognitione Domini, qvàm mare plenum est aqvâ. Proinde minùs rectè qvidem *Förslerus* in Com. h. l. p. 266. plenam Christi cognitionem depingi dicit *metaphorâ ab eluvione maris universam terram operientis*; rem ipsam tamen, qvæ per aqvam hîc significatur, rectiùs exponit. Cum enim jam (3.) qværitur, qvis *sensus* verborum *ratione ipsius rei*, per aqvam mare operientem significatæ? Förslerus respondet: *Qvibus omnibus jam olim prædictum, ea qvæ in V. T. fuerunt obscuriora & nebulis qvasi involuta, in N. T. fore illustriora & in clarissimâ meridiei luce posita. Et hac etiam causâ, ob qvam V. T. nocti & umbræ, N. autem diei & ipsi rerum imagini* (corpori) *comparatur* Rom. 13. 12. Ebr. 1. 10. Hactenus ille. Propter istam cognitionis DEI in N. T. exuberantiam, tenui illius gustui sub lege hîc tacitè oppositam (qvæ & Jer. 31. 34. prædicitur, conf. Ebr. 8. 11.) omnes in N. T. dicimur docti à DEO Joh. 6. 45. Ilai. 54. 13.

§. 6. Superest III. ut *efficaciam* qvoqve & *fructum* cognitionis hujus fiducialis h. l. prædictum, qvi est *noxæ omnis & violentiæ in monte Sanctitatis DEI cessatio*, meditationi subjiciamus. Hîc verò pariter duo essent disputanda (1.) qvid per *montem sanctitatis Domini*, in qva *cessatio* hæc *noxæ* futura dicitur, intelligatur? an *terra tantùm Israelitica*, an verò *Ecclesia N. T.* per orbem terrarum diffusa & cognitione Domini Messiæ repleta? (2.) qvid per *noxam & violentiam* s. perditionem, qvæ in

monte illo dicitur cessare, indigitetur? Verùm de *priori*, nempe *monte Sanctitatis Domini*, jam præced. disp. ad v. 6. §. 2. incidenter est actum ostensumqve, per illum montem Sanctam N. T. Ecclesiam, per orbem terrarum diffusam, intelligi, ceu patet ex adjecta hac ratione, jam exposita: *qvia repleta est terra cognitione Domini.* Igitur ad posterius sc. *noxam* & *violentiam*, qvæ in Ecclesia Christi hic prædicitur *cessatura*, qvod attinet, illa his prædicitur verbis: לֹא יָרֵעוּ וְלֹא יַשְׁחִיתוּ בְּכָל־הַר קָדְשִׁי h. e. juxta Pagninum: *non nocebunt* (Ar. Mont. malefacient) *& non perdent* (Ar. Mont. corrumpent, Vulg. occident) *in universo monte sanctitatis meæ*, Luth. Man wird nirgend letzen noch verderben auff meinem heiligen Berge. Qvæ verba qvàm non insuper sint habenda, sed rectiùs consideranda, vel inde colligitur, qvod eadem idem Jsaias noster, sine ulla mutatione, additisqve in fine vocibus: אָמַר יְהוָה i. e. *dixit Jhovah*, repetere cap. 56. ult. tanqvam *effectum contubernii luporum cum agnis*, ibidem qvoqve paucis prædicti, fuerit dignatus. Tenendum ergo paucis est, pro pagellarum, qvæ restant, ratione, non describi his verbis *statum* s. *regimen N. T. politicum*, qvasi illud sine gladii usu in N. T. sit exercendum, adeòqve noxæ & violentiæ s. perditioni belloqve, ad rebelles & prædones tam publicos qvàm privatos aliosqve, maleficos s. coercendos s. exscindendos, nullus planè in N. T. sit locus, contràqve universalis pax corporalis & universalis omnium omnino hostilitatum s. noxæ & violentiæ inter Christianos cessatio sit futura, ceu nonnulli ex hoc conjicere loco solent, qvod infrà abusus indicabit. Etenim (1.) *proprietas regni Messiæ* non est, pacem dare mundo. Contrarium potiùs ex V. & N. T. scripturis probatur: nam bella sanè corporalia & externa sub regno Messiæ futura prædicuntur tam à *Daniele* c. 7. 21. & c. 9. 2. qvàm à *Christo* ipso Matt. 26. 6. 7. 15. Neq; (2.) Evangeliũ tollit politiam, ceu A. C. Art. 16. docet: siqvi-

siqvidem Apostolus ad Rom. 13. 4. gladium magistratui contra facinorosos stringendum concedit, tantùm abest ut eripiat ejusqve usum cupiat interdictum. Deniqve (3.) *experientia* reclamat, qvæ adeo Prophetam, si hæc vaticinii mens esset, falsiloqvii argueret. Conf. Disp. 3. §. 2. ad locum paral. Isa. c. 2. 4.

§. 7. Igitur alium longè sensum verbis inesse nostris, nec *politiæ* N. T. statum; sed *Ecclesiæ* potiùs *N. T. s. regni Christi moderamen* membrorumqve sive subditorum Messiæ, luporum qvidem antea & ferociorum, nunc verò ovium mitiorum, charitatis & lenitatis studiosorum qvalitatem hîc prædici simulqve modum propagandi illius regni sine mediis omnino violentis (salvo regiminis politici regimine) futurum, subinnui oportebit. Constat hic sensus ex *contextu* & qvidem ex immediatè præced. v. 6. & seqq. ubi subditorum regni Messiæ tam convertendorum ex Jhudæis & Gentilibus qvàm conversorum status & qvalitas depingitur & innuitur, qvod qvi ante conversionem ad regnum Christi fuerunt crudeles & violenti, luporum aliorumqve brutorum ferociorum similes, non nisi odium bestiale, cædesqve & sangvinem, ingenio lupino & leonino, contra Ecclesiam & agnos Christi spirantes, per cognitionem Domini Messiæ mutari non qvoad naturam sed animos & mansvescere debeant, ita ut à parvo puero h. e. à contemto Ecclesiæ ministro se duci verboqve divino unà cum ovibus Christi sepasci patiantur. His immediato nexu noster his locus de *cessatione noxæ & violentiæ* in monte Sanctitatis Domini subjungitur, adeoq; hoc ipso *qualitas subditorum regni Messiæ* amplius describitur & *effectus mutationis* illius *animorum* indigitatur, qvod sc. iidem regni Messiæ subditi h. e. Christiani, cognitione illa Domini pollentes, non amplius odio bestiali sint indulturi & Ecclesiam persecuturi, sed à cæde & sangvine se temperaturi, neqve inter se tantùm charitati mutuæ operam daturi, commodaqve proximi, non damnum ejus promoturi; sed & consequenter, alios leones & lupos mediis mitioribus, ut gladio spiritus, sint adducturi, nec adeo in propagando Christi regno violentis noxiisqve mediis, gladio & similibus, sint usuri. Uti verò hæc *noxæ & violentiæ cessatio* est *immediatus* contubernii luporum cum agnis & mutationis animorum *effectus*, ita eadem est *mediatus* cognitionis Domini *fructus*, adeoqve *causa* vel *ratio* utriusqve & *mutationis* animorum nunc cohabitantium, & qvæ inde fluit, *cessationis* odii noxæqve bestialis, hîc allegatur *cognitio Domini*. Viva enim & fiducialis DEI & Messiæ cognitio i. e. fides salvifica non tantùm *justificat peccatorem coram DEO*, qvi *immediatus* est fidei *effectus*, qvem idem Propheta noster designat c. 53. 11. dicens: בדעתו i. e. *per scientiam sui* (i. e. per fidem) *servus meus justus multos*

tos justificabit; ex qva justificatione fluit *pax interna cum DEO* Rom. 5. 1. 2.) sed & hominem justificatum *renovat* atqve immutat, ex lupo facit agnum h. e. ex ferociori mitiorem &c. Hujus autem *mutationis* animorum s. *renovationis effectus* est bonorum operum & *charitatis studium:* qvorum qvidem prius, scil. *renovatio* s. *mutatio* mentis conversorum, videtur præced. v. 6. & seqq. sub schemate *luporum cum agnis cohabitantium*; posterius verò scil. *charitatis studium* hoc vers. 9. à remotione contrarii, sc. bestialis odii, noxæ &c. esse descriptum. Ita ergò *cognitio* DEI & Domini nostri J. C. fiducialis h. e. *fides*, per *charitatem efficax* & fructuosa est, qvod & Paulus Gal. 5. 6. & Petrus 2 Epist. c. 1. v. 2. 5. 6. 7. 8. &c. egregiè confirmant. Qvò major verò magisqve viva hæc cognitio est, eò fervidiores isthi amoris affectus aliiq; effectus deprehenduntur. Phil. 1. 9. 1 Joh. 4. 7. sicut contra defectus charitatis hujusqve contrarium sc. bestiale odium & noxa &c. ab ignorantia DEI practica oriuntur 1 Joh. 4. 8. conf. & Rom. 1. 28.

§. 8. *Usus* loci hujus Elenctico-didacticus conspicitur (1.) in qvæstione AntiPap. *an fides tantùm sit assensus verbo DEI præbitus, an verò etiam notitia?* Uti enim Isai. 53. 11. Joh. 17. 3. & alibi, ita & h. l. fides à prima parte materiali, sc. *notitia*, Synecdochicè dicitur *cognitio Domini:* cognitioni enim huic tribuitur hîc effectus tum renovationis s. mutationis luporum h. e. gentilium & Judæorum ferociorum &c. tum studii charitatis, qvod à remotione contrarii hîc describitur. Jam verò notitia nuda tantorum effectuum causa non est, uti suprà §. 4. ostensum. E. fides etiam notitia est, (2.) in qvæst. illa, *an hæretici in N. T. violentis sint mediis exscindendi iisdemqve fides more Gallicano-Papistico propaganda?* qvam nos negamus: Siqvidem h. l. prædicitur, qvod in *Ecclesia N. T. cessare debeat noxa & violentia* h. e. subditi regni Messiæ, facti ex lupis agni, non tantùm inter se charitatis futuri sint studiosissimi & à bestiali odio & cæde se temperaturi, sed & conseqventer alios leones luposqve non gladio nocente & perdente, sed mitioribus mediis adducturi. *Bellarminus* qvidem *bella, arma minasqve* cum Sociis contra nos spirans l. 3. de Laic. c. 22. arg. 5. ad nostrum hoc argumentum ita respondet: *non prædici hîc, qvod catholici non debeant occidere lupos i. e. hæreticos; sed potiùs contrà, qvod lupi s. hæretici non occisuri sint agnos h. e. catholicos, sed pacificè cum his victuri.* Sed regerimus (1.) Interpretatio hæc est depravatio loci, ceu ex præced. Disp. constat. (2.) qvomodo oves vim corporalem inferent lupis? (3.) generalis est loci hujus sententia tam de lupis qvàm ovibus prædicens, qvod non nocituri nec perdituri sint &c. Qvi ergo gladio delectantur nocente & perdente (extra Magistratus politici officium) certè ab indole conversorum ad regnum Christi planè sunt alieni. De *Abusu* hujus & præced. loci proximè in præfatione.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0380
DFG

Ad Eximium DN. STAVENHAGEN,

Conterraneum & Auditorem in Collegiis Theol. & Philolog. dilectissimum,
Jam in Collegio qvoqve publico Isaiano
Ex ISAI. XI. 9.
promtissimè Respondendo, industriæ specimen editurum.

INtima dum studii pandis penetralia sacri,
Monstrans, qvid fluat ex *cognitione* DEI,
Ecce Tibi nomen plaudens, sic exprimit omen,
Ut jurans † *gnavum* Te notet esse Virum.
Congrator Cœlumqve precor, Tua prosperet ausa,
Ut videas studii commoda magna Tui.
De qvibus haut dubita, cœptis si *gnaviter* instes,
Jugiter ut crescas *cognitione* sacrâ.
Cognitio stimulet studium: Constantia *gnavo*
Egregias laudes remqve decusqve paret!

† STAVENHAGENIUS:
Anagr. asp. exsp.
NAE GNAVUS ISTE!

LMq.

A. D. HABICHHORST, D.

Eximio Dom. Respondenti.

SUmmum nosse DEUM summæ sapientiæ origo est,
Et summæ simul hoc est pietatis opus.
Hunc verbi ductu Divini noscis, AMICE,
Sic pariter sapiens redderis atqve pius.

benevolentissimæ grat. c. ser.

JO. FECHT, D. P. Superint.
& Cons. Adj.

ESse DEUM Scriptura docet, Naturaqve monstrat;
Illa tamen solùm verba salutis habet.
Quæ studio dum ferventi lustrare laboras,
Certè non operam perdis, Amice, tuam.

Præstantissimo Dn. Respondenti
Auditori suo in Colleg. Philosophicis industrio
LMq; apposuit

M. GOTHOFR. Weiß/ P. P.

TEmpus adest, varium qvo versutissimus angvis
Ostendit virus, vipereoqvè dolos.
Impia fanatico spargit sua dogmata nisu
Atqve creat sancto mille pericla gregi.
Nec veram fidei corrumpere Apostata normam,
Nec varios falsâ spargere mente logos,

Nec

Nec contra veros, falsos' animare veretur
Fratres, hæreticos fronte feroce viros!
Qvi nisi NOTICIâ summi sternantur IöVÆ,
Hem! dolor, in pessum mox bona cuncta ruant!
Hoc STAVENHAGENI primo conamine tentas,
Noticiâqve DEI sternere pestiferos,
Publica Theiologo dum Præside pulpita scandis,
Et multùm studiis Te invigilasse probas.
Gratulor ex animo, Doctis sic perge placere,
Notitiâqve DEI commoda multa feres.

l. máq; scripsit
M. JOHANNES MAURICIUS POLTZIUS,
ad S. Johannis Pastor.

C*Cognitio* DOMINI, qvâ CHRISTI tempore terra
Plena viret, studii est summa sat apta Tui.
Conatum celebro! faxit clementia Cœli,
Cognitio pariat commoda grata Tibi!

Præstantiss. Dn. Respondenti, Amico singulariter dilecto gratulab. scrib.
M. JACOBUS Burgmann/
Sch. Rost. ConR.

NUn sieht man wie bißher durch dich schon wird gezieret
Der edle **Rosen-Stock**/ der theure Früchte trägt/
Die du schon zimlich hast/ **mein Freund**/ hier auch gespüret/
Zeither er dich zur Lust auff seinem Stamm gehägt.
Die Proben solcher Frucht wirstu uns nunmehr zeigen/
Nachdem du manchen Tag/ ja manche schwartze Nacht/
Umb des Parnassus Spitz nach Wunsche zu ersteigen/
In unverdroßnem Fleiß mit Ruhme zugebracht.
Wolan! fahr also fort/ laß deinen Fleiß nicht fallen/
Daß dein' **Erkäntniß** mag in voller Blühte stehn/
Es läst das Musen Chor dir diesen Wunsch nachschallen:
Auff solches Thun muß dir des Glückes Schein nachgehn!

Mit diesen wenigen Zeilen hat seinem liebwehrtesten Freunde seine Liebe bezeugen wollen
MARTINUS COLTZIUS, SS. Theol. Stud.

ES ist ein **Wunderstück**/ wenn man es recht bedenckt/
Daß sein **Erkäntniß** hat mit überfluß geschenckt
Der **Heiland** dieser Welt! Ich wünsche Krafft und Glück/
Da Er/ **mein Freund**/ uns hier erklärt das Wunderstück.

JOH. MEHNER, March.
S. S. Theol. Stud.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0382
DFG

PARTIS PRIMÆ
ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO EXEGETICA XXIII. & ULT.
De

RADICE JISCHAI,

IN SIGNUM POPULORUM
AD ILLAM CONCURSURORUM STANTE,
EJUSQVE
REQVIE SUMME GLORIOSA,
UT ET De
FONTIBUS SALUTIS
EX QVIBUS AQVÆ CUM GAUDIO HAURIUNTUR,
Ex JSAI. XI. 10. & c. XII. 3.

Qvam
Auxilio DEI-Hominis & Ven. FCtis THEOL. consensu,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO,
Doctore & Professore Theologo Ordinario,
Consistoriiqve Duc. Mekelb. Assessore ac Collegii
Professorum Ducalium Seniore,

ad d. 30. Apr. A. C. 1692. in Aud. Majori inclutæ Universitatis Rostoch.
ad placidam sententiarum collationem proponit

JOHANNES VORAST, Malch. Mekelb.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat. Typogr.

Dupl

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0383
DFG

INCLUTÆ REGIÆQVE CIVITATIS

WISMARIÆ

DOMINI

CONSULES

GRAVISSIMI & MERITISSIMI,

VIRI

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi & Prudentissimi,

DN. JOACHIME PARISI, DN. JOACHIME LEHMANNE, DN. JOHANNES OLDENBURGI, JCte

& SYNDICE simul florentissime,

Musarum Patroni benignissimi & celebratissimi, Domini mei observandissimi,

Qvæ splendidissimis Nominibus Vestris Pagella Theol.

In signum devotissimæ observantiæ simul ac gratitudinis,
pro beneficiis in Schola Wism. sub patrocinio
vestro florente non ita pridem acceptis,
Inqve mei studiorumqve commendationem
obsequiosè inscribo & consecro,
fronte benignâ accipere dignemini,
inqve Radice Jessæa JESU NAZARENO radicati,
& ex inexhaustis fontibus salutis omnigenâ salute,
consiliorum prosperitate vitæq; longævitate beati,
feliciter Valete!
qvod ardentissimis precor suspiriis

JO. VORAST, Resp.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0384
DFG

SUPPLEMENTUM DISPP. PRÆCEDENTIUM
exhibens
ABUSUM LOCORUM JSA. XI. 6. 7. 8. & 9.
quem
pagellarum angustia nuper exclusit.

A *Busus* loci de *mirabili luporum cum agnis contubernio* v. 6. seqq. conspicitur (1.) apud *Jhudæos*, ita ex h. l. arguentes: *Tempore Messiæ lupi ceteræque bestiæ habitabunt cum agnis propriè dictis*; cum verò id nondum fuerit impletum, qvis credat, *Messiam jam venisse & JEsum Nazarenum esse verum Messiam?* (2.) apud *Hieronymum* in Isai. 11. (cujus ceteroqvi interpretationem ad hunc ipsum de mirabili contubernio locum §. 3. decenter laudavimus) dum ex h. l. concludit, *non omnem scripturæ locum admittere sensum literalem, qvia præsens illum non admittit, cum falsum juxta literam sit, lupum cum agnis esse habitaturum.* Sed Resp. 1. *Jhudæis*, perperam illos verba loci v. 6. & seqq. propriè & corporaliter juxta literam de lupis agnisqve brutis & similibus accipere, & mutationem naturæ brutorum hîc subintelligere, cum impropriè s. figuratè & spiritualiter sint accipienda, & mutatio animorum hactenus ferocium & dissidentium subintelligenda, ceu pluribus in ipsa Disp. 21. ad h. l. §. 2. & seqq. est ostensum. Resp. (2.) *Hieronymo*, minimè illud, sed hoc tantùm ex genuina loci hujus interpretatione concludi posse, qvod *non omnis scriptura locus admittat sensum literalem Grammaticum s. proprium s. strictè dictum*, qvi scil. ex verbis oritur in propria & nativa significatione juxta intentionem Spiritus S. acceptis, & talem h. l. non dandum esse ex dicta jam disp. §. 2. & 4. patescit. Præter illum enim datur qvoqve *literalis sensus Rhetoricus s. figuratus s. latè dictus*, qvi proximè intenditur à Spiritu S. verbis impropriè acceptis, qvalis h. l. dandus.

§. 2. Deinde *Abusus* loci de *cognitionis Domini effectu* sc. *noxæ omnis & violentiæ in Ecclesia N. T. cessatione*, Isai. XI. 9. conspicitur tum apud *Socinianos*, tum ap. *Anabaptistas*, ex h. l. arguentes, *Magistratui in N. T. non licere* 1. *contra facinorosos gladium stringere*, nec 2. *bella gerere*, cum juxta h. l. nemo in universa Christi Ecclesia alteri sit nociturus, sive gladio nocente s. perdente usurus. Sed Resp. ex Disp. præced. 22. ad h. l. §. 6. & 7. ad (1.) hîc non agi de *statu regiminis politici*, in qvo certè Apostolus Magistratui gladium contra facinorosos concedit, Rom. 13. 4. sed de *statu Ecclesiastico* & qvalitate subditorum regni Messiæ, qvi qvatenus sunt Christiani, ex lupis facti oves Christi, à bestiali noxa & cæde sunt alieni. Ad (2.) hîc prohiberi qvidem violenta media in propagando Messiæ regno, & prædici Christianos, *qvà tales*, iis non esse usuros ad nocendum & perdendum; inde verò non seqvitur, militiam simpliciter esse interdictam & qvidem Christianis qvatenus sunt vel Magistratus, vel subditi à magistratu ad bellum vocati licitum, contra invasores s. prædones & latrones publicos gerendum.

LOC. V. ISAI. XI. 10.

De

Radice Jischai, in signum populorum ad illam concursurorum stante, ejusqve requie summè gloriosa.

POst singularem illam animorum antea diffidentium consensionem, sub regno Messiæ conspicuam, & sub schemate *mirabilis contubernii luporum cum agnis* notanter insinuatam, & à *plenitudine cognitionis Dômini Messiæ* excitatam, simulqve singulari *effectu cessationis noxæ & violentiæ in Ecclesia N. T.* illustratam (qvæ præcedentium proximè Dissertationum argumenta fuerunt) immediatè Propheta noster ad descriptionem *dilatationis regni Messiæ, ad gentes perferendi*, procedit,

dit, ut causam dicti jam mirabilis contubernii luporum cum agnis (qvam certè simul vocationem esse gentium per Messiam, ad cujus personam hîc redit, innuere videtur) ulteriùs declaret, his qvidem verbis (juxta versionem Pagnini): *Et erit in die illo, Radix Jischai, qvæ stabit in vexillum populorum, illam gentes qværent, & erit requies ejus gloria.* In qvibus cum Messias nomine *Radicis Jischai* nobis sistatur, qvem hactenus Prophetа sub initiũ capitis appellaverat *Nezer* s. *Surculum ex Radicibus Jischai*, qvæ appellationes sibi contravenire videntur, prætereaq; tanti hunc locũ Spiritus S. fecerit, ut ipsum in materia de *vocatione gentium* ad Rom. 15. 12. allegaverit, non abs re fuerit, illum met paulò enixius & juxtâ nobis methodo considerare.

§. 2. Pro *sensu* ejus perveſtigando, *tria* hîc evolvere oportebit 1. *Temporis momentum*, ad qvod vaticinium hoc de *Radice Jischai* respicit, (2.) vaticinii *subjectum*, qvod dicitur *Radix Jischai, stans in signum populorum* (3.) *prædicatum geminum* sc. tum *gentium concursus*, tum *requies gloriosa*. *Primum* qvidem scil. *temporis momentum*, initialibus his notatur verbis: והיה ביום ההוא i. e. *Erit* (etiam erit) *in die illo s. illo ipso tempore* (qvæ verba per accentum Regem *Sakephkatonum*, qvi habetur in ההוא i. e. *illo ipso*, à seqq. distingvuntur, adeoqve sic legi non possunt: *& erit in die illo Radicis Jischai i. e. Messiæ*, prout statuit *Musculus* in Comment. h. l. p. 218. sed propter accentum jam dictum in ההוא cujus potestatem is fortè cognitam non habuit, lectio in verbis initialibus: *etiam erit in die illo ipso*, paulisper est sistenda) verùm non est, qvod de *temporis momento* prolixè commentemur & qvæstiones operosè formemus, cum citata jam verba digito qvasi indice significent, qvorsum respiciant, sc. ad idem illud tempus, ad eosdem ipsos dies, qvibus juxta præcedentes hujus capitis versus *terra per prædicationem Evangelii, cognitione Domini Messiæ*

est repleta, qvibus *lupi cum agnis & pardi cum hædis cohabitarunt*, qvibus *puer parvus vitulos ac leones & pingve pecus unà duxit*, qvibus *ex radicibus Jischai surculus Messias est egressus, superqve illo* immensâ unctione *Spiritus Domini requievit.* &c. Hæc verò omnia erant futura *in diebus* Messiæ; qvanqvam si *Grotium*, insignem Prophetiæ hujus depravatorem, interrogaverimus, is contrà responsurus est, hæc initialia loci verba non Messiæ sed *Chiskiæ tempora* respicere: Siqvidem ille non tantùm per *Surculum* istum, *ex radicibus Jischai* processurum & præced. v. 1. nominatum, sed & per hanc *Radicem Jischai*, qvæ *in signum stare populorum* hîc dicitur, perperam intelligit *Chiskiam* dicens, *ad hunc futurum fuisse magnum gentium concursum & multorum ex Israelitis decem tribuum, qvi ad incursus Tiglath Phalassaris & Salmanassaris in varias se terras receperant, qvorum reversio & cum Chiskia armorum viriumq; conjunctio ac vicinorum hostium debellatio* describatur v. 11. & seqq. Cui tamen obstant (1.) *prædicata* longè magnificentiora, qvàm ut Chiskiæ qveant convenire (2.) *sententia priscæ Jhudæorum Scholæ*, qvam *Targum Jonathæ* exponit, dum non tantùm suprà v. 1. *Surculum ex radicibus Jischai* interpretatur *Regem de filiis Jischai & Messiam de filiis filiorum ejus*: sed & h. l. *Radicem Jischai* reddit per *filium filiorum Jischai*, adeoqve eundem Regem Messiam qvem & v. 1. dixerat *filium filiorum Jischai*, intelligit, cui suffragatur *Raschi* cum aliis qvibusdam Rabbinis (3.) *historia*, qvæ nihil de tanta fugitivorum reversione ad Chiskiam & armorum cum eodem consociatione consignavit (4.) *allegatio Paulina* ad Rom. 15. 12. qvæ locum hunc de vocatione gentium per Christum interpretatur. Proinde relicto *temporis momento* sine ambagibus ad primaria statim capita, sc. ad *subjectum* & *prædicata* loci consideranda procedemus.

§. 3. Ad II. ergo sc. *subjectum* vaticinii, his descriptum ver-

verbis: שרש ישי אשר עמד לנס עמים i.e. *Radix Jischai, qvæ stat in signum* (vexillum) *populorum*, qvod attinet, *qvatuor* potissimùm disputantur, 1. qværitur, qvodnam sit h. l. *prædicationis subjectum?* an *Radix Jischai*, an vero *gentes reqvirentes?* (2.) an *Radix Jischai* hîc se habeat *ut terminus absolutus* s. ut nominativus absolutè positus? an verò habeat *rationem termini respectivi*, vel ad aliud referatur, ita ut *Nezer* s. *surculus* intelligatur *hujus Radicis Jischai* insistens vel *de radice* hac egrediens? (3.) qvo sensu Messias hîc dicatur *Radix Jischai?* annon hoc nomine contradicatur versui 1. præced. ubi is dicebatur *Surculus* ex *Radicibus Jischai?* vel an nomen שרש alias *radicem* notans, hîc pro *surculo abusivè* sumatur, qvi ex radice pullulat, ita ut hoc nomen coincidat cum nomine præcedentis versus primi? (4.) qvid sibi velit *descriptio Radicis* hujus, qva dicitur illa *stans in signum* populorum? Ad (1.) qvæstionem, an *Radix Jischai*, an verò *gentes reqvirentes* sint prædicationis subjectum? *Junius* qvidem ac *Tremellius* videntur respondere affirmando posterius, dum ita prius loci membrum vertunt: *Erit etiam tempore illo, ut ad eum, qvi è radice Jischai stabit in signum populorum, gentes consulturæ veniant*; clariùs tamen id *Batavi* in versione sua exprimunt: De Heydenen sullen na den Wortel Isai/ de staen sal tot een Baniere der Volcker/ vragen. Cetertum qvid opus est in prædicato demum qværere subjectum vel nominativum, cum is in initio statim appareat? Non enim in fonte sic legitur, prout Batavi voces reddiderunt: גוים אל ידרשו שרש ישי שהוא עמד לנס עמים i. e. *gentes radicem Jischai, qvæ stabit in signum populorum, reqvirent*; sed h. m. והיה ביום ההוא שרש ישי אשר עמד לנס עמים אליו גוים ידרשו qvæ, qvo minùs (salvis tamen paulò pòst dicendis) sic resolvantur: *Erit etiam in die illo ipso, Radix Jischai, qvæ stat in signum populorum* (sc. est illa) *qvam gentes consulent*, qvid

obstet non videmus. Ex hac a. resolutione, qvæ ex ipso fluit fonte patescit, subjectum s. nominativum non demum in prædicato esse qværendum, sed ab initio statim dandum, adeoqve *Radicem Jischai* subjectum prædicationis hîc esse. Suffragatur *B. Varenius* in Comment. h. l. p. 337. Qvod ut magis eluceſcat, attendendum hîc erit ad distinctiones vocum, qvas nobis accentus in fonte signarunt & qvæstio seqvens revelabit.

§. 4. Qværitur enim (2.) an *Radix Jischai* hîc se habeat ut *terminus absolutus* s. ut nominativus absolutè positus, ita ut, qvi præced. versu 1. dicebatur *Nezer s. Surculus è radicibus Jischai*, hic jam dicatur *ipsa Radix Jischai?* an verò habeat *rationem termini respectivi*, & ad aliud referatur, ita ut *Nezer* ille intelligatur *huic Radici Jischai insistens* vel *de radice* hac egrediens? Posteriorem certè interpretationem amplectuntur *Junius* & *Tremellius*, in versione qvam paulò ante jam vidimus, qvæqve sic habebat: *erit etiam tempore illo, ut ad eum*, QVI è RADICE JISCHAI STABIT *in signum populorum, gentes consulturæ veniant.* Alius juxta *Polum* in Synops. Crit. h. l. ita: *Qvi egreditur de radice Jischai, qvi stabit* &c. Nos verò Radicem Jischai hîc rationem termini habere non respectivi sed *absoluti* censemus. Nam (1.) nullum hîc *affixum* pronominale, qvod ad hanc Radicem Jischai respiciat e. c. אשר עמד לו לנס עמים h. e. *qvi stabit in illa in signum populorum*, nec *præfixum* qvod *de* vel *è* significet e. c. משרש *è radice*, in fonte apparet; sed *absolutè* & in casu recto dicitur שרש ישי h. e. *Radix Jischai* (2.) similiter versio LXX. & ex eadem Apostolus Rom. 15. 12. absolutè & in casu recto reddunt: ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ i. e. *radix Jesse*; qvomodo & *Lutherus* tam hîc qvam illic in Nominativo vertit: Die Wurtzel Jesse. (3.) Sicut h. l. *Radix Jischai*, ita & alibi absolutè vocatur ἡ ῥίζα Δαβὶδ, i. e. *radix Davidis*, vid. Apoc. 5. 5. c. 22. 16. (4.) Accentus Dux *Rbbia* in voce *Jischai* absolutum & emphaticum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0390
DFG

ticum arguit *Radicis* hujus *Jischai* positum, siqvidem per illum-met accentũ *Radix Jischai* in sensu diviso à prædicato ponitur, h. m. *Radix Jischai, qvæ stat in signum populorum, eam gentes reqvirent.* Sufficisset dicere: *Radicem Jischai, qvæ stat in signum populorum, gentes reqvirent*; Verùm ut positus magis esset emphaticus, hîc *Radix Jischai* ut Nominativus & subjectum enunciationis absolutè se habet & per accentum Rbhia, (ceu dictum) in sensu diviso à prædicato ponitur, qvod in scripturis non infreqvens est, ceu loca jam citanda probabunt, in qvibus adeo Nominativus, absolutè & ut subjectum prædicationis in sensu diviso à prædicato positus, per *qvod attinet* explicandus est. e. c. Ps. 57. 5. בני־אדם שניהם חנית וחציהם h. e. *Filii hominis*, (hic idem accentus Dux Rbhia) *dentes ipsorum sunt hasta & sagitta.* q. d. homines qvod attinet, dentes ipsorum sunt hastæ &c. Sic Ps. 11. 4. יהוה בשמים כסאו i. e. *Dominus, in cœlis sedes ejus.* Hos. 12. 7. *Mercator, in manus ejus sunt bilances doli.* Hos. 9. 11. *Ephraim, ut avis avolat gloria illorum* &c. Conf. *Wasmut. Gramm.* in App. 2. de idiotism. p. 289. Ejusdem *Instit. Accent.* p. 55. 56. item *Vindic.* part. 2. c. 1. p. 223. Unde & locus noster juxta hanc regulam vi accentuationis ita est explicandus: *Et erit in die illo*, qvod ad *Radicem Jischai* attinet, *qvæ stabit in signum populorum, illam gentes consulent.* Similiter Piscator exponit: *Nam fiet tempore illo, qvod ad radicem Jischai attinet, qvæ stabit in vexillum populorum, fiet in qvam, ut eam gentes consulant.*

§. 5. Distinctis sic juxta fontem verbis, & probato *Radicem Jischai* hîc rationem *termini* habere *absoluti*, jam ulteriùs & (3.) qværitur, qvoniam per *Radicem Jischai* non *Patres*, unde Jischai prognatus est, sed *Messias* intelligitur (uti *Musculus* in Comment. h. l. p. 218. rectè loqvitur) *qvo ergo sensu Messias dicatur Radix Jischai?* & annon hoc nomine contradicatur versui

1. præ-

1. præced. ubi is *surculus ex radicibus Jischai* dicebatur? vel, an nomen שרש aliàs radicem notans, *abusivè* hîc pro surculo sumatur, qvi ex radice pullulat, ita ut hoc nomen coincidat cum nomine præcedentis versus primi? *Sanctius* hîc: *mirum est*, inqvit, *Christum radicem Jischai dici, cum antè ejus germen vel virga ex radicibus Jischai dicatur.* Ceterùm mirari disinet, qvi genuinum hujus nominis sensum, jàm in seqq. exponendum, percipiet. Lubet tamen aliorum priùs sententias audire. Qvidam enim distinctum hoc nomen statuunt à nomine præcedentis versus 1. & Christum hîc vocari *radicem Jischai* propter *divinitatem* ejus, uti præced. 1. dicebatur *virga* s. *surculus ex radicibus Jischai* propter humanitatem. Qvam verò sententiam *Anglicanæ annotationes* his refutare verbis conantur: *Verùm Christus hic non consideratur tanqvam radix fideles portans, uti* Rom. 11. 17. *sed tanqvam radix ex Isai.* v. 1. Alii ergo ut *Anglic. Sanctius, Forer. Bootius* &c. nomen שרש qvod aliàs *radicem* notat, *abusivè* hîc accipi putant pro *surculo*, qvi ex radice pullulat, ut h. l. *radix Jischai & surculus ex radicibus Jischai* idem fuerit nomen, idqve probat *Bootius* in animadv. sacr. 1. 5. 5. 36. (1.) ex præced. v. 1. tanqvam contextu (2.) ex alio Isaiæ loco sc. c. 53. 2. qvi sic habet: ויעל כיונק לפניו וכשרש מארץ ציה h. e. *& adscendet ceu virgultum coram ipsò & sicut radix ex terra arida*, ubi vocem שרש non pro *radice* sed *abusivè* pro surculo s. virgulto sumi contendunt, addita ratione (α) nam si שרש notaret ibi radicem, non dixisset Propheta כשרש מארץ h. e. *sicut radix ex* terra adscendit: cum radices è terra non prodire sed intra terram delitescere soleant; sed dixisset בארץ in terra (β) cum eodem loco commata sint ἀντίστιχα & sententia geminata, שרש respondet יונק qvod *stolonem* vel plantam significat, adeoqve & שרש h. e. radix, abusivè pro planta s. surculo sumitur (3.) probant id ex Hos. 14. 10. ubi dicitur: *germinabit*

nabit ſicut lilium & erumpet radix ejus. Suffragatur his *Calvinus* Comment. in Iſai. h. l. p. 111. & ex eo *Marloratus* Comment. in Iſai. h. l. p. 109. a. dicentes, *Prophetam hic eandem ſimilitudinem repetere, qvam pro initio capitis aſſumſerat, radicis ſcil. vel ſurculi ex mutilo trunco prodeuntis.* Conſentit & *Kimchius*, cui נצר משרש ישי idem qvod שרש ישי cenſetur. Ceterùm de his qvid habendum ſit, ex dicendis patebit. Sciendum ergo vocem שרש ſeu ῥίζα h. e. *radix* (per qvam ῥᾶ τὴν ζωὴν h. e. *fluit vita*: radix enim eſt os plantæ, per qvod alimentum attrahit) variè ſumi: Præterqvam enim qvod *in ſenſu proprio* notat *arboris* vel *herbæ extremitatem*, qvæ inferne nempe in terra eſt, Amos 1. 9. Job. 14. 8. Iſai. 37. 31. c. 40. 24. (1.) *metaphoricè* & *activè* ſumitur *radix* pro *origine* & *cauſa* rei. Sic *avaritia* dicitur *radix* i. e. cauſa & origo, *omnium malorum* 1 Tim. 6. 10. & *Seductor falſus & Doctor* vocatur radix *proferens fel & abſinthium* Deut. 29. 18. ad qvem locum alludere videtur Apoſt. ad Ebr. 12. 15. Porro cum creſcentes plantæ radicem ex ſe in terram (uti ramos ſurſum) projiciant, hinc eadem vox (2.) *metonymicè* & *paſſivè* ſumta aliqvando ipſum notat *effectum* ſ. *conſeqvens* rei ſ. *ſtirpem* aut *genus poſt aliqvem relictum.* Sic Iſai. 11. 1. *radices Jiſchai*, ex qvibus Nezer ſ. ſurculus h. e. Meſſias dicitur oriundus, ſignificant *ſtirpem* ſ. *genus* Jiſchai: non enim immediatè ex Jiſchai ſ. Davide, ſed ex ſtirpe ſive poſteris ejus, qvi *radices* ibi vocantur, Nezer ſ. ſurculus eſt egreſſus & natus. Sic Iſai. 14. 29. Tandem etiam (3.) ſub eadem ſignificatione *ſtirpis* nonnunqvã *comparativè*, reſpectu *prærogativæ*, *radix* accipitur pro *præcipuo qvodam ex ſtirpe*, qvi qvaſi *radix totius ſtirpis & familiæ*, ex qvo & poſt qvem qvi naſcuntur inſtar ramorum ſe habent. Sic 1 Maccab. 1 11. *Antiochus* dicitur *radix peccatrix.* Et Rom. 11. 16. Patriarchæ *Abraham* &c. ex qvibus populus Iſraeliticus eſt prognatus & qvibuscum DEUS pepegit fœdus, dicuntur *ra-*

dix Jhudæorum. Qvo & referri possunt loca Isai. 14. 30. Malach. 4. 1. Ex his collectu jam proclive est, qva ratione Messias h. l. *Radix Jischai*, & Apoc. 5. 5. c. 22. 16. *Radix Davidis* appelletur. Scilicet (1.) *metaphoricè* & activè (2.) *metonymicè* & passive (3.) *comparativè* respectu prærogativæ; qvod infrà in *usu* & *applicatione* loci ad Dominum nostrum *Jesum Nazarenũ* deducetur.

§. 6. Post *nomen Radix Jischai*, sic à depravationibus liberatum, videnda (4.) etiam *descriptio subjecti* hujus, nempe Radicis Jischai, erit: אשר עומד לנס עמים i. e. *qvæ stat in signum populorum*. Circa qvam qværitur (1.) an *populi* respectu signi se habeant *activè*, ut illi sint elevantes signum; an verò *passivè*, ut Radix jam posita in signum objiciatur populis? (2.) *qvid sit stare in signum?* (3.) *Annon LXX. & hos seqvens Apostolus* Rom. 15. 12. in allegatione loci hujus, *à fonte discrepent?* Ad qvæst. (1.) respondet *Raschi*, affirmando prius, dum verba loci לנס עמים i. e. *in signum populorum*, ita resolvit: להיות עמים מרומים נס להקבץ אליו h. e. *ut sint populi elevantes signum, qvo congregentur ad illum*. At verò violentam hanc resolutionem ipse vocum positus: *stans in signum populorum*, non patitur, sed eandem potius depravationis arguit. Ad qvæst. (2.) resp. *metaphoram* qvidem subesse, à *signis militaribus* desumtam, ad qvæ milites undiqvaqve catervatim accurrunt, & qvorum usus est antiqvissimus, siqvidem ab ipso DEO unà cum castrorum ordinatione in sanctiori Israelitarum Republ. præscriptus & Num. c. 1. & 2. ut & c. 10. v. 14. 22. 25. descriptus: ibi enim qvatuor magnorum castrorum totidemqve vexillorum in illis Israelitarum castris ad 4. orbis plagas explicandorum mentio habetur. *Signa* qvoqve s. *figuras* in illis 4. vexillis fuisse probabile est ex Num. 2. 2. qvalia verò fuerint, definiri neqvit; licet Ebræi veteres illa definire & certas imagines literasqve in vexillis (qvas recenset *B. Varen.* in Comm. h. l. p. 340.) definire non dubitarint.

Non

Non tamen signum populorum h. l. videtur concipiendum esse, uti נֵס i. *vexillum* in dictis jam Israelitarum castris Num. 2. quæ habuerunt se ut panni ad perticam volantes, sed ut qvondam serpens in summitate perticæ in deserto exaltatus, Num. 21. 8. 9. cum Radix hic dicatur stare h. e. erecta esse in signum, uti censet *B. Varen.* l. c. Stetisse verò hoc signum non tantum in *exaltatione crucis*, sed & cumprimis in *exaltatione majestatis & promulgatione Evangelii* & adhuc stare per *prædicationem Evangelii, hoc* qvidem *fine*, ut populi ad illud confluant & seqvantur omnes, uti hic loqvitur *Musculus* l. c. infrà ad *usum* loci & *applicationem* dicetur, & ex immediate seqq. verbis mox elucidandis: *illam gentes requirent*, patebit. Ad (3.) Resp. LXX. & Apostolum, qvi Rom. 15. 12. Græcam עמד LXX. versionem per ἐνκατάβασιν s. condescensionem (conf. suprà Disp. 16. ad Isai. 10. 22. 23. §. 10.) allegat, reddendo verba per: ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν i. e. *& qvi resurget ad imperandum gentibus*, sensum magis qvàm verba spectare. Scilicet verbum עמד qvod *stare* significat, acceperunt in significatione *surgendi*, & vocem נס i. e. *signum*, in sensu *elevationis*, qvoniam verbum ejus נסס significat *elevare*, & per *elevationem* s. *exaltationem* significari *principatum* censuerunt. Officium enim Christi regium hîc designatur: nam vexillum superioritatis & Dominii signum est, vid. *Glass. Rhet.* S. 1. 7. 161. Dominatur is sceptro verbi, in cordibus fidelium, dominatur in medio inimicorum Psal. 110. 2. Tantùm de subjecto ejusqve descriptione.

§. 7. Seqvitur III. *Prædicatum* idemqve geminum. Et prius qvidem sc. *consilium & confluxus gentium* proponitur verbis אֵלָיו גּוֹיִם יִדְרֹשׁוּ qvæ Vulg. reddit: *ipsum gentes deprecabuntur*. Pagninus: *illam* (Ar. Mont. ad illam) *gentes qværent*: Luth. nach der werden die Heiden fragen. LXX. & Apostolus ad Rom. 15. 12. ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν h. e. juxta Luth. auff den werden die Heiden hoffen. Piscator: *Eum gentes consulent*. Jun. & Tremell. *ad eum gentes consulturæ venient* &c. Qværitur ergo (1.) *qvænam ex versionibus præstet?* (2.) *qvomodo LXX. & Apostolus ad Rom. 15. 12. eosdem secutus cum fonte hic conveniant?* (3.) *qvid qvoad rem his verbis innuatur?* Ad (1.) resp. verbum qvidem Ebr. דרשׁ qvando Accusativum s. absolutè s. per particulam אֵת regit, obtinere significationem *qværendi solicitè*, vel *inqvirendi religiosè verum DEUM*, conf. 2. Chron. 12. 14. c. 15. 2. 4. c. 19. 3. c. 20. 3. c. 22. 9. &c. qvando autem cum præpositione אֶל *ad*, uti h. l. construitur, habere significationem *consulendi, consilium requirendi* & de consulendis non tantum oraculis & Magis, sed & de DEO adhiberi, ceu patet ex loco Isai. 8. 19. *Cum dixerint ad vos*, דִּרְשׁוּ אֶל הָאֹבוֹת

האבות ואל הידעונים i.e. *Consulite Pythones* (ap. Pythones) & *Magos*, (tunc respondete) הלא עם אל אלהיו ידרש i. e. *annon populus DEUM suum consulturus esset?* De qvo loco vid. supr. Disp. nostra X. Isai. ad l. c. conf. & Isai. 19. 3. Deut. 18. 11. Observarunt hoc versiones *Piscatoris* & *Jun. Trem.* paulò ante citatæ. *Bootius* qvoqve in animadv. sacris l. c. laudat qvidem hanc observationem; sed tamen mavult phrasin accipere, uti sumitur Deut. 12. 5. ubi censente ipso non significat *qværere*, sed *tendere, aut se conferre*, cum dicitur: *locum, qvem elegerit Dominus DEUS vester*, תדרשו i. e. *petitote* s. *ad eum tendite*: Et hunc sensum, dicit, expressisse *Musculum* & *Jun. Tremell.* ut & *Forerium*: *Musculus* enim habet: *qværent gentes ut ad eum veniant*, qvod in Comment. h. l. p. 219. h. m. exponit: *qværent & contendent ad illud* (signum) *omnes gentes turmatim, ut in bello confluentes. Junius* verò ita: *ad eum gentes consulturæ venient. Forerius* deniqve sic: *spe qvadam conceptâ conferent se ad illum pro consilio & auxilio.* Et licet Autores illi (pergit idem *Bootius*) diversas phraseos significationes confundant atq; in unum confient; genuinum tamen verbi sensum illos addumbrare. *Cui subscriberemus*, si l. c. Deut. 12. eadem phrasis qvæ h. l. haberetur; Cum verò ibid. verbum qvæstionis absolutè & sine præpositione אל construatur & præterea verbo illi תדרשו immediatè hæc subjungantur: ובאתם שמה *& venies illuc*, nil obstat qvo minùs significationem *consulendi*, vel *requirendi consulendo* præferamus. Interim tamen cum consulturi conferre se ad illum soleant, qvi consulendus est, hinc non malè à citatis Autoribus *Musc. Jun. Trem. Forer.* (addo *Calvin.*) significationi *consulendi* additur alia *veniendi, concurrendi, confugiendi*, h. m. *ad illam gentes consulturæ occurrent*, vel: *ad illam gentes salutis* s. *consilii petendi gratiâ confugient.* Ad (2.) Resp. Cum τὸ requirere vel consulere qvendam, *spem certam auxilii* præsupponat: Vel, uti *Calvinus* p. 112. & ex eò *Marloratus* in Comment. h. l. p. 109. loqvuntur, *qværere DEUM in scripturis passim tantundem valeat ac omnes spes in illum suas conferre*, hinc Græci, qvos seqvitur Apostolus in allegatione loci Rom. 15. 12. verba qvæstionis non malè verterunt per: ἐπ' αὐτῷ ἐλπιοῦσιν Luth. auff den werden sie hoffen. Qvibus præmissis, responsio ad (3.) qvoqve est in promtu: scil. *qvoad rem* his verbis prædici mirabilem *Radicis Jischai, in signum populorum erecti* s. prædicationis Evangelii *effectum*, sc. *copiosam gentium conversionem ad Christum.* Conf. Rom. 15. 12. & Gen. 49. 10. ubi idem prædicatur de *Schiloh*, cum dicitur: ולו יקהת עמים i.e. *ipsi erit subactio populorum* s. ipse ferociores omnino populos, lupos, pardos, leones, ursas faciet mitiores suoqve subjiciet regno, simul-

simulqve declarari proximè præcedentia, de *contubernio luporum cum agnis* v. 6. 7. 8. & de *implendâ cognitione Domini terrâ* v. 9. qvod sc. illa non tantùm de *terra Jhudæorum*, sed & de gentium orbe intelligenda.

§. 8. *Prædicatum* posterius sc. *summè glorioſam Radicis Jiſchai reqviem*, Propheta his designat verbis: והיתה מנחתו כבר h. e. *& erit reqvies ejus gloria.* Ultimam vocem כבר qvæ aliàs substantivum est, significans *gloriam*, *superlativè* per: *summè glorioſam*, reddimus; utut alii præpositionem ל *in*, vel ב *cum* subaudiant q. d. *in*, *cum gloria.* Ebræi enim diversis graduum terminationibus destituti, *superlativum* inter alia sic formant, ut abstractum pro *superlativo* sumant. Sic Isai. 1. 7. ארצכם שממה *terra vestra desolatio erit* h. e. summè desolata. Sed isthæc h. l. non adeo disputantur. Princeps autem qvæstio hîc est de voce מנחתו s. *reqvie ejus, qvid sc.* per *glorioſiſſimam* hanc *reqviem* signi*ficetur?* Hîc enim maximè variant Interpretũ sententiæ. Vulgatus, & qvi seqvuntur eum, per *reqviem* intelligunt *sepulchrum*, qvod est *locus qvietis* Isai. 14. 18. Eadem non tantùm *Hieronymi*, sed & aliorum Patrum fuit sententia. Nec alienus ab illa est *B. Gerhardus* in Harm. Evang. c. 203. p. 2037. nec *B. Calovius* in Bibl. illustr. h. l. illammet ceu piam omnino improbat. *Lyranus* addit rationem gloriæ, qvia *Christus in novo monumento, linteis mundis & aromatibus pretioſis ſepultus eſt & ex toto terrarum orbe ad ſepulchrum ejus à fidelibus iisqve magnis & præclaris venerationis gratia concurritur.* Sed videtur hic sensus humilior, qvàm qvi Spiritui Prophetæ satisfaciat: glorioſum enim sepulchrum & concursus ad monumentum etiam martyribus & minoribus contingit, qvod vel sepulchrum Impostoris illius Muhammedis ostendit. Ceterùm qvi de sepulchro *reqviem* exponunt, Synecdochicè illud accipiunt (ceu *Calvinus* & ex illo *Marloratus* in Comment. h. l. monent) posteaqve hoc ad *mortem* qvoqve *Christi* transferunt, cum sepultura Christi accessio fuerit mortis, qvæ *somnus* & *reqvies* dicitur Joh. 11. 11. Apoc. 14. 13. q. d. mors Christi, qvæ coram mundo ignominioſa erat, glorioſa in se & illustris erit, tum per subseq. miracula & resurrectionem, tum per virtutem & efficaciam, Ebr. 2. 14. Cui sententiæ etiam *Förſterus* subscribit in Comment. h. l. p. 268. *B.* qvoqve *Lutherus* in Comment. Psal. 3. T. 2. lat. p. 23. de *morte* & sepultura explicat: Dicit enim *conferendum eſſe cum hoc loco Pſalmum 16. 9. caro mea reqvieſcit in ſpe*; sed paulò aliter exponit. At verò alienæ à contextu hæ videntur sententiæ: nam de vocatione & confluxu gentium, item de exaltatione Christi & regno ejus, in toto orbe per confluxum & conversionem gentium glorioso & qvieto Propheta h. l. agit, conf. Rom. 15. 12. Uti ergo *ſignum populorum* stans, ita & *reqvies glorioſa* vi contextus respicit *vocationem gentium*

confluentium. Adeoq; nimis prærupta hîc videtur mortis & sepulturæ mentio. Alii ergo, & pleriq; contextum & gentes ad Christum conversas respicientes, (ut *Sanctii Musculique* sententiam, qvæ ap. illos in Commentariis h. l. videantur, prætereamq;) per *reqviem* intelligunt *Ecclesiam* populorum & gentium ad Christum conversorum, in qva glorioſè is habitat: ut *qvies* idem sit ac *habitatio* vel *locus qvietis* ac *residentiæ*, qvomodo vox qvæstionis מנוחה sumitur Mich. 2. 10. conf. & Deut. 12. 29. Ita *Cyrillus* p. 202. (qvi tamen & de *morte* exponit) & *Calvinus* l. c. p. 112. dicens: *cum propiùs omnia expendo, Propheta per reqviem Ecclesiã significat, sicut & Ps. 132. 14. hæc reqvies mea sempiterna, hic habitabo* &c. cujus sententiam laudat *Marloratus* l. c. eamqve dictis Joh. 14. 23. Matth. 18. 20. c. 28. ult. illustrat. Ita & *Piscator, Anglicani, Glassius Rhet. S.* l. 7. 132. *Gesnerus* Comment. in h. l. *Calovius* in Bibl. illustr. *Qvensted.* Syst. Th. part. 3. p. 370. & alii sentiunt. Alludi ergo videtur tum ad id, qvod *Sion locus qvietis DEI* dicitur Ps. 132. 8. 14. tum ad id, qvod *tabernaculum* & *templum* dicuntur plena fuisse *gloriâ* Exod. 11. 35. &c.

§. 9. *Usus* loci *Didactico-Elencticus* conspicitur (1.) in qvæstione *Anti-Judaica, an Jesus Nazarenus sit verus mundi Messias?* qvam affirmamus. Illi enim optimè competit (1.) *appellatio Radicis Jischai*, cujus varia acceptio supra §. 5. est explicata & hîc applicanda. Siqvidem is est *Radix Jischai* (1.) *metaphoricè* & *active*, ratione divinitatis, qvoniam is Jischai & Davidis totiusqve familiæ Davidicæ *autor, causa* & *origo* est, ceu *Bernhardus* Serm. 1. in die Pasch. locum parallelum Apoc. 5. 5. exponit, dicens: *Non ait, David radix ejus, sed ipse radix Davidis, qvia portat & non portatur. Meritò, David sancte, filium tuum Dominum tuum vocas, qvia non tu radicem portas, sed radix te.* Rom. 11. 18. Frustra ergo sunt *Anglicanæ annotationes* suprà ab initio §. 5. citatæ, qvæ negant *Christũ ratione divinitatis dici hîc radicem Jischai.* Licet enim Christus v. 1. dicatur *surculus ex radicibus Jischai* & actu naturali humanitatis verè sit talis surculus & portetur; hoc tamen loco non dicitur radix *ex* Jischai, sed radix שרש Jischai: siqvidem is non tantùm actu personali radix Davidis & Jischai h. e. causa & origo ejus est, sed & actu naturali humanitatis juxta v. 1. ex stirpe Jischai, in trunco & ramis jam arescente, progressus, gloriosissimè illam stirpem Jischaianam florere fecit. Sed & (2.) *metonymice* & *passivè* ratione humanitatis est radix Jischai & Davidis h. e. *stirps* & *genus* Jischai ac Davidis, qvia *filius* & *germen* est Davidis, ex eodem tanqvam stirps ex radice vel ut radix è semine ortus. Hinc Apoc. 22. 16. *radix & genus Davidis* salutatur. Conf. genealogiæ Matt. 1. & Luc. 3. ut & supr. Disp. 18. §. 12. (3.) etiam *comparativè ratione prærogativæ* sic appellari potest, cum præcipuus sit ex stirpe & primogenitus ille Ps. 89. 28. adeoqve radix & fundamen-

damentum totius familiæ Davidicæ Spiritualis. Nec minùs eidem (2.) competit *ſtatio* ſ. *exaltatio in ſignum populorum.* Stetit ita tum in *exaltatione crucis* Joh. 3. 14. c. 12. 32. ubi nec gentes e. c. Centurio, defuerunt: tum præprimis in *exaltatione Majeſtatis* Phil. 2. 9. & *promulgatione Evangelii*, à tempore exaltationis Chriſti per univerſum orbem facta Matt. 28. 19. Marc. 16. 15. Hæc enim congruit magis vaticinii complemento ſc. confluxui gentium & ſummæ populorum promtitudini, Pſ. 110. 3. prædicatæ, & ad יום חילו ſ. *diem potentiæ ejus* h. e. exaltationis Chriſti allegatæ: id qvod etiam LXX. verſione loci, & Apoſtolus ad Rom. 15. 12. ejusdem allegatione, firmare videntur. Conf. ſupr. §. 6. Similiter eidem (3.) convenit *confluxus gentium conſilia ſalutis petentium* Luc. 2. 32. Id qvod Acta & Epiſtolæ Apoſtolorum ſatis ſuperqve oſtendunt &c. Et (4.) *glorioſiſſima reqvies* ejus ex præced. §. jam innotuiſſe putatur.

§. 10. Deinde *uſus* qvoqve loci datur in qvæſt. Antipapiſtica: *an homines ad fidem & religionem externâ vi ferri ſint cogendi?* qvam negamus: hic enim *Radix Jiſchai Chriſtus ſtat in ſignum populorum*, qvod ut ſeqvantur gentes, non *vi ferri*, non militibus, non carceribus, more Papiſtico & Gallicano, coguntur; ſed *vi verbi* h. e. prædicatione Evangelii, uti ſupra oſtenſum, inducti *reqvirunt* Chriſtũ, confluunt. Confirmat id complementũ & praxis Apoſtolorum.

§. 11. Tandem *Abuſus* loci deprehenditur ap. *Pontificios*, in qvæſt. *an Chriſti & Sanctorum reliqviæ religioſo cultu ſint proſeqvendæ?* qvam illi affirmant? nam Bellarm. l. 2. de reliq. Sanct. c. 3. arg. 1. ita ex h. l. arguit: *Sepulchrum Chriſti h. l. dicitur glorioſum*, E. *ejus & ſanctorum reliqviæ ſunt adorandæ.* Sed Reſp. (1.) negando majoris conſeq. à gloria ſc. ad adorationem ſ. ſuperſtitioſam venerationem & peregrinationem: non enim qvæcunqve glorioſa ſunt, ſtatim adoranda erunt: nam & Eccleſia dicitur glorioſa Pſ. 87. 3. Eph. 5. 27. qvis verò illam ſtatueret adorandam? Multò minus conſeqventia à ſepulchro Chriſti ad qvorumlibet aliorum à Papa canonizatorum reliqvias valebit. Sed & (2.) negamus Minorem, qvæ verſione Vulgata nititur, de qva qvid habendum & qvomodo rectius vi contextus per *reqviem* hic intelligatur *Eccleſia gentium*, ex ſuprà dictis conſtat. Et ſi vel maximè de *ſepulchro* Chriſti intelligatur reqvies, non tamen gloria ſepulchri conſiſteret in ſuperſtitioſa linteorum ſepulchralium veneratione &c. ſed in fideli mortis & ſepulturæ Chriſti commemoratione &c.

LOC. VI. & ULT. ISAI. XII. 3.

Fontes ſalutis, ex qvibus aqvæ cum gaudio hauriuntur.

HActenus beneficia DEI, per Meſſiam conferenda, capitibus aliqvot, præprimis XI. Propheta tractavit. Jam digreditur capite XII. ad concluſionem,

nem, qvæ *gratiarum actionem pro beneficiis* sistit, unde & caput illud totum est Eucharisticum hymnumqve continet Evangelicum, qvo inter alia in Christum crediturus v. 3. ad indesinentem gratiarum & consolationis copiam ducit & sic alloqvitur: ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה i. e. *haurietis aqvam cum gaudio, ex fontibus salutis.* Ad qvem locum seqventia forent explicanda: 1. *aqvæ* 2. *fontes* 3. *salus* 4. *gaudium* 5. *modus* hauriendi 6. *haurientes.* Sed pagella, qvæ restat, singula non comprehendens, contractionem hîc jubet.

§. 2. Ad qvæst. qvænam hîc *aqvæ* intelligantur *hauriendæ?* respondet qvidem *Grotius*, (in præconcepta opinione de *Chiskia* persistens) *sensu literali* per *aqvas* ex fontibus salutis hauriendas, *bona intelligi corporalia, Chiskiæ & Judæis à DEO concessa; mystico* autem *sensu accipi posse de perfectissima doctrina, ut hic sumsit Targum Jonathan, qvi titulus Evangelio optimè convenit* (Targum enim sic habet: תקבלון אולפן חדת בהדוא מבחירי צדיקיא i. e. *accipietis doctrinam novam cum gaudio à selectis justorum*, qvem & *Maimonides in Moreh Nevochim* p. 1. c. 30. laudat) Verùm qvod per *aqvas* has literali sensu, qvem Sp. S. intendit & Targum expressit, neutiqvam corporalia sed spiritualia beneficia per Christum præstita intelligantur, ex præcedd. proximè vaticiniis claresci, qvorum conclusio est *Eucharistia* hoc cap. XII. contenta; qvod vel inde probamus, qvia dictum caput XII. per initialia hæc verba: *& dices in die illo ipso* (de qvibus confer ad præced. locum §. 2.) ad tempora Christi diserte & notanter refertur. Ceterùm & Patres in explicatione aqvarum nonnihil differunt. *Cyrillus* enim & *Hieronymus*, uti Targum, de aqvis *doctrinæ Evangelicæ*, veram consolationem afferentis: *Origenes* & *Ambrosius* de aqvis *Sacramentorum*, qvibus abluimur & reficimur: *Bernhardus* & alii de aqvis consolationis, devotionis & donorum Sp. S. interpretantur. At verò in re ipsa minimè inter se pugnant: omnia enim hæc sunt subordinata, & omnes hæ aqvæ ex fontibus Salvatoris hauriuntur & sunt *aqvæ salutis in vitam æternam salientes* Joh. 4. 14. &c..

§. 3. *Usus* loci datur contra *Pontificios* & *Calvinianos*, qvi doctrinâ suâ de *meritis sanctorum*, de *satisfactione* & *meritis operum* &c. de *absoluto electionis decreto*, de *merito Christi particulari ad electos spectante*, has salutiferæ consolationis aqvas cum gaudio hauriendas intercipiunt vivosq; Salvatoris fontes præcludunt; contrà verò ad lacunas & cisternas, imo ad lacum, in qvo non est aqva Zach. 9. 11. & ad barathrum desperationis abducunt. Pro fontibus ergo salutis patentibus Zach. 13. 1. qviq; in nostris patent Ecclesiis, simulqve pro laboribus partis primæ sic finitis, resonet capitis hujus ultimi jubilum:

CELEBRATE DOMINUM! PSALLITE DOMINO!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0400
DFG

Ad Eximium DN. VORASTUM,

Auditorem in Colleg. priv. Theol. Disputat. perqvam industrium,

Jam in Collegio Isaiano ex ISAI. XI. 10. & XII. 3.

Promptissimè respondendo publicè industriam qvoqve suam probaturum.

I.

SErus es in primâ Respondens parte *Jeschajah;*
Non tamen es primis sedulitate minor.
Nec minùs hinc Ego conatus Tibi grator &, † ANNOS
In SEROS VIVAS primus honore, precor.

† *JOANNES VORASTUS, Anagr. SEROS VIVAT ANNOS!*

II.

Non * ORATUS ades, (velut atra calumnia dixit,
Me Respondentes solicitare meos)
Sed potiùs * TU, (ceu plures) me promtior ORAS,
Ut respondendo Te studiumqve probes.
Ardorem probo, qvo nulli cupis esse secundus:
Et licet hunc animem, non tamen inde *rogo.*
Sed tamen ORO DEUM, qvem supplex ipsemet ORES,
Sit studium felix proficuumqve Tibi!

* *VORAST: Anagr. 1. ORATUS? 2. TU ORAS!*

LMq.

A. D. HABICHHORST, D.

PRincipium nostræ Radix Jessæa salutis,
Hæc eadem finis, sicut, Amice, doces.
Illa simul radix studiorum prora tuorum,
Comprecor, ut posthac puppis & ipsa siet!

Eximio Dn. Resp. gr. f.

JO. FECHT, D.

SIc, bone VORASTI, primo conamine, Christum
Te coluisse probas, atqve *vorasse* libros.
Hem benè, *Jessæâ* qvi cum *radice* laborum
Primitias cœptat, fructifer inde cluet!
Nam felix cathedram scandit, felicior exit,
Cunctorum laudes, digna brabræa capit.
Hoc tibi scandenti voveo qvoqve carmine pauco!
Sic surges studiis, artibus atqve fide.

M. JOHANNES MAURITIUS POLTZIUS,
ad S. Johannis Pastor.

Es

ES will die Tugend nicht im finstern seyn verstecket;
Wer Kunst und Weißheit übt der scheuet nicht das Licht.
So hat Herr VORAST auch zu seinem Ruhm entdecket/
Daß nach geübten Fleiß Ihm nicht der Muht gebricht.
Ein jeder lobt mit mir sein rühmliches Beginnen/
Und ich sein Landes-Mann erfreue mich darob:
Drüm wünsch ich/ daß sein Fleiß mag so ein End gewinnen
Als er verlanget selbst/ zu Gottes Preiß und Lob!

So hat aus schüldiger Zuneigung seinem wehrten Lands-Mann Glück wünschen wollen

TIMOTHEUS Lütkemann/ Malch. Meckl.

DJe Wurtzel Jesse ists/ davon Er rühmlich zeiget/
Wie sie den Völckern sey zum Zeichen auffgericht/
Und wie der Heiden Hertz zu Ihr sich gern geneiget/
So daß sie worden ist derselben Ruh' und Licht.
Er fahre also fort/ so hat Ers wollgetroffen/
So bleibet/ WEHRTER/ nicht der Ruhm noch Lohn zurück/
So stehet seinem Fleiß die Ehren-Pforte offen.
Die Wurtzel Jesse geb' Ihm Safft und Krafft zum Glück!

Aus guter Zuneigung setzte dieses wenige glückwünschend

D. C. Stavenhagen/ S. S. Theol. Stud.

Bazov Meckl.

SO will zum bloßen Schein ER nicht den Nahmen führen/
Der sonst zur Weißheit-Ehr eröffnet eine Thür/
Es lässet sich sein Fleiß daheim und draussen spüren/
Sein Tugend-Feur und Glantz bricht mit Gewalt herfür.
Es will der Nahm und That bey IHM zusammen stehen/
Drumb eussert sich sein Fleiß selbst durch den Werck-Beweiß:
Indem **Er/ wehrter Freund**/ will zur Catheder gehen/
Und zeigen was bißher Ihm hat genützt der Fleiß.
Ich wünsche Glück dazu/ und wie **die Wurtzel Jesse**
Ist seiner Arbeit Zweck/ so steh' sie IHM auch bey/
So geht es glücklich ab/ daß/ (wie ich wol ermesse)
Für seine Müh' und Fleiß der Lohn gar nahe sey.

Mit diesen geringen Zeilen hat dem Herrn Respondenten, seinem liebwehrten Freunde/ seine sonderbahre Zuneigung/ mittelst Anwünschung alles Wollergehens/ bezeugen wollen

JOH. DIET. FABRICIUS, Malch.
S. S. Theol. Stud.

(✿)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747248095/phys_0406
DFG

iliæ Davidicæ Spiritualis. Nec minùs eidem (2.) competit
num populorum. Stetit ita tum in *exaltatione crucis* Joh. 3.
tes. c. Centurio, defuerunt: tum præprimis in *exaltati-*
& promulgatione Evangelii, à tempore exaltationis Chri-
m facta Matt. 28. 19. Marc. 16. 15. Hæc enim congruit ma-
nto sc. confluxui gentium & summæ populorum promti-
atæ, & ad יום חילו s. *diem potentiæ ejus* h. e. exaltationis
od etiam LXX. versione loci, & Apostolus ad Rom. 15. 12.
rmare videntur. Conf. supr. §. 6. Similiter eidem (3.) con-
n consilia salutis petentium Luc. 2. 32. Id qvod Acta & E-
atis superqve ostendunt &c. Et (4.) *glorioſiſſima reqvies*
innotuisse putatur.

ujus qvoqve loci datur in qvæst. Antipapistica: *an homi-*
em externâ vi ferri sint cogendi? qvam negamus: hic
ristus stat in signum populorum, qvod ut sequantur gen-
ilitibus, non carceribus, more Papistico & Gallicano, co-
e. prædicatione Evangelii, uti supra ostensum, inducti *re-*
unt. Confirmat id complementũ & praxis Apostolorum.
Abusus loci deprehenditur ap. *Pontificios*, in qvæst. *an*
eliqviæ religioso cultu sint prosequendæ? qvam illi affir-
2. de reliq. Sanct. c. 3. arg. 1. ita ex h. l. arguit: *Sepulchrum*
ioſum, E. *ejus & sanctorum reliqviæ sunt adorandæ.* Sed
oris conseq. à gloria sc. ad adorationem s. superstitiosam
rinationem: non enim qvæcunqve glorioſa sunt, statim
& Ecclesia dicitur glorioſa Ps. 87. 3. Eph. 5. 27. qvis verò
lam? Multò minus consequentia à sepulchro Christi ad
Papa canonizatorum reliqvias valebit. Sed & (2.) nega-
sione Vulgata nititur, de qva qvid habendum & qvomo-
per *reqviem* hic intelligatur *Ecclesia gentium*, ex suprà
maximè de *sepulchro* Christi intelligatur reqvies, non ta-
nsisteret in superstitiosa lineorum sepulchralium vene-
mortis & sepulturæ Christi commemoratione &c.

C. VI. & ULT. ISAI. XII. 3.

is, ex qvibus aqvæ cum gaudio hauriuntur.

DEI, per Messiam conferenda, capitibus aliqvot, præ-
eta tractavit. Jam digreditur capite XII. ad conclusio-
nem,